ny
uc=
oti=
tera
n.

644 Ga. III. 75.

H. l.

36

A°. 1743

BURCARDI GOTTHELFFII STRUVII

INTRODUCTIO

IN NOTITIAM REI LITTERARIAE ET USUM BIBLIOTHECARUM

Accessit Dissertatio

DE DOCTIS IMPOSTORIBUS

Et huic tertiae editioni accedunt

SUPPLEMENTA NECESSARIA

Et

ORATIO DE MERITIS GERMANORUM IN HISTORIAM.

HBS

A° CIƆIƆCCXI

IENAE

Sumptibus ERNESTI CLAUDII BAILLIAR.

MDCCX.

ILLVSTRISSIMO COMITI
AC DOMINO
DOMINO
ANTHONIO GVNTHERO
E QVATVOR SACRI ROMANI IMPERII COMITIBVS
COMITI IN SCHWARTZBVRG ET HOHENSTEIN
DOMINO ARNSTADII, SONDERSHVSAE, LEVTENBERGAE, LOHRAE ET CLETTENBERGAE
COMITI AC DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

ILLVSTRISSIME COMES

DOMINE CLEMENTISSIME.

IGnoſces, DOMINE CLEMENTISSIME, & concedes, publice nunc TE compellare, quem priuatim ſæpe clementiſſime admiſiſti. Non enim inter minima ſemper reputaui, clementia TVA frui, quam toties expertus, quoties

mihi

mihi aditus conceſſus eſt. Immo eandem quoque in variis negotiis ſæpius erga me fuiſti conteſtatus. Taceo gazophylacium TVVM, theſaurum antiquitatis, conditorium hiſtoriæ Europææ, quod mihi nunquam non patuit, quod plus quam vna vice perluſtraui mirabundus. Certe, miratur orbis, mirantur omnes eruditi. A facie TVA nunquam receſſi, niſi inſtructior, dum de re nummaria, curioſisque naturalibus ageres clementisſime. Mihi autem illud quam maxime curæ fuit, vt omne præſtem obſequium, omnem animi ſubiectionem. Quod, vt publice teſter, leuem hanc opellam, interpretem animi obſequentisſimi, TIBI, CLEMENTISSIME DOMINE offero. Leuis eſt illa, nec nomine TVO digna, ſola tamen TVA gratia nomenque illam illuſtrabit. Quod ſi hancce eadem amplecteris clemen-

mentia, qua me alias fuisti solitus, habeo quod opto. Suscipe illam clementissime, meque illustri TVO patrocinio dignare. Deus TE seruet patriæ, subditis & eruditis, bono communi

TIBI
CLEMENTISSIME DOMINE

Ienæ, Kl. Octobris
cIↃ IↃCCIII.

subiectissimus

BVRCARD GOTTHELFF STRVVE.

PRÆFATIO PRIORIS EDITIONIS

AD BENEVOLVM LECTOREM.

EXhibui ſemeſtri præterito bibliothecam iuris, nunc quam promiſi, introductionem ad rem litterariam offero. Præmittere illam ratus, antequam reliquarum diſciplinarum bibliothecas adgrediar, vt fundamentum eſſe poſſit ad omnem rem litterariam. Quid præſtiterim, facillime patebit. Primo loco de bibliothecis Germaniæ præcipuis egi, quæ in iisdem reperiuntur memorabilia, maxime codices manu exaratos indicaui, ita, vt primum de bibliotheca Imperatoris Vindobonenſi, Regia Berolinenſi, Electorum, Ducum, Principum Imperii, academiarum & collegiorum bibliothecis ſingulatim agerem, ſcriptores etiam, ſi qui eas de-

ſcri-

ſcripſerunt, notarem. Ratio quidem poſtulaſſet, vt de bibliothecis exterorum præcipuis, Vaticana, Florentina, Regis Galliæ æque egiſſem, ſed cum haſce non ipſe perluſtrauerim, malui de illis potiſſimum agere, quarum pleraſque viſitaui, reliqua ad aliud tempus reſeruans: interim quæ mihi de iisdem nota, auditoribus priuato diſcurſu exponere ratus. In altero capite expoſui, bibliothecis qua ratione vtendum, non ſolum, vbi nobis occaſio datur, bibliotheca per tempus aliquod continuum vtendi, ſed etiam in peregrinando. Dictum fuit non ſolum, quid in ipſa bibliothecæ perluſtratione obſeruandum, ſed etiam, qua ratione libri ad notitiam rei litterariæ tractandi, & duodecim criteria fuere propoſita, ex quibus iudicium de libris formandum, inter quæ etiam illud, quibus ſtudiis certæ nationes præ cæteris excelleant, fuit

de-

demonstratum. Tertium caput agit de ratione disponendæ rei litterariæ, & scriptoribus, qui ad generalem notitiam faciunt, vbi primum dicitur de singulis ephemeridibus eruditorum, quæ apud varias gentes fuerunt editæ, & secundum eas distinctæ, ita, vt de harum origine, instituto, auctoribus, progressu, & fine, præstantia, næuis & aduersariis edisseratur. Inde dictum fuit de scriptoribus, qui introducunt ad rem litterariam, librariam & dispositionem rei litterariæ atque bibliothecarum, catalogis librorum præstantioribus, ordine disponendarum bibliothecarum & similibus. Caput Quartum excerpta rei litterariæ adornare docet, & quidem alia fieri debere præscribit librorum, alia vitarum atque elogiorum. Agitur in eo de scriptoribus catalogorum, & vitarum tum generalibus tum speciatim iis, qui vitas eruditorum

cer-

certarum nationum ſcripſerunt. Adduntur ſcriptores de pſeudonymis, anonymis, homonymis & plagiariis. Exponuntur ſcriptores, qui dicta clarorum virorum per ana *congeſſerunt, vel alia de libris iudicia, etiam qui dictionaria realia, epiſtolas, itineraria, aliaque, quæ ad ſtatum rei litterariæ generalem faciunt. Curaui autem potisſimum, vt ſingulos iuſto ordine exhiberem, & breuia de potioribus adderem iudicia. Ita quidem, vt quæ a Morhofio in elegantisſimo ſuo polyhiſtore plenius fuerant expoſita, breuius deſcriberem, quæ vero ab eodem vel obiter, vel plane non tractata, prolixius exhiberem, reiectis tamen ambagibus omnibus. Et cum in rei litterariæ notitia non leue quoque momentum præbeat editionum varietas, caput quintum addidi, in eodemque de typographiæ origine, hiſtoria & celebrioribus typographis egi, ita, vt*

Mogun-

Moguntinis hanc artem vindicarem, Harlemensibus typorum in tabulis ligneis incisorum inuentione relicta. Inter typographos speciatim egi de Manutiis, Stephanis, Plantinis, VVæcheliis & similibus, quorum editiones fere manuscriptis æquiparantur, ita tamen, vt non reticuerim etiam alios, licet tantam nominis celebritatem non adepti, eosdemque secundum loca, vbi illorum typographiæ floruerunt, distinxerim. Propositum quidem erat, de scriptoribus prohibitis aliqua addere, sed cum prela vrgerent, instarent typographi, bibliopola finem introductionis expeteret, parendum fuit necessitati, atque ad aliud tempus differenda fuit hæc ipsa de scriptoribus prohibitis tractatio. Hunc igitur laborem Tuo fauori commendo: quod si non displicuerit, sequetur propediem Bibliotheca Philosophica, Philologica & Historica. Vale.

Præ-

Præfatio nouæ huius & secundæ editionis.

ANnus vix vnus atque alter effluxit, cum primum ederetur hæc ipſa introductio. Tanta ſtatim induſtria recipiebatur, vt vel primo anno pateret, de noua propediem cogitandum eſſe editione. Nec deſii interea, vlterius inquirere in ea, quæ eandem poſſent adornare, cum plura eſſent, quæ in priori editione omiſſa, ad notitiam tamen rei litterariæ admodum neceſſaria. Hoc ſaltim, cum defectus exemplarium nouam vrgeret editionem, erat dubium, an nouæ iſtæ acceſſiones hinc inde inſerendæ, an vero in vicem ſupplementorum adnectendæ. Illud nouis emtoribus magis proficuum; hoc prioris editionis poſſeſſoribus. Verum, dum conſiderarem, leue admodum libri eſſe

pre-

pretium, quo a prioris editionis possessoribus sine graui damno possit redimi, illam viam tanquam commodiorem ingressus. Vt autem constet, quid in hac editione fuerit præstitum, breuiter illud edocebo. Præmisi statim de Historia Litteraria integrum caput, qua non solum, quid sit, demonstraui, sed etiam diuersos diuersorum in eadem conatus explicaui. Prolixius longe deduxi bibliothecarum notitiam, ita, vt plures Germaniæ nostræ non solum adderem, sed etiam quantum de peregrinis ex scriptis vel aliunde perceperim: addita necessaria deperditarum Bibliothecarum recensione. Quæ ad Scriptores ephemeridum, Vitarum atque Iudiciorum faciunt, singulis pagellis adauxi, insertis integris paragraphis. Nouum de libris damnatis atque prohibitis, societatibus item Litterariis addidi Caput, ne in hoc

adhuc

adhuc lateat defectus. In multis ordinem mutaui, varia emendaui, plurima inſerui. Fateor, me, dum plurimorum de hac introductione olim iudicia perlegerim, haut parum fuiſſe commotum, cum tanta vel libro, vel mihi tribuant, quæ nunquam promiſi, nec etiam promittere valui. Fuit tamen vnus vel alter, qui in ſcriptis meis næuos, ſphalmata & iudicia temeraria ſe reperiſſe contenderet. Etiam hos ſuo relinquo genio, ſiue vera ſcripſerint, ſiue ex prauo adfectu. Ingenue profiteor, nihil me illis debere, qui vel in immenſum mea laudauerint; humana ſunt, profana, proletaria: ſi quid boni ineſt, non mihi debetur, ſed DEO. Nec etiam horum curo nænias, qui vel leuisſima de ſcriptis meis iudicent: humani enim nihil a me puto alienum. Ipſe adgnoſco errores, quos

in hac editione, quantum potui, vel ab amicis admonitus, vel a me ipso deprehensos emendaui. Iudicet itaque B. L. quæcunque velit, si modo veritati sint consentanea.

CAPVT

CAPUT PRIMUM
DE
HISTORIA LITTERARIA
IN GENERE.

§. I. Librorum notitia ex Bibliothecis hauritur. §. II. Res Litteraria apud Germanos qua ratione cœperit. §. III. Huius vtilitas quanta sit. §. IV. Cauendum, ne quis aperte in re litteria labatur. §. V. Historia litteraria in quo discrepet a polymathia. §. VI. Differt ab encyclopaedia & Pansophia. §. VII. Conradi Gesneri & Christophori Mylaei conatus in historia Litteraria. §. VIII. Mich. Neandri conatus. §. IX. Baconis Verulamii institutum. §. X. Petri Lambecii prodromus historiae Litterariae. §. XI. Hermanni Conringii historia Litteraria. §. XII. Institutum Georgii Hieronymi Velschii & Io. Christiani L. B a Boineburg. §. XIII. Labores litterarii Io. Henrici Böcleri. §. XIV. Conatus Valentini Ern. Löscheri & Io. Burcardi Maii. §. XV. An vniuersale historia

 ria

ria litterariæ opus sperandum. §. *XVI. Scriptores præcipui, qui in rem litterariam introducunt.* §. *XVII. Io. Henr. Böcleri Bibliographia.* §. *XVIII. Scriptores, qui rei litterariæ atque Bibliothecariæ dispositionem docent.* §. *XIX. Gabrielis Naudæi labores hac in parte.* §. *XX. Scriptores, qui catalogos vniuersales ediderunt.* §. *XXI. Scriptores Bibliothecarum Realium.* §. *XXII. Casp. Thurmanni labores.* §. *XXIII. Scriptores, qui Catalogos Bibliothecarum ediderunt.* §. *XXIV. Aliter disponuntur Bibliothecæ, aliter excerptæ rei litterariæ.* §. *XXV. Transitio ad subsequens Caput.*

§. I.

INter præcipua eruditionis κειμήλια numerandum est, nosse bonos libros. Non tali quidem notitia, quæ in solis librorum titulis & editionum diuersitate consistit, quæ bibliopolarum est: sed ita, vt quis libros diiudicare, optimos seligere, & ad rerum notitiam singulos suo ordine possit disponere. Rem autem hanc non ex consarcinata librorum atque catalogorum mole saltim discimus, sed ex frequenti bibliothecarum peruestigatione. Hæc etiam fructu destituitur, si non rite instituta. Nec enim in ligaturis solum hærere, vel ex splendore librorum, horum-

rumque frequentia iudicare conuenit; sed ex librorum præstantia & raritate; quæ, seruata iusta methodo, ex pleniori inspectione, & industria collectione optime patebit.

§. II.

Vix autem est, quod ab aliquo tempore sapere cœperunt Germani, cum antea nonnulli eorum tam rudes fuerint, vt nunquam se Codices habuisse meminerint; & si in circulo Doctorum auctoris veteris inciderit nomen; piscis aut edulii peregrina vocabula esse arbitrarentur, vt de suis temporibus loquitur Ammianus Marcellinus, lib. XXX. capite IV. GABRIELEM NAVDAEVM inter primos Galli memorant. qui suos litterariam docuerit. Nec detrahenda ipsi laus est, quod inter suos φιλοβιβλίας studium promouerit atque ordinauerit; nec tamen primus fuit. Cui enim sunt ignoti labores immensi CONRADI GESNERI; MICHAELIS NEANDRI, industria GEORGII DRAVDII atque aliorum; qui omnes anteriores longe Naudæo, vt potius dicamus; illum Germanorum studio fuisse excitatum, ad rem litterariam ordinarius proponendam. Naudæi tamen exemplum secuti fuerunt apud nos BVCHNERVS, CONRINGIVS, BOECLERVS, BOSIVS, MORHOFIVS, MENCKENIVS, CARPZOVIVS, SCHVRTZFLEISCHIVS, SCHVBARTVS,

vt maiori cura litterariæ rei nouum adderent ordinem, noua incrementa. Ita, vt ex ſcholis tantorum virorum prodeant quotidie in lucem, qui eadem magis magisque euehant.

§. III.

Vtilitatem ſi quæramus, tanta eſt, quantam vix ſatis licebit prædicare. Vbi ſtudia noſtra incoamus, facile inde nobis licebit eligere certum ſyſtema atque libros, quos vſui noſtro dignos iudicamus. Præceptores ſi ſequimur, reperiuntur inter hoſce, qui ſæpe integras auctorum paginas deſcribant, vel ad verbum auditoribus ſuis recitent. Plagium hoc animaduertitur vſu rei litterariæ. In diſciplinis vbi verſamur, non conueniet inueteratis Doctorum opinionibus inhærere, plus vltra pergendum. Reperiuntur ſemper, qui abdicatis præiudiciis prioribus, vlteriora indagarunt. Vnde autem hæc diſcimus, niſi ex ſtudio rei litterariæ. Quod ſi elaborandæ nobis ſunt materiæ, dimidia fere laboris pars eſt, noſſe ſedes materiarum. Quanta vtilitate verſamur hodie cum eruditis, a quorum ore pendere, certe ſumma laus eſt. Neque tamen vlla re horum adquirimus fauorem, quam vbi nouis quibusdam litterariis horum arcana ſollicitare, atque illis plane non ſentientibus, elicere nouerimus. Ex priuata hac conuerſatione ſæpe plus proficimus, quam ex publicis diſcurſibus.

§. IV.

§. IV.

Caueamus tamen, ne male intellecta litteraria re, nos exponamus irrisioni: ne forsan Altdorfum viri nomen putemus, Articulum Smalcaldicum & Funebrium auctores, Titulum Ligurini, quem Guntherus poemati suo, Seduardi, quem Hopperus tractatui suo de iuris arte dedit, pro auctoribus habeamus, vel a Thoma Broun, auctore libri de religione medici, Brounistas Angliæ deducamus, aut alia committamus, risu vel miseratione digna. Tam inexhaustum quidem rei litterariæ est studium, vt nihil nec perfecti nec satis emendati, cui non aliquid adhæreat, sit expectandum, quin potius multa hinc inde per incuriam irrepant. Caueamus saltim, ne tam aperte labamur.

§. V.

Consistit autem historia litteraria in notitia rerum, quæ faciunt ad statum Reipublicæ litterariæ. Distinguitur hæc a Polymathia, quæ in variarum rerum cognitione, atque omnium fere artium notitia versatur. Exemplum Hippiæ narrat Apuleius, qui præter eximiam artium omnium ingenuarum cognitionem, omnium opificiorum erat callentissimus. Nam quæ secum habebat, omnia sua manu confecerat, & vestes, & signaculum in gemma faberrimum. Aliud exemplum huic fere simile in Iulio Cæsare Bot-

tifanga narrat Ianus Nicius Erythræus pinacotheca II n. XVII. Neque tamen illos solum vocamus πολυμαθεῖς, qui opificia quæuis callent atque exercent, quorum vix vnum atque alterum extat, sed illos præsertim, qui in omnium artium ac disciplinarum cognitione versati, de singulis iudicare valeant. Licet hoc animaduertendum, quod omnia quidem teneant, in vna vero parte præ aliis emineant. Nec minus etiam notandum, eiusmodi homines naturæ plerumque nimium tribuere. Tot enim vanis opinionibus & scientiis, quæ ingenium occupant, sunt instructi, vt Deo nihil relinquatur. Exempla sunt odiosa. Vnicum hic adducere licet IOANNIS WOVWERII, qui ab hac culpa immunis esse non videtur, licet egregie alias fuerit commentatus *de Polymathia, Basileæ 1603. 4* ex Frobeniana, quem librum recudi fecit Iacobus Thomasius, *Lipsiæ 1655. 8.* Philippus quidem Iacobus Maussacus, Wovverium omne, quod edidit, a Casaubono habuisse adfirmat, dum vna cum eo ageret Monspelii. Satis tamen illum a plagii nota immunem fecit Thomasius de plagio §. 594 atque in præfatione editionis suæ. Nec tamen negligenda est polymathia, si christiane tractetur. Legendus de eo GVILIELMVS BVDÆVS *de transitu Hellenismi ad Christianismum, Parisiis 1556. f.* Transitum hic docet

docet & adſcenſum a ſcientiarum vanitate ad veram philoſophiam, quam in cœleſti ſolum doctrina eſſe quærendam, non minus pie, quam concinne inculcat.

§. VI.

Differt etiam Hiſtoria litteraria ab encyclopædia, quæ complexum contineat artium liberalium, de qua multum egerunt critici. Differt etiam a Panſophia, quæ omnes Philoſophiæ partes in ſe comprehendit.

§. VII.

Duplex autem eſt Hiſtoria litteraria: vel proprie ſic dicitur, vel notitia eſt rei litterariæ. Illa conſiderat Scriptores ſecundum ſecula atque ordinem chronologicum, horum fata, inuentionem artium, & reliqua notatu digna deſcribit. Hæc libros docet diſponere ſecundum materiarum ſedem, iuſto accuratoque ordine. Fuere olim inter viros claros, qui magnum rei litterariæ opus molirentur: nec etiam fructus defuit, non tamen ille, quem ſibi promiſerant. Præcipuas hac in re partes geſſit CONRADVS GESNERVS, cuius non Bibliotheca ſolum, ſed etiam *Pandectæ*, *Tiguri 1548. f.* extant, in quibus Scriptores ordine litterario diſponit: vbi ſane accuratam diſponendi rationem exhibet, in quauis etiam claſſe & ſectione potiores ſcriptores adducit. Vulgo huc referri ſolent CHRISTOPHORI MYLÆI *de ſcriben-*

da vniuerſitatis rerum Hiſtoria libri quinque, ſæpius editi, quorum primus de naturæ, alter de prudentiæ, tertius de Principatus, quartus de ſapientiæ, quintus de litteraturæ hiſtoriis & hiſtoricis agit, vbi modum oſtendit componendæ hiſtoriæ de re litteraria vniuerſa. Sed conatus fuit, qui in generalibus ſaltim ſubſtitit.

§. IIX.

Idem inſtitutum fuit MICHAELI NEANDRO, qui ſibi *Pandectas rei litterariæ* propoſuerat, in catalogo lucubrationum promiſſas, quem erotematibus linguæ Græcæ adnexit, vbi p. 416 de harum inſtituto ita loquitur: *referuntur primo in illis Bibliothecæ inſigniores ac inſtructiores, quæ ab initio in mundo fuerunt, & ſi quæ adhuc hodie maxime celebratæ ſunt, omneque genus ſcriptorum publicatorum, ac in Bibliothecis etiamnum vbicunque terrarum latentium, temporis etiam iniuria deperditorum. eorum etiam quorum vel nomina ſolummodo apud veteres reperiuntur. Horum omnium ſcripta ac libri referuntur ſecundum materias ac argumenta, quæ tractarunt ſecundum artes, ſcientias, profesſiones ac facultates: indicato etiam tempore, quando floruerint: ſimul etiam, quando & vbi locorum cuiusque ſcripta ſint excuſa; numero quoque chartarum in plerisque indicato, quo facilius de pretio fiat iudicium. Cenſuris etiam doctorum virorum additis, vt ſciatur, quo*

quo loco cuiusque ſcripta ſint habenda, omnibus ordine, ſuoque loco poſitis ac diſtributis, vt in quacunque arte ac quacunque materia ſcriptorem requiras, mox quæſito loco, pro vno innumeros reperias, vt adhibito iudicio potiorem, ac quem ſeu ipſe maxime probes, ſeu aliis præcipue probatum fuiſſe intelligas, poſtea deligas. Videmus ex hiſce, quam egregium fuiſſet opus, ſi editum. Dolemus igitur, reipublicæ litterariæ tam felicem eſſe non licuiſſe, vt hoc labore vteretur, qui alias multum profuiſſet. Sciagraphiam tamen quandam, & quaſi prodromum habemus in eruditisſima præfatione, quam *erotematibus* ſuis *Græcæ linguæ* præmiſit Neander, in editione *Baſileenſi* 1565. 8, in qua non ſolum de bibliothecis vetuſtis & temporis iniuria deuaſtatis, ſed etiam de libris deperditis agit, & prout litteraria res diſponi posſit, docet, indicatis ſub quauis claſſe libris potioribus, additis iudiciis non contemnendis; ita, vt multum lucis ex hac præfatione elegantisſima posſit hauriri. Vt fatear, quod verum eſt, πολυμαθέστατος vir erat Neander, neque tamen ſolus par huic labori, niſi forſan ex diſcipulis ſuis, inter quos multi extiterunt clarisſimi, ſocios ſibi adlexiſſet.

§. IX.

Et ſuperiori ſeculo magnum opus ſibi animo conceperat BACO VERVLAMIVS,

quod ipſe inter deſiderata proponit lib. II cap. IV de augmentis ſcientiarum, integra eius verba adducemus: *Argumentum*, ait, *non aliud eſt quam vt ex omni memoria repetatur, quæ doctrinæ & artes, quibus mundi ætatibus & regionibus floruerint. Earum antiquitates, progresſus, etiam peragrationes per diuerſas Orbis partes [migrant enim ſcientiæ, non ſecus ac populi] rurſus declinationes, obliuiones, inſtaurationes commemorentur. Obſeruetur ſimul per ſingulas artes, inuentionis cauſſa & origo; tradendi mos & diſciplina: colendi & exercendi ratio & inſtituta. Adiiciantur etiam ſectæ & controuerſiæ maxime celebres, quæ homines doctos tenuerunt, calumniæ, quibus patuerunt, laudes & honores, quibus decoratæ ſunt. Notentur auctores præcipui, libri præſtantiores, ſcholæ, ſucceſſiones, academiæ, ſocietates, collegia, ordines, denique omnia, quæ ad ſtatum litterarum ſpectant.* Hæc Verulamius, & certe maximi momenti eſt inſtitutum, vix tamen credendum, tale vnquam editum iri.

§. X.

Aliquas partes deſiderati Verulamiani adimplere voluit PETRVS LAMBECIVS, ſed in conatibus res ſubſtitit. Edidit enim ſaltim *prodromum Hiſtoriæ Litterariæ*, nec non libri ſecundi capita priora quatuor, *Hamburgi 1659. f.* Inſtitutum Lambecio erat, omnem hiſtoriam litterariam a prima ſcribendi origi-

ne

ne exponere, chronologiæ & temporis ratione habita. Sed, non nisi integra historia extat a creatione mundi vsque ad Mosen, quem reiectis reliquis, quæ proferuntur, scriptis, omnium tam sacrorum quam profanorum Scriptorum facit antiquissimum. Insecutis vero libri capitibus quatuor prioribus, de libris Mosis & Iudicum agit, reliquarum saltim exhibet sciagraphiam. Fateor, vir immensi laboris erat Lambecius, dignus Vindobonensis Bibliothecæ præfectus, & litterarum vbique promotor, sed cum diffusus sæpe esset, atque plus ingenii adhiberet, quam iudicii, vix credendum, illum parem operi fuisse.

§. XI.

Illustris superioris seculi Polyhistor, HERMANNVS CONRINGIVS, anno 1664 auditorum quorundam desiderio satisfacturus, intra priuatos parietes commentarium breuem de eruditionis a Christo nato propagatoribus in calamum dedit, vt introductionis loco esset ad chronologiam & historiam litterariam. Commendat illam Voglerus introduct. vniuersali cap. II, atque multorum commoda hanc iuuaturam dicit, si lucem videret, nisi quod, quæ ad medicos pertinent, & auctiora quidem iam tum legantur in ipsius in artem medicam introductione. Morhofius Polyhistore libro I cap. XVI

com-

compendiarium libellum vocat extemporalibus ipſi diſſertationibus natum. Hunc autem commentarium, cum in manibus quorundam lateret per deſcribentium culpam, fœde corruptus, emendatius edere adgreſſus eſt IOANNES GOTTLIEB MOLLERVS, in Gedanenſi Athenæo Profeſſor, ſed cum textum Conringianum vsque ad initium XII ſeculi X diſputationibus publicis adnecti voluerit, abſoluere, morte præuentus, non potuit. Cum itaque non reperiretur, qui laborem illum a Mollero cœptum continuaret, GOTTLOB KRANTZIVS demum, in Vratislauienſi Gymnaſio Profeſſor, denuo edendum curauit hoc titulo: HERMANNI CONRINGII *de Scriptoribus XVI poſt Chriſtum natum ſeculorum Commentarius, cum prolegomenis antiquiorem eruditionis hiſtoriam ſiſtentibus & additionibus, quibus ſcriptorum ſeries vsque ad finem ſeculi XVII continuatur. Vratislauiæ 1703. 4.* Præmiſſa ſunt prolegomena, hiſtoriam eruditionis ante Chriſtum natum exhibentia, quibus de eruditione Hebræorum, Barbarorum, Græcorum atque Italorum agitur. Sequitur ipſe Conringii libellus, in quo Scriptores per ſecula diſtinguit, ita, vt in quouis quinque conſtituat claſſes, Scriptorum eccleſiaſticorum, Philoſophicorum, Iureconſultorum, Medicorum, Hiſtoricorum, Poëtarum & Oratorum. Adiecta eſt eadem metho-

methodo historia Seculi XVII. Sed, vt verum fatear, breuis est libellus & extemporaneus, nec famam tanti viri adauget. Videtur tamen fuisse prodromus maioris operis, quem in vsum priuatum auditorum conscripserat. Conringius tali ratione ipsius olim auditoribus vtilis, dum singula discursibus plenius explanaret.

§. XII.

Magnum inter eruditos nomen est GEORGII HIERONYMI VELSCHII, qui vti plura alia, eademque maxime necessaria sibi proposuerat, ita non minimas in rem litterariam curas esse voluit. Extat eiusdem epistola *de scriptis suis ad bibliopolas & typographos S. Rom. Imperii*, qua LXX opera iisdem offert, atque inrer hæc n. LXIX *notitiam auctorum panglottam*. De instituto ipsum audiamus loquentem: *infiniti operis fuerit*, ait, *si quis omnes omnino nominare voluerit, quod olim Gesnerus in Pandectis suis, deinde alii quoque videntur spectasse. Non hæc mea mens, sed in singulis linguarum generibus, veteres tantum & probatos auctores, atque in cæteris meliores, non tantum nominare, sed etiam præstantiores editiones indicare, & de scriptis ipsis iudicia ferre institui. Huius facti initium Ger. Io. Vossius mihi suggessit, qui tale quid olim cœpit, & amicis ac auditoribus distribuit. Ab his ego quoque accepi, & deinde plurimum a XXX iam annis auxi. Nec*

enim

enim ipſe vltra latinos & græcos profectus eſt; ego Orientales & Linguarum omnes addidi. Ingenue tamen laudem illi ſuam tribuo, quia tantundem aut etiam amplius mihi ſupereſſe poterit, ſi benignius accipiatur. Ex paucis autem initiis multa magna ſuccreuiſſe nemo ignorat. Patet ex hiſce a Velſchio dictis facile, quod ipſe fundamentis a Voſſio iactis ſuperſtruxerit, nec vniuerſalem rei litterariæ complexum ſibi propoſuerit, ſed ſelectum ſaltim, nec illum tamen inutilem. Verum, multa ſibi propoſuerat Velſchius, quæ ipſe, magni licet ingenii, abſoluere nunquam poterat. Sedulus colligebat, quæ ad polymathiam faciebant, ſed neque hoc ſufficit; multa ex collectis promittebat, ſed quis tot volumina vnquam ederet. In collectaneis itaque, in promiſſis ſubſiſtebat omnis Velſchii conatus. In Catalogo tamen Spitzeliano nuper animaduerti, Manuſcriptis Spitzelianis accenſeri quoque vel quinquaginta volumina Velſchiana, atque inter hæc ea, quæ ad litteraturam faciunt. Licet enim penes Matthiam Fridericum Beckium aliqua reperiri teſtetur Meelführerus, acceſſionibus ad Almelooueni Bibliothecam promiſſam & latentem p. 9. Idem Meelführerus ſciagraphiam tractatus Velſchiani *de litteratura Orientali*, ſiue hiſtoria Turcarum Litteraria adnectit. Similia tentaſſe IOANNEM CHRISTIANVM L. Baro-

Baronem de BOINEBVRG non ſolum epiſtolæ ipſius tum ad Prüſchenckium, tum ad Dietericum ſcriptæ teſtantur, ſed etiam idem Meelführerus p. 12. Quo facit, quod vix liber reperiatur, in eiusdem Bibliotheca, quæ adhuc Moguntiæ adſeruatur, cui non auctores paralleli, vel alia, quæ ad polymathiam faciunt, fuerint innotata. Verum, licet inter politicos eſſet πολυμαθέστατος, negotiorum mole tamen erat obrutus, vt tanta, quæ vel plures requirunt homines, minime potuiſſet adimplere.

§. XIII.

Simile opus animo conceperat Magnus Argentoratenſium Polyhiſtor, IOANNES HENRICVS BOECLERVS. Cœperat ille priuatis diſcurſibus auditoribus ſuis exponere *Hiſtoriam ſeculorum quatuor priorum.* Hæc poſtmodum ex libello autoris memoriali & diſcurſu anno 1659 ab auditoribus fuerunt excepta, & præmiſſa præfatione Iſagogica Ioannis Fechtii, cura IO. GOTTLIEBI MOLLERI prodierunt *Sedini 1699. 8.* Omnia hæc ſecula in quinque diuidit partes, ita vt primo Chronologiam, dein Romana, tertio externa, quarto eccleſiaſtica, quinto demum viros celebres, litteras, artes, inuenta atque alia exponat. Hæc vera eſt Hiſtoria vniuerſalis. Optandum, vt ipſe Bœclerus vltimam manum adhibere potuiſſet, prolixius certe

ſingula

ſingula deduxiſſet, maxime quantum ad inuenta & artes, de quibus perbreuis eſt. Interim adiumento hæc ipſa quoque eſſe poſſunt. Prolixior quoque idem Bœclerus eſt in enumerandis viris ſeculo XVI claris, in ſuo *de rebus ſeculi XVI libri Memoriali*, qui cura *Io. Burcardi Maii* prodiit *Kiloni 1697. 8.* Ordinem ſecutus fuit annorum emortualium, ita, vt breuibus ſtatum cuiuslibet Scriptoris exponat, atque ſcriptores indicet, ex quo plenior hauriri poſſit notitia. Aliqua etiam ſuppleuit Maius, quæ ſeparatim vncinis incluſa. Certe multa præſtitiſſet Bœclerus, ſi limam addere ipſi ſemper licuiſſet, hæc ipſa enim, quæ edita, ſunt imperfecta.

§. XIV.

Quinquennium elapſum eſt, cum VALENTINVS ERNESTVS LÖSCHERVS *arcana Litteraria & alios triginta libros edendos* Muſis conſecraret, datoque ſpecimine proponeret *1700. 4.* Hæc Velſchianis promiſſis ſunt ſimilia, niſi quod maiorum adhuc voluminum opera polliceantur. Inter hæc, præter alia, reperitur, quæ noſtri eſt inſtituti, n. VIII *Hiſtoria Litteraria*, de qua ita loquitur: *Hoc opus diu deſiderauimus, lectiſſimo Lambecio ſaltim rudimenta eius & initia nobis dante: ego, vt potui, ad noſtram vsque ætatem omnium ſeculorum genium litterarium, inuenta, doctos, omnium artium fata, & quæ præterea ad hoc in-*

ſtitutum

ſtitutum ſpectant, omni ſtudio interpretatus ſum, adiecique rariora, Hiſtoriam Philoſophiæ Scholaſticæ a ſeculo vsque duodecimo, Hiſtoriam litterarum ſec. XIV & XV renaſcentium, Germaniam eruditam eo tempore, cum Lutherus ſacra repurgare inciperet, diſſertationes de poetis Theologis, Rabbinis recentioribus, Reſtitutoribus auctorum claſſicorum, ſcriptoribus ſupplementorum, doctis ſycophantis, qui antiquis tot libros ſuppoſuerunt, & huius generis alia. Subſequitur n. IX. *Notitia librorum vniuerſalis,* de qua ita loquitur: *noua & ampliori methodo conſcripta, in partes diuiſa IV, quarum prima ſcriptores claſſicos Hebræos, Græcos, Latinos, Arabes ab initio mundi vsque ad ſeculum XII ordine Chronologico, præterea ἀχρένους ſuppoſitos percenſet: ſecunda libros ad quamlibet diſciplinam ſpectantes, tertia libros rariores, bonos ac malos atheiſticos, obſcænos, paradoxos, ſatyricos enumerat, quarta denique miſcellanea varia, v. g. Scholiaſtas, Gloſſatores & Gloſſaria, ſcriptores nauticos, Ruſticæ rei, Hortulanos, Ampelurgicos &c. Bibliographos nationum & itinerariorum conditores ſubiungit.* Promiſſa hæc ſunt, atque reliqua promiſſa manebunt. Quis enim crederet, vnum virum tot perfecturum eſſe volumina, quæ vel decem, immo plures, ſummæ eruditionis viros occuparent. Sub initium quidem ait: *iſta vero, quæ promiſeram, me vel hodie ſoluturum, ſi per me ſtaret:* ſtatim autem ſub-

iungit: *obtuli Musis catalogum sequentem scriptorum vel elaboratorum vel affectorum.* Si itaque partim affecta, qua ratione vel hodie soluerет. Certe nemo mihi persuadebit, omnia hæc, quæ promittit, ita esse adfecta, vt propediem lucem possint adspicere. Cogitata sunt, Collectanea, promissa, nunquam speranda omnia. Idem vniuersalem litterariæ rei historiam concinnandi institutum fuisse videtur IOANNIS BVRCARDI MAII, dum societatem suam disquirentium inchoaret, quæ tamen in primis substitit conatibus. De quo infra, vbi de societatibus eruditorum sermo erit, agemus pluribus.

§. XV.

Quod si conatus hosce consideramus, mirari desinamus, cur ad effectum non fuerint ducta, quæ sibi proposuerunt etiam magni viri. Tam inexhausta enim res est, vt facilius sit Atlanti humeros orbi supponere, quam magnis etiam viris, vniuersali operi litterario. Legamus, quæ Neander de Pandectis suis prædicauerat, quantus labor! Inspiciamus prodromum Lambecii, quanta difficultas! Certe, vnus homo non sufficit, si vel Gesneri ingenium, Neandri eruditionem, Verulamii sagacitatem, Lambecii industriam, Conringii prudentiam possideat. Vix itaque tale opus expectandum. Hoc tamen meo quidem iudicio, optimum esset con-

conſilium, ſi plures, contracta inter ſeſe ſocietate, operi manum admouerent. Tales tamen eſſe oportet, qui litterariæ rei vnice dediti, vel magnis Bibliothecis præſunt, vel iisdem vtendi facultatem habent. Hi partitis inter ſe, pro cuiusque genio, laboribus, opus adgrediantur, his pateant bibliothecæ, his non denegetur aditus ad viros eruditos, hi communicato conſilio agant, hi elaborata ſua ad ſingulorum cenſuram, antequam imprimantur, exhibeant, dirigente vniuerſum negotium viro quodam magno, qui ob prudentiam non ſolum, ſed etiam eruditionem maxima pollet auctoritate. Hæc ſi ita dirigantur, vel poſt decennii labores, vniuerſale opus, idemque egregium eſſet expectandum. Verum, vana ſunt, fateor, quæ dico, nunquam in effectum deducenda. Vbi enim reperiemus viros, qui mutua animorum ſtudiorumque coniunctione hoc agerent? Vbi patent ſemper Bibliothecæ, vbi aditus ad viros eruditos, qui inuidentes communi bono, arcana, ſi quæ habent, plerumque ſibi ſeruant? Quis concederet impenſas? non Principes, inter arma enim ſilent leges & ſtudia; multo minus Bibliopolæ, qui ſumtibus ferendis non ſunt pares, alias etiam lucri ſaltim cupidi. Optanda res magis eſt, quam ſperanda.

§. XVI.

Isti quidem sunt, qui generalem conati fuerunt Historiam litterariam: alii reperiuntur, qui in eandem introducunt, huius fundamenta & præcipua alia proponentes. Talem introductionem ad rei litterariæ generalia & scriptores huc facientes optime dedit DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS, in *Polyhistore suo*, qui *Lubecæ* 1695. 4 prodiit. Hunc nuper demum auctiorem edere promisit IOANNES MOLLERVS, Gymnasii Flensburgensis Rector, ita vt polyhistor litterarius integer septem libris constet, quorum tres priores bibliothecarius, methodicus & παρασκευαστικὸς iam antea excusi, emendatiores prodirent: quatuor vero posteriores, Grammaticus, Criticus, Oratorius & Poeticus de nouo ex Msto auctoris in concinnum ordinem redacti, atque in capita & paragraphos distincti. Sic etiam ab eiusdem cura expectandus erit Polyhistor Philosophicus, quæ omnia ex Mstis auctoris desumta, atque sub prelo priora ista iam desudant. Hæc, vt propediem edantur, optamus. Hoc autem opus me præcone non indiget, illud saltim dico, fundamenti loco esse debere illis, & sedula manu versandum, qui rei litterariæ curam habent. Promisit eadem methodo IOANNES GRÖNINGIVS *polyhistorem Iuridicum*, ex cuius tamen editis

multis fuit incitamento ad studium hoc prosequendum!

editis patet, eundem Morhofio longe imparem eſſe, vt adeo idem adplauſus minime ſit ſperandus. Ante Morhofium ſcripſit VALENTINVS HENRICVS VOGLERVS *introductionem vniuerſalem in notitiam cuiuscunque generis bonorum ſcriptorum*, quæ cum notis HENRICI MEIBOMII *Helmſtadti* prodiit *1691.* 4. & recuſa eſt *1700.* 4. Hæc breuior licet ſit, iuſtam tamen delineationem rei litterariæ exhibet, atque ob additas notas eruditisſimas eſt commendanda, quæ non omnem quidem rem exhauriunt, multum tamen ad rei litterariæ notitiam momenti præbent. Addimus auctorem anonymum, qui tractatum ſcripſit *de la connoiſſance des bons livres, ou examen de pluſieurs auteurs, a Amſterdam 1672.* 12. de quo tamen iam Morhofius dicit, quod regulæ, quas de auctoribus habet, nimis ſint generales, & quod tota res in cenſuram quorundam ſcriptorum Gallicorum deſinat. Taceo ANTONII POSSEVINI *Bibliothecam ſelectam*, quæ ex vltima editione prodiit *Coloniæ 1607. f.* cum paruum in ſeligendis ſcriptoribus exhibeat iudicium, immo in Proteſtantes ſit iniquisſimus. Studiorum rationem præſcribere conatur, eandemque per omnes diſciplinas, ita, vt in quauis indicaret etiam ſcriptores præcipuos, ſed nimiis excurſibus lectorem fatigat. Maiori in pretio habendus eſt Eius-

dem *Adparatus sacer*, *Coloniæ* 1608. *f.* editus, qui tamen solum ad Bibliothecam facit Theologicam.† Haut ita pridem prodiit CASPAR GOTTSCHLINCKS *Einleitung zur Wissenschafft guter vnd meistens neuer Bücher, Dresden* 1702. 8. Sed solus est conatus, in quo nec acccurata dispositio, nec librorum selectus obseruatur, ita, vt parum vtilis sit labor.

† quippe in quo aliquot millia Scriptorum Theologicorum adducuntur sed sine iudicio.

§. XVII.

Facit huc etiam *Bibliographia Historico-Politico-Philologica curiosa, quid in quouis Scriptore laudem censuramue mereatur, exhibens, cui præfixa celeberrimi cuiusdam viri de studio politico bene instituendo dissertatio epistolica posthuma*, *Germanopoli* 1677. 8. Ipsa hæc Bibliographia sine omni dubio BOECLERI est, qui eandem in calamum auditoribus dedit. Dispositionem exhibet Litterariæ rei non solum, sed etiam selectum scriptorum docet, breuibus hinc inde additis iudiciis. Verum, licet non sine vtilitate labores sint, neque tamen ita comparatæ, vt Bœclerus hanc Bibliographiam edi voluisset. Accedit, quod ex tam deprauato Msto edita, vt nomina, præsertim propria, plurimum sint corrupta. Accessit Bibliographiæ *Bibliotheca politica contracta, hoc est, recensus & iudicia de Scriptoribus politicis & ad politicam pertinentibus, inprimis autem Historicis.* Hunc tractatum non Bœcleri, sed BO-

SII eſſe, plane nullum ſubeſt dubium. Statim enim ac Bibliotheca iſta contracta, prout ex Boſii ore calamo excepta prodiret, ſed admodum deprauata, mouebatur Boſiana vidua, vt hunc beati mariti laborem ex autographo emendationem edi curaret, opera ad id vſa *Georgii Schubarti*, Præceptoris olim atque anteceſſoris venerandi. Edidit ille hunc Boſii laborem emendatiorem atque auctiorem, ſub titulo: *diatribæ hiſtoricæ de prudentia & eloquentia ciuili comparanda*, *Ienæ* primum *1678. 4* recuſas *1698. 4.* Ioannes Fechtius quidem præfatione, Bœcleri ſeculis IV prioribus præmiſſa, aliquot motus argumentis, Bœclero etiam hunc laborem adſcribere conatur, quem ideo ſequitur Carolus Arndius Bibliotheca politico-Heraldica ſelecta p. 29. Verum maior fides habenda eſt Schubarto, diſcipulo, editori atque curatori ſcriptorum Boſianorum, immo ipſius huius ſcripti. Legatur præfatio priori & ſecundæ editioni præmiſſa, res omnis patebit. Ipſi mihi Mſtum Boſianum videre contigit. Teſtantur tot diſcipuli, qui Boſium in calamum hæc dictantem audiuerunt. Immo quis Boſio hæc ex noſtratibus adſcriberet, ſi ipſius non eſſent. Sane Schubartus ſub eius nomine non edidiſſet. Boſius aliunde famam habet, ſi vel hoc ipſum ſcriptum non extaret. Ita eſt, Bibliotheca politica

contracta & diatribæ de comparanda prudentia ciuili non nisi titulo atque emendatione differunt,

§. XVIII.

Alii in ipsa rei litterariæ atque Bibliothecarum dispositione fuerunt occupati. Ita FLORIANVS TREFFLERVS Benedictenburanus Cœnobita, vti se adpellat, librum, edidit, cuius titulum integrum hic adponemus: *Methodus, exhibens per varios indices & classes subinde, quorumlibet librorum, cuiuslibet bibliothecæ breuem, facilem, imitabilem ordinationem. Qua sane peraccommode & sine multa inquisitione occurrat studiosis optata inuentio & lectio eorundem, Augustæ 1560. 8.* Hic & de disponenda Bibliotheca & huius conficiendo indice regulas præscribit, sed absurda nimis sunt, quæ profert; dispositio nimium generalis, sæpe etiam parum congrua, CLAVDII CLEMENTIS *museum*, seu instructio Bibliothecæ tam publicæ quam priuatæ, *Lugduni* prodiit *1636. 4.* Sed bene cum Bailleto iudicat Morhofius, quod multa ad hoc argumentum coaceruet auctor, ast in alienis potius sit occupatus & generalibus, in externis, quæ spectant ad ornatum Bibliothecæ, in picturis & similibus. Multa ex antiquitatibus Bibliothecarum eruit & philobiblias studium exponit. Litterarios quidem scriptores dispertiri docet, sed generalis saltim est dispositio. IOANNES HENRICVS

HOT-

HOTTINGERVS post hosce, *Bibliothecarium* scripsit *quadripartitum*, *Tiguri* editum *1664. 4.* in quo præmisit ideam Bibliothecæ vniuersalis, vbi agit de Bibliothecarii officio, Bibliothecarum instructione, aliisque, quæ ad modum contexendi Catalogi faciunt. Multa desumsit ex Naudæi libro de instruenda Bibliotheca. Quæ vero habet de locis communibus rei litterariæ instituendis, Lambecii methodum sequitur, dum Bibliothecam ita institui iubet, vt seruato materiarum ordine, illa ipsa dispositio instar locorum communium esse possit, non negligenda quidem sunt, paullo tamen videntur operatiora. Huc etiam facit IOANNIS BAPT. CORDONÆ, episcopi Tortosani tractatus *de instituenda atque amplificanda Bibliotheca regia Scorialensi*, qua modum instituendæ atque disponendæ Bibliothecæ exponit, sed obiter saltim materiam tractat.

§. XIX.

In hoc præsertim genere occupatus potissimum fuit GABRIEL NAVDÆVS, præcipuus inter litteratores Gallorum. Admodum rarum olim scriptum ipsius erat *auis pour dresser vne bibliotheque*, *præsenté a Mr. le Præsident de Même, à Paris 1627. 8.* Hic liber postea in latinum versus dicitur in Catalogo librorum Naudæi ab Erico Mauritio, cum præfatione, notis & epistolis duabus, de præ-

 cipuis

cipuis ac ineditis nonnullis Galliæ ac Germaniæ bibliothecarum Mſtis, *Hamburgi 1658. 12*, qui tamen in catalogo Francofurtenſi quidem promiſſus, non autem editus. Nuper demum inter alia a Venerabili abbate, Schmidtio, latino ſermone prodiit. Saliuam autem mouerat, dum ſperarem, me plenarie ex eodem inſtructum iri de iuſte ordinanda bibliotheca, cum Naudæus pro tali habeatur, qui Germanos rem litterariam docuerit: ſed ipſe liber, poſtquam inſpectus, deſiderium non adimpleuit. Generalia enim ſunt, quæ demonſtrat. Docet quidem, quoscunque libros eſſe comparandos, atque aliqua media præſcribit, quæ in comparandis iisdem obſeruare conueniat: hæc tamen ex Morhofii polyhiſtore lib. I. cap. IV. melius hauriuntur. Laudanda ſunt, quæ de loco atque ornatu bibliothecæ habet, etiam vbi de ordinanda & diſponenda bibliotheca agit, dum regulas quasdam generales exhibet, ad particularia tamen non deſcendit. Licet autem in hoc tractatu generalis tantum ſit Naudæus, iuſtum tamen ordinem ſeruauit in concinnando catalogo *bibliothecæ Cordeſianæ*, qui *Pariſiis* prodiit *1643. 4*, in quo hiſtoricorum diſtributio pro bibliothecæ conditione accuratior eſt, licet pro vniuerſæ rei litterariæ ratione plures adhuc ſectiones, quam quas Naudæus in diſpoſitione iſtius biblio-

thecæ

thecæ fecit, potuissent fieri. Hic vir eruditissimus cum vbique promouere studeret rem litterariam, plura edidit, quæ multum alias prodesse possunt. Edidit quippe *le Marfore, où discours contre les libelles à Paris 1620. 8. Addition à l' histoire de Louis XI. à Paris 1630. 8*, quibus statum rei litterariæ sub Ludouico XI describit, in qua etiam p. 97. Bibliothecam Memmianam citat, non tamen editam. *Remise de la Bibliotheque de Mr. le Cardinal Mazarin par le Sr. Naudé, entre les mains de Mr. Tubeuf. 1651. 4. Auis à Nosseigneurs de Parlement sur la vente de la Bibliotheque de Mr. le Cardinal Mazarin 1652. 4*, quibus parlamenti Gallici senatores mouere conatur, ne diuendatur bibliotheca Mazariniana, tanta cura collecta. Bibliographia politica, gallice & latine sæpius edita, atque similia.

§. XX.

Præter illos autem, qui rem litterariam atque Bibliothecas docent disponere, huc faciunt illi, qui Catalogos Scriptorum ediderunt. Optandum sane, vt perfectum haberemus catalogum vniuersalem omnium Scriptorum ordine alphabetico collocatorum, in quo adnotata essent, quæ ad vitam, scripta & statum cuiuslibet scriptoris facerent, quo tamen sane sumus destituti. CONRADVS GESNERVS primus est, qui illud fuit conatus. Hic enim *Bibliothecam* composuit, siue

ſiue *Catalogum vniuerſalem*, *Tiguri* apud Froſchouerum *1545 f.* ſecundum alphabetum & auctorum nomina ordinatum. Hunc catalogum primum in compendium redegit CONRADVS LYCOSTHENES, mancum tamen atque vſus exigui, cum nec formam librorum, nec locum vel annum editionis notet, nec etiam nomen Typographorum indicet. Poſt eum IOSIAS SIMLERVS in epitomen redegit eundemque variis auctoribus locupletauit, atque edidit *Tiguri 1547 f.* Poſt vero aliquot mille, cum antiquiorum, tum nouorum auctorum opuſculis ex Vienneſi Bibliotheca amplificata fuit per IOANNEM IACOBVM FRISIVM, *Tiguri 1583 f.* ANTONIVS VERDERIVS quoque auctarium quoddam breue compoſuit in quo Gallos potisſimum ſcriptores memorat, a Simlero prætermiſſos, quod poſtea editioni *Lugd. 1583. f.* factæ acceſſit. In hunc quoque notulas Mſtas BONAVENTVRÆ VVLCANII teſtatur Morhofius Polyh. lib I. c XVIII. Deinde IOANNES HALLERVORDIVS *Bibliothecam* ſuam *curioſam* edidit *Regiomonti 1687 4.* Hanc auctarium eſſe voluit Gesneri, ſed admodum imperfectum, cum nihil aliud agat, quam vt recentiores potisſimum ſcriptores recenſeat, horumque tum ſtatum, tum ſcripta indicet. Huc facit etiam GEORGII MATTHIÆ KöNIGII *Bibliotheca Vetus & noua*,

noua, quæ *Altdorfi* prodiit *16[illegible]8 f.* Ordine alphabetico auctores enumerat, breuem eorundem ſtatum & ſcripta potiora deſcribens. Sed, præter errores varios, pauca de Scriptorum ſtatu, ſæpe etiam nihil, vix vnum atque alterum ſcriptum adducitur, immo minima auctorum pars, cum plerique plane fuerunt omiſſi. Inſeruire tamen hoc modo poterit, vt inſerta charta munda, ad eandem ſuo loco notemus, ſi quid reperiamus, quod notatu eſt dignum, ad vitam & ſcripta eruditi cuiusdam faciens, vt Locorum communium inſtar, ad ſtatum Scriptorum noſcendum eſſe posſit. CHRISTOPHORVS HENRICI a Bibliotheca olim Boruſſorum Regis Berolinenſi, aliquot ante annos inſtitutum cœpit edendi vniuerſalem Scriptorum Catalogum, quem ordine alphabetico digesſit. Primas duas litteras A & B. edidit ſub titulo *Pandectarum Brandenburgenſium, Berolini 1699. f.* Multum præſtitit in ſcriptoribus horumque ſcriptis recenſendis, ita vt varia adducat, quæ ad vitam & ſtatum ſcriptoris faciunt, & ſæpius remittat ad alios, qui pluribus de eodem egerunt. Sed quod dolendum, ſolus hoc opus ſuſcepit, cui vnum hominem parem non eſſe, omnes adgnoſcunt eruditi. Quare etiam de eodem opere eſt dicendum, varios hinc inde commiſſos eſſe næuos, multos ſcriptores vel horum

ſcri-

de multis plane nil dicere fuit.

scripta omissa, de scriptorum autem vita breuius, quam par erat, dictum. Neque tamen plane negligenda est cura auctoris, quin potius mirari licet eius stupendum laborem, qui si non in omnibus adplausum habet, sane non desinit esse vtilis. Ita autem sperandum esset de Catalogo vniuersali, si quatuor vel plures litterariæ rei peritissimi, qui magnis bibliothecis præsunt, coniuncta manu hoc opus adgrediantur, operas inter se partiti, secum communicantes adnotata. THEOPHILVS SPITZELIVS *sacris* suis *Bibliothecarum retectis* inseruit *specimen nouæ Bibliothecæ vniuersalis*, qua omnes auctores a syllaba AB incipientes enumerat. Id quidem, vt doceat potissimum, quem vsum habeat collectio catalogorum de Mstis, sed facile hoc specimen ad impressorum quoque Bibliothecam vniuersalem poterit inseruire.

§. XXI.

Isti quidem sunt, qui Bibliothecas secundum nomina auctorum ordine alphabetico proposuerunt: alii secundum disciplinas vel materias Bibliothecas ordinarunt. Præter Gesnerum in Pandectis suis, de quibus supra, primus est PAVLVS BOLDVANVS. Edidit ille *Bibliothecam Theologicam, Ienæ 1614. 4* & cum continuatione *Lipsiæ 1622. 4. Bibliothecam Philosophicam, Ienæ 1614. 4* & *Bibliothecam Hi-*

Hiſtoricam, Lipſiæ 1620. 4. Hunc ſecutus eſt GEORGIVS DRAVDIVS, cuius *Bibliotheca claſſica Francofurti* prodiit 1625. 4, quæ ſecundum diſpoſitionem litterariam libros omnium diſciplinarum & diuerſi idiomatis indicat. Sed horum labores in eo tantum conſiſtunt, vt libros ex catalogis Francofurtenſium extraherent, eosdemque certo ordine diſponerent. Verum, nec ordo eſt iuſtus, nec ipſe librorum index, cum multi libri adducantur, qui in catalogis promiſſi, nunquam tamen editi, ita, vt cum iudicio omnino ſint adhibendi, atque paruam hodie præbeant vtilitatem. Ex recentioribus nundinarum Catalogis SIMON PAVLI, Argentoratenſium Bibliopola *Bibliothecas* ſuas ſecundum diſciplinas ſaltim ordine alphabetico diſpoſitas edidit *Argentorati 1617. 4.* Idem fere eſt inſtitutum CHRISTIANI THEOPHILI LVDOVICI, Wittebergenſium Bibliopolæ, qui nuper edidit *Bibliothecam nominalem curioſam, ſeu notitiam auctorum & librorum maximam partem noſtri æui.* Hæc non quidem ſecundum diſciplinas, ſed iuxta auctorum nomina ordine alphabetico fuit inſtituta *Wittebergæ 1703. 8.* Sed, quilibet ſtatim videt, non niſi indicem eſſe librorum, quos in bibliopolio ſuo habet, in quo tamen circa ſcriptorum ſtatum, quem addidit, nonnunquam errauit. Prodiit eiusdem continuatio *Witte-*

ber-

bergæ 1705. 8 cui adiecta etiam est designatio nummophylacii, quod possidet, cum breui nummorum descriptione. Promisit etiam bibliothecam realem curiosam. Maioris curæ atque industriæ sunt labores varii CORNELII BEVGHEM, Embricensis. Prima erat, *Bibliographia Iuridica & Politica, Amstelodami 1679. 12* Hanc sequebatur *Bibliographia Medica & Physica nouissima, Amstelodami 1681. 12*, quæ catalogum præbet Librorum Medicorum, Chymicorum, Anatomicorum, Chirurgicorum, Botanicorum & Physicorum, quotquot ab anno 1651 prodierunt. Dispositio alia non est, quam secundum nomina auctorum ordine alphabethico, atque diuersa scriptorum idiomata, nec ad aliud facit, quam ad noscendos titulos. Secuta fuit eadem ratione *Bibliographia Historica, Chronologica & Geographica, Amstelodami 1685. 12* eadem methodo conscripta, accessit syllabus iconum, quæ in eius musæo spectantur. Hanc excepit *Bibliographia Mathematica & artificiosa nouissima, Amstelodami 1688. 12.* Extat quoque eiusdem *apparatus siue ad historiam litterariam conspectus*, quo indicem scriptorum omnium, vbi in ephemeridibus sermo erit, plenius dicemus. Has quidem Bibliothecas perpetuo continuare promisit, neque tamen factum illud esse noui. Nuper demum BARTHOLDVS HENRICVS WüSTHOFFIVS noua metho-

do

do Bibliothecas disponere adgressus est. Primum quod prodiit, *Bibliotheca Iuridico-Politica erat ordine alphabetico distributa, Lipsiæ 1704.* 4. Hanc insecuta fuit *Bibliotheca Theologico-Philologica ordine alphabetico distributa, & per modum tabularum confecta, Lipsiæ 1705. 4.* Promittit vlterius *Bibliothecam Rabbinico-Philologicam, Bibliothecam Historicam Profano-Ecclesiasticam, Bibliothecam Philosophico-Mathematicam, Bibliothecam Litteratorum & Antiquariorum, Bibliothecam Medico-Physicam, Bibliothecam Miscellaneorum, Bibliothecam disputationum iuxta seriem facultatum recensitarum, Bibliothecam concionum festiualium, temporalium, funebrium &c.* Immo in continuatione imposterum libros omissos esse suppleturum. Certe, vsum quidem habent hæ Bibliothecæ, accuratius editæ, quam hucusque memoratæ, verum tales non sunt, quales promiserat Tentzelius *Curieuse Bibliothec ersten Repositorii fünftes Fach* p. 472. vt desiderata eruditorum possint adimplere, nisi quod præter Bibliopolam, quem addit, titulus solito prolixior exprimatur, typorum character per notas indicetur, & si marginalia, indices vel summaria fuerint adiecta, atque in Bibliotheca Theologica patria & status auctorum, Bibliopolis magis proficuæ sunt, quam eruditis. Licet enim ex pleniori tituli expressione de libro quandoque certius constet, nec tamen in omnibus hæc

C pro-

procedunt, cum ſæpius materia libri titulum non adæquet. Vt taceam, quod de libri præſtantia ex ſolo titulo iudicari non poſſit. Interim tamen illis inſeruire poterunt, qui catalogum librorum vniuerſalem, ſecundum alphabeti ordinem concinnare voluerint. Unicum adhuc addo MARTINVM LIPENIVM, qui & ſecundum diſciplinas & materias Bibliothecas diſponit. Habemus Eiusdem *Bibliothecam Realem Iuridicam Francofurti ad Mœnum 1679. f. Bibliothecam Realem Medicam, Francofurti 1679. f. Bibliothecam Realem Philoſophicam, Francofurti 1682. f.* & *Bibliothecam Realem Theologicam, Francofurti 1685. f.* Sub materiis ordine alphabetico digeſtis libri disponuntur, vt vere realis ſit Bibliotheca, atque ſub titulo cuiuslibet materiæ libri ſtatim pateant vno obtuitu, qui de eadem ſcripſerunt. Vtilitatem quidem ſuam habent, ſuos æque næuos, & quidem, quod in diſponendis libris non adeo ſint accuratæ, extantiores atque meliores libri ſæpe vel omiſſi vel perperam adducti, in recenſendis vero diſputationibus & librorum ſæpe quisquiliis refertisſimæ.

§. XXII.

Ab aliquo tempore CASPAR THVRMANNVS per particulares ſuas bibliothecas, quas edidit, innotuit. Edidit autem *Bibliothecam academicam*, ſiue de rebus & iuribus

ribus non tantum academiarum & academicorum, ſed etiam Doctorum, aliorumque eruditorum extra academias viuentium, immo vniuerſæ rei litterariæ immunitatibus, priuilegiis atque prærogatiuis, cum præfatione Samuelis Stryckii, *Halæ 1700. 4*, in qua ſub ſuis titulis ordine alphabetico diſpoſitis ad ſcriptores remittit, qui de ſingulis materiis, vel ſpeciali libello, vel in aliis ſcriptis ſuis egerunt. Simile inſtitutum ſeruauit in *bibliotheca Canonicorum*, in qua de Canonicis & Canonicatibus, *eorumque collegiis ſeu Capitulis, ſtatu & officiis, reſidentiis, ſtatutis, priuilegiis, præbendis, vicariis & quæ eo pertinent*, remisſiue iuxta ſeriem alphabeti agit, cum præfatione Io. Chriſtophori Heroldi, *Halæ 1700, 4. Bibliotheca Duellica, ſeu de barbara ac belluina duellandi conſuetudine & quæ eo ſpectant, Halæ 1700. 4. Bibliotheca Statiſtica, ſeu de auctoribus præcipuis, qui de ratione ſtatus, Statiſtis, ſeu ſtatus aliisque Miniſtris aulicis, & conſiliariis, nec non de Ambaſciatoribus, Reſidentibus & Mediatoribus Pacis, vt & de caſibus Miniſtrorum aulicorum tragicis & denique de bonis domanialibus ſcripſerunt*, cum præfatione Ahasueri Fritſchii, *Halæ 1701. 4. Bibliotheca Salinaria, de Salibus, Salinis harumque iuribus, Halæ, 1702, 4.* Meditabatur alias *Bibliothecam Mercatoriam, Maritimam & Nauticam*, in quam quidquid ad Mercatorum negotia facit, tractare ſibi eadem methodo propoſuit, eamque propediem euulgatum iri

promiſerant Collectores nouorum litterariorum Hamburgenſium menſe Aprili anno 1703. p. 157. Verum hæc atque alia cum morte Thurmanni interiere. Non inutilis labor eſt illis, qui, dum certis inſudant materiis elaborandis, inde hauriant, vbi de quauis materia agatur, vel integro libro vel ſparſim: alias, cum nullus ſeruatus ſit ſelectus, & promiſcue ſcriptores quicunque adlegati, ad notitiam rei litterariæ non adeo proficiunt.

§. XXIII.

Sed præter eos, qui generalem methodum præſcribunt diſponendæ rei litterariæ, huc etiam inſeruire poſſunt Catalogi bibliothecarum, quos publice habemus editos. Neque tamen hic dicemus de catalogis Bibliothecarum publicarum, ſed de priuatarum ſaltim, & qui iuſto ordine litterario fuerunt diſpoſiti. Inter hoſce ob iuſtam diſpoſitionem præcipue æſtimari debet *Catalogus bibliothecæ Thuaneæ* a PETRO & IACOBO PVTEANIS ordine alphabetico primum diſpoſitus, tum ſecundum ſcientias & artes ab ISMAELE BVLLIALDO digeſtus & IOSEPHO QVESNEL, *Pariſiis 1679. 8.* editus, recuſus *Hamburgi 1704 f. & 8.* Videmus in eodem libros ſecundum diſciplinas atque litterarium ordinem iuſte diſpoſitas, ita vt quoque ſectarum, nationum, atque ætatis ſcriptorum habita fuerit ratio, atque ideo ob ordi-

ordinem & selectum maxime commendandus. PETRI SCAVENII *designatio bibliothecæ regiæ Hafniensis, Hafniæ 1665, 4.* ob ordinatam dispositionem est æstumatissima. IOANNES GARNIER *systema* edidit *Bibliothecæ Collegii Parisiensis Societatis Iesu, Parisiis 1678. 4.* quo non tam Bibliothecam ipsam describit, quam potius generalem Bibliothecæ disponendæ ideam proponit, sed nimis generalem. Inter præcipuos quoque haberi debet *Catalogus Bibliothecæ Cordesianæ,* quem GABRIEL NAVDÆVS accurato ordine digestum edidit *Parisiis 1643. 4.* Ioannes Cordesius enim, Canonicus Lemouicensis omnes opes suas in Bibliothecam hanc impenderat, eandemque insigni Historicorum, præsertim exoticorum copia instruxerat, vt ideo ob selectum & ordinem maxime commendanda. IOANNES GVALTERVS, Cardinalis SLVSIVS instructissimam sibi comparauerat Bibliothecam, quam ordinauit, eiusdemque *Catalogum* edidit FRANCISCVS DE SEINE, *Romæ 1696. 4.* Quinque continet partes, ita vt prima comprehendat Libros Theologicos, altera Iuridicos, tertia Medicos & Philosophos, quarta Historicos sacros & profanos, quinta Litteratores & Philologos. Singulæ partes suas classes habent, in quibus scriptores alphabetico ordine fuerunt dispositi. De ANGELICI APROSII *Bibliotheca,* mul-

olim diſceptatio an edita, cum Morhoſius Polyhiſtore lib. I. cap. V. VII. & XIV. ad eandem ſæpe prouocet, neque tamen editam dicat. Placcius autem in ſua inuitatione amica, Gregorius Leti in Italia regnante p. IV. p. 378. atque ex iis Bælius demonſtrarunt, partem *Bibliothecæ Aproſianæ* priorem *Bononiæ* impreſſam eſſe *1673. 12.* Neque tamen deſiderium, quod Morhoſius mouerat, adimpleuit, cum in hoc libro comprehendantur ſaltim ſcriptores, quorum nomina a litteris A B C exordiuntur, atque cum elogiis nominantur, qui opera ſua Aproſianæ Bibliothecæ inſeri voluerunt, ita, vt ad ſcriptorum notitiam potius faciat, quam librorum ordinem. Non tam ad ordinem, quin potius ad ſelectum atque libros rarisſimos noſcendos facit *Catalogus Bibliothecæ* NICOLAI HEINSII & IOANNIS GEORGII GRÆVII. Qui vero nuper prodiit *Catalogus Bibliothecæ Spitzelianæ*, nec ob ordinem commendandus, nec ob ſelectum. Farrago eſt librorum vndiquaque quæſitorum, bonorum æque, ſed multis inſertis quisquiliis. Inter præcipuos noſtræ ætatis Catalogos ob librorum numerum, præſtantiam, ſelectum atque diſpoſitionem numerandus eſt *Catalogus Bibliothecæ Tellerianæ, Pariſiis 1693. f.* qui ideo laudem ſuam habet, quod idea ſit diſpoſitionis, quæ de Bibliotheca Regia olim ſperabatur in publicum

blicum

blicum edenda. Eminet vero potisſimum, in libris ad Theologiam atque Hiſtoriam eccleſiaſticam facientibus. Hoc tamen de catalogis bibliothecarum eſt monendum, non in omnibus ad iſtos vel totius rei litterariæ, vel aliarum bibliothecarum diſpoſitionem, fieri poſſe. Bibliothecæ pro conditione ſua diſponuntur, quæ variat ſæpe, ita vt magnum hac in parte adhiberi debeat iudicium.

§. XXIV.

De ordine quidem diſponendarum bibliothecarum varios modos tradit Morhofius lib. I. cap. V. Hoc autem bene notandum, aliter ordinandam eſſe bibliothecam, aliter diſponendam rem litterariam & excerpta, quæ de eadem fieri debent. In illa, partes tantum diſciplinarum ſpeciales veniunt, conſiderandæ: hæc ad magis ſpecialia ſe, extendunt. Generalis quidem diſpoſitio vbique ſeruanda, ita vt Bibliotheca ſit vel Theologica, Iuridica, Medica, Philoſophica, Philologica, Hiſtorica, Mathematica, Rabbinica & linguarum Orientalium. In ſingulis certæ fieri debent ſectiones, quæ tamen ſpeciales magis in excerptis rei litterariæ, quam in diſponenda bibliotheca. Exemplo nobis ſit bibliotheca Theologica, quæ vulgo diuiditur in Biblicam, Patriſticam, Exegeticam, Moralem, Catecheticam, Symboli-

cam, Polemicam, Homileticam, Afceticam, Dogmaticam, Myfticam, Hiftoricam, Cafuifticam, Practicam, Theologiæ Marianæ Scriptores, Rituales, Heterodoxos &c. Hæc difpofitio fufficere poteft in bibliothecis ordinandis, maxime, fi etiam religionum habita fuerit ratio, ita vt Lutheranorum, Caluinianorum, Pontificiorum & hæreticorum fcripta feparatim collocentur. Sed in excerptis rei litterariæ, chronologiæ & feculorum, nationum, religionis, magnitudinis libri, idiomatis, difpofitionis, tractationis, aliarumque rerum habenda erit ratio. Sic generalis eft clasfis bibliothecæ exegetica, vbi in bibliothecis promifcue, habita tantum religionum ratione collocantur quicunque. Generales primum, qui ad vniuerfa Biblia commentati, poft hos fpeciales, qui in fingulos tantum libros. Res litteraria vlterius progreditur, & inter exegeticos confiderat primum patres, fecundum fua fecula, quales in euangelia habemus Catenam Græcorum patrum, dein, qui paraphrafes ediderunt, Erasmum Roterodamum, Theodorum Betzam, Erasmum Schmidium. Tertio loco eos, qui fenfum Theologicum eruunt, vt Calouii Biblia illuftrata, ex pontificiis Cornelium Ianfenium, ex reformatis Friderici Spanhemii dubia euangelica difcuffa & vindicata.

dicata. Quarto veniunt illi, qui Harmoniam euangeliorum ſcripſerunt, vbi habemus ex Lutheranis, Harmoniam Lyſero. Chemnitio - Gerhardianam, ex reformatis harmoniam Ioannis Clerici, ex pontificiis Ioannis Maldonati. Quinto conſiderandi veniunt, qui textum philologice fuerunt interpretati, Grotius, Heinſius, Ligthfootus, aliique & ſic porro. Magis accurata diuiſio obuenit adhuc in ſcriptoribus hiſtoricis. Singularem methodum ſeruauit Bailletus, quam adducit Morhofius polyhiſt. lib. I. cap. V. p. 38. Duplicem hic indicem confecit bibliothecæ Lamonianæ, cui præfectus eſt, alphabeticum alterum & realem. *Primum* inquit Morhofius *ordine alphabetico omnes libros digesſit, non omisſis etiam illis, qui in vaſtioribus voluminibus aliis commiſti continentur. Deinde in titulis ordinem Chronologicum & Geographicum obſeruauit: Titulorum materias vlteriores capitibus, capita paragraphis, paragraphos numeris, numeros articulis & hos ſectionibus diſtinxit. In titulis regionum, primo locorum chorographiam ac topographiam, deinde religionem ac mores, tum eccleſiaſticam hiſtoriam, poſtea heterodoxiæ hiſtoriam obſeruauit. Sequuntur rerum ſecularium in republica geſtarum, negotiorum ciuilium, ſtatutorum ſcriptores, hiſtoria litteraria, ac denique Miſcellanea.* Videmus ergo, quot ſectiones dentur in Excerptis litterariis hiſtoriæ

ſpecialis, cum in Bibliotheca ſufficiat, ſi Scriptores de rebus Hiſpaniæ, Galliæ, Belgii &c. coniunctim collocentur. Quod ſi itaque certa diſciplina ordine litterario ſit diſponenda, primo loco ſemper venire debent prolegomena de ſcriptoribus iis, qui iam talem bibliothecam ſpecialem ediderunt, vel de vitis clarorum virorum, qui in iſta diſciplina excelluerunt, egerunt. Caput primum continebit ſemper fontes, e quibus hauriuntur, quæ ad iſtam diſciplinam ſpectant. In Theologicis primo veniunt S. Biblia, horumque editiones diuerſæ. In Iure habemus Corpus Iuris, & varias conſtitutiones gentium atque prouinciarum particularium. In Medicis, antiqui iſti ſunt Hippocrates, Galenus & ſimiles. In Philoſophicis, Ariſtoteles, Plato: atque ex recentioribus, Carteſius, Gaſſendus & ſimiles. Tales enim primas ſemper faciunt, cum ſine iſtis non intelligamus, quid ad diſciplinam faciat. Alterum caput conſtituent commentatores, qui hiſtoriam, ideas, ſyſtemata vel polemica certæ diſciplinæ tradiderunt. Quarto veniunt illi, qui integris Operibus de aliqua diſciplina egerunt, atque tunc demum vel ad ſpeciales diſciplinæ partes progreſſus fieri debet, de quibus tamen, cum diſciplinarum ordo variet, nullæ certæ regulæ poſſunt præſcribi. Ita ex fontibus ordine naturali progreſſus fieri debet ad reliqua

liqua, prout exemplo erunt Bibliothecæ nostræ huc vsque editæ. Sæpe etiam præter disciplinarum partitionem, in Theologis præsertim, philosophicis & philologicis, ad miscellaneorum classem erit attendendum, cum res litteraria tam sit diffusa, vt solitæ alias dispositiones, accuratissimæ licet, non vbique locum inueniant. Sæpe liber quidam plura tractat, ita vt ad plures classes merito possit referri: ad primam ergo, quo speciatim facit, referamus singulatim, ad reliquas tantum remittendo ad priorem. Ipsi autem libro in excerptis nostris adnotato, addamus statim iudicia de eodem, sciagraphiam & reliqua, prout infra de excerptis rei litterariæ pluribus dicetur.

§. XXV.

Hæc igitur sunt literariæ rei generalia. Neque tamen in solis libris illa consistit, verum etiam in bibliothecarum notitia, Mstorum cognitione, noscendis fatis eruditorum, horum controuersiis, nouis opinionibus. Hæc autem hauritur ex scriptis probatorum virorum, ex ephemeridibus, ex bibliothecis & bibliopoliis, ex conuersatione cum eruditis. Hæc vt plenius explicemus, & de methodo comparandi selectiorem librorum notitiam atque bibliothecarum vsu cum fructu instituendo, ordine quoque in disponendis libris seruando agamus, de bibliothecis

non

non ſolum in genere, antiquioribus & deperditis, ſed etiam præcipuis noſtræ ætatis ediſſeremus, vt ab iis eo felîcior detur progreſſus ad reliqua.

CAPVT SECVNDVM

De

BIBLIOTHECIS IN GENERE ET DEPERDITIS.

§. I. Scriptores de Bibliothecis in genere. §. II. Io. Andr. Schmidii collectiones de Bibliothecis. §. III. Scriptores qui certas ſaltim Bibliothecas in itinerum relationibus deſcripſerunt. § IV. Sub Bibliothecæ adpellatione quænam comprehendantur. §. V. Bibliothecæ quam originem habuerint. §. VI. Bibliothecæ ante diluuianæ haut reperiuntur. §. VII. Prima Bibliothecarum cura ab Ægyptiis petenda. §. VIII. Bibliotheca Alexandrina. §. IX. Bibliotheca Attalica Pergamenorum. §. X. Bibliothecæ Perſarum, Hebræorum, Syrorum. §. XI. Bibliothecæ Græcorum. §. XII. De primis Romanorum Bibliothecis vsque ad tempora Augusti. §. XIII. Bibliothecæ ſub Imperatoribus Romanis. §. XIV. Bibliothecæ Imperatorum Byzantinorum. §. XV. Bibliothecæ aliæ Orientis deperditæ. §. XVI. Bibliothecæ Occidentis & OſtroGothorum. §. XVII. Bibliothecæ

theca Francorum. §. *XVIII. Bibliotheca Budensis.* §. *XIX. Bibliotheca Heidelbergensis.* §. *XX. Bibliotheca deperdita alia.*

§. I.

PLures fuerunt, qui ad Bibliothecarum notitiam introducere tentarunt. Antiquas quidem Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum & Byzantinorum Bibliothecas descripsit, breuiter, ast eleganter IVSTVS LIPSIVS in suo *de Bibliothecis syntagmate*, quod *Antvverpiæ* ex Plantiniana *1602. 4*, & aliquoties fuit editum. Huic etiam de ornatu & dispositione Bibliothecarum veterum aliqua addidit. Eundem auctorem se editurum promiserat VELSCHIVS, adiuncto copioso catalogo Bibliothecarum & Pinacothecarum præstantiorum. Verum hæc cum reliquis promissis Velschianis exciderunt. Idem sibi proposuerat IOSEPHVS MARIA SVARESIVS, vt vnico de Bibliothecis tractatu rem omnem exhauriret, verum negotiorum mole obrutus, non potuit extremam operi manum admouere. Præstitit tamen illud LVDOVICVS IACOBI, in tractatu, qui gallice prodiit sub titulo: *Traitté des plus belles Bibliotheques publiques & particulieres, qui ont eté & qui sont à present dans le monde, à Paris 1644. 8.* Licet

in

in numerandis bibliothecis magis sit sollicitus, quam vt multa de iisdem tradat: in eo tamen vsum aliquem habet, quod collectam in eo videamus omnem bibliothecarum Europæ, immo etiam aliarum terrarum partium rationem, & licet non plenam præbeat notitiam, ad aliqualem tamen ducit cognitionem, quam ex scriptoribus, qui particulares quasdam regionum bibliothecas scripsere, excerpsit. In veterum quidem bibliothecis nihil habet singulare. In Italicis Thomasini, in Anglicis Balei, in Germanicis, Adami vitas potissimum fuit secutus, atque ex istis excerpsit, quæ sibi conuenire videbantur. In recensendis Galliæ Bibliothecis nimius est, atque plures in vna Parisiorum vrbe extare bibliothecas nimio ausu dicit, quam in Anglia, Germania & Hispania. Multas Bibliothecas mediocres extollit: alias notiores magis reticet. Ast in Bibliothecis monasteriorum admodum frequens est. IOANNES LOMEIERVS in suo *de bibliothecis* libro singulari, *Zutphaniæ* edito *1669. 8.* bibliothecas secundum regiones distinguit, prolixior tamen auctor est in antiquorum, quam recentiorum bibliothecis, quas percurrit magis, quam recenset, neque satis digno instructus fuit adparatu. Ex hoc pleraque descripsit GALLESIVS in tractatu inscripto: *traitté de plus belles bibliotheques*

theques du monde 1680. 12. edito. IODOCI a DVDINCK vero *palatium Apollinis & Palladis*, siue designatio præcipuarum bibliothecarum mundi, quod *Coloniæ apud Iodocum Kalckofen 1643. 8.* editum dicitur a quibusdam, titulo potius notum, cum ab omnibus frustra adhuc sit quæsitum, vt editum esse vel maxime dubitem. Addimus IO. HENRICVM HOTTINGERVM in *bibliothecario quadripartito* p. I. cap. II. qui breuem etiam bibliothecarum Europæ catalogum nectit: & nostram epistolam ad V. C. Christophorum Cellarium scriptam *de bibliothecis, harumque præfectis.* De reliquis agit Morhosius Polyhistore lib. I. c. XVII.

§. II.

Commendandum præ cæteris est institutum Venerabilis abbatis, IOANNIS ANDREÆ SCHMIDTII, quod annis iam præterlapsis cœpit de congerendis variis scriptis, quæ de bibliothecis & re bibliothecaria egerunt. Prodiit huius tomus primus *Helmstadti 1702, 4.* in quo continentur libelli isti, quos IOACHIMVS IOANNES MADERVS antea congesserat. Sunt autem isti: IVSTI LIPSII *de Bibliothecis Syntagma.* FVLVII VRSINI *de Bibliothecis* commentatio, quæ de bibliothecis veterum Romanorum & hodiernis Italorum præcipuis, breuissimis tamen, agit. *Excerpta ex Guidonis Pancirolli Rerum memorabilium*

bilium siue deperditarum Tit. XVII. de librariis siue Bibliothecis. Excerpta ex Bartholomæi Chassanæi Catalogo Gloriæ Mundi lib. XII. Excerpta ex Francisci Patritii libro VIII. tit. XV. de institutione Reipublicæ. MICHAEL NEANDER de Bibliothecis deperditis ac nouiter instructis. Hic tamen in priori parte de Bibliothecis antiquorum deperditis potior est. IACOBVS PHILIPPVS THOMASINVS de Bibliothecis Mstis, quod ex eiusdem præfatione in bibliothecas Patauinas desumtum est, vbi aliquæ Bibliothecæ priuatorum plerumque, proponuntur. Excerpta quædam ex Laurentio Pignorio de seruis, rei librariæ adhibitis. Excerpta ex Emundo Figrelio de statuis illustrium, ac cumprimis doctorum virorum in veterum Bibliothecis. BALTH. BONIFACII de archiuis liber singularis. FRANCISCVS SCHOTTVS de Bibliotheca Vaticana ex Itinerarii eiusdem p. II cap. X p. 146. ONVPHRIVS PANVINIVS de Bibliotheca Vaticana. ANTONIVS CICARELLA de Bibliotheca Vaticana. BALTH. CORDERIVS de Bibliotheca regia S. Laurentii Scorialensi in Hispania. ALEXANDRI BARVOETII Catalogus præcipuorum auctorum ineditorum, qui in Bibliotheca Scorialensi adseruantur. IOANNIS ALEXANDRI BRASSICANI epistola de Bibliothecis, cumprimis Regia Budensi. Præmissa est MADERI epistola de scriptis & Bibliothecis antediluuianis. In hac vero

noua

noua collectione adiecta est elegantisſima epiſtola HERMANNI CONRINGII ad Ioannem Chriſtianum, L. Baronem de Boineburg *de Bibliotheca Auguſta*, quæ eſt in arce Guelferbytana, cum indice copioſo. Eiusdem noua acceſſio nuper demum prodiit & continet RICHARDI BVRY *philobiblon*, ſeu de amore librorum & bibliothecarum inſtitutione tractatum elegantisſimum, antea ſæpius excuſum. GABR. NAVDÆI *diſſertationem de bibliothecis inſtituendis*, ex Gallico latine verſam, antea rarisſimam. THEOPHILI SPIZELII *diſſertationem præliminarem, arcanis bibliothecarum retectis præmiſſam*, CHRISTOPHORI HEIDMANNI *orationem de bibliotheca Iulia*, HERMANNI ab HARDT *orationem de memorabilibus bibliotheca Rudolphea*, CASPARIS SAGITTARII *orationem de bibliotheca Ienenſi*, ac IVLII PFLVGK *epiſtolam de bibliotheca Budenſi*. Altera acceſſio collectioni Maderianæ adiuncta prodiit *Helmſtadii 1705. 4.* Continet hæc IO. LOMEIERI librum *de Bibliothecis*, meam opellam *de Bibliotheca Ienenſis hiſtoria & memorabilibus*, qua Bibliothecæ origo atque conſtitutio exponitur & HENRICI PIPPINGI *arcana Bibliothecæ Thomanæ ſacra*. Plures quoque promittit venerabilis vir acceſſiones, quas auide adhuc expectamus, atque eundem publico nomine rogamus, ne ab opere & collectione hac vtilisſima deſiſtat.

D §. III.

§. III.

Alii certas ſaltim Bibliothecas deſcripſerunt in ſuis itinerum relationibus. Ita non inutilem laborem fecit CAROLVS PATINVS, qui edidit *Quatre Relations hiſtoriques, Baſileæ 1673 12.* editas. Deſcripſit enim ſingula curioſa, quæ in cimeliarchiis Principum obſeruauit, & optandum eſſet, vt ſimilem laborem de rarioribus bibliothecarum haberemus. In bibliothecis quidem Italicis illud egit BERNHARDVS MONTFAVCON in *Diario* ſuo *Italico*, quod *Pariſiis* prodiit *1702. 4.* in quo quidquid curioſi vel manuſcriptorum reperit, elegantisſime expoſuit, ſed de Germaniæ bibliothecis ſimile quid nondum habemus, quod tamen maxime optandum. Laudanda interim eſt induſtria IACOBI TOLLII, qui, cum indultu Friderici Guilielmi electoris, ex academia Duisburgenſi itinera inſtitueret in Auſtriam, Vngariam atque Italiam, *epiſtolas* poſtea *itinerarias* ſcripſit, in quibus quid curioſi vel in rebus metallicis, antiquitatibus & bibliothecis reperit, exponit: ex quibus ſi non omnia, multa tamen hauriuntur ſingularia. Has poſt mortem Tollii fidei ſuæ commiſſas edidit HENRICVS CHRISTIANVS HENNIVS, *Amſtelodami 1700. 4.* atque notas haut inelegantes addidit.

§. IV.

§. IV.

Sub Bibliothecæ adpellatione vel locum, vel armaria, vel librorum etiam collectionem intelligi, res admodum clara eſt, atque latius fuit declaratum in diſſertatione mea inaugurali, quam præſide illuſtri STRYCKIO *de iure bibliothecarum*, *Halæ* publicaui 1702. 4. Nonnunquam etiam libri diuerſas gentium hiſtorias continentes, ita inſcribuntur, prout fecit Diodorus Siculus, qui vniuerſalem ſuam hiſtoriam Bibliothecam inſcripſit. Nec minus illud ſolenne eſt in rei litterariæ collectionibus, quæ pro modo diſciplinarum Bibliothecæ inſcribuntur Theologicæ, Iuridicæ, Medicæ, Philoſophicæ, Hiſtoricæ & ſic porro. Barbara ætate dicebantur *librariæ*, vnde Germanorum *librarey*, ſiue *liberey*, licet Romani hac voce fuerint vſi pro bibliopoliis.

§. V.

Quantum ad bibliothecarum originem, multa de eo adhuc controuerſia. IOACHIMVS IOANNES MADERVS ſingulari præfatione ad Rudolphum Auguſtum, Ducem Brunſuicenſem & Lüneburgenſem *de ſcriptis & bibliothecis antediluuianis*, demonſtrare voluit, non litterarum ſolum fundamenta fuiſſe ante diluuium, ſed etiam horum collectiones & bibliothecas. Probat illud potiſſimum (a) ex nominibus, quæ animalibus im-

posuerit Adamus, Columnis Sethi, & libro Enochi, atque dicit, principes illos mundi incolas scripsisse res illius temporis, atque inuenta non in saxis solum, lateribus & plumbo, sed in pellibus etiam & membranis, quæ admodum fuerint antiquæ. Suas tamen coniecturas Madero relinquimus. Ante Maderum eadem fere sentit IACOBVS BOVLDVCCIVS, ordinis Capucinorum Monachus, in libro suo *de ecclesia ante legem, Parisiis 1626, 1630.* & *Lugduni 1638. 8.* edito, in quo demonstrare voluit, quis a mundi exordio vsque ad Mosen fuerit ordo ecclesiæ, qui ritus & cæremoniæ, vbi inter alia de libro Enochi atque antiquitatibus quibusdam antediluuianis agit. ANGELVS ROCCA appendice ad descriptionem Bibliothecæ Vaticanæ p. 384. idem adserit. E contrario PETRVS LAMBECIVS in *rei litterariæ prodromo* nullum dicit scriptorem Mose antiquiorem.

§. VI.

Verum, cum nec nomina ab Adamo imposita, nec columnæ Sethi, nec liber Enochi quidpiam faciant ad bibliothecæ structuram, cum priora, litteras non fuisse ignotas, arguant; hanc vero Iudas in epistola non librum sed prophetiam dicat, maiorum sine dubio traditione ad posteros traductam, bibliothecæ antediluuianæ facile collabuntur. Nobis potius certius videtur, nec ante confusio-

fuſionem Babylonicam libros, nec ante diluuium vmbram quidem bibliothecæ extitisſe. Hominem enim ante lapſum omni ſapientia diuina fuiſſe præditum ſacræ hiſtoriæ nos docent. Poſt lapſum multæ adhuc diuinæ imaginis reliquiæ, ſapientiæ plurimum in illo relinquebant, ita vt libris opus non haberet, ſi quid erat, ad poſteros propagabatur per traditionem. Poſt diluuium vero & confuſionem Babylonicam, cum diuerſæ linguæ & gentes eſſent ortæ, & per poſteros Chami magis propagaretur ſapientia humana, ortæ ſunt litteræ, ex his libri & bibliothecæ.

§. VII.

De bibliothecarum auctore res eſt incerta, neque ex tam antiquo tempore decidenda. Aegyptios humanæ ſapientiæ auctores ſi dicamus, forſan non aberrabimus. Arguunt illud tot Aegyptiorum traditiones, figuræ hieroglyphicæ & ſimilia, ex quibus non exiguum poſtea bibliothecarum vſum apud eos fuiſſe introductum arguimus. Strabo quidem Geographiæ libro XII. *p. m. 480.* Ariſtotelem primum fuiſſe dicit, qui Aegyptum ad hanc librorum cuſtodiam excitauerit; illum tamen quodam errore fuiſſe abreptum ex eo patet, quod de Oſymandua, antiquisſimo Aegyptiorum rege teſtetur Diodorus Siculus, quod bibliothecam ſtruxerit, eius-

que fronti præſcripſerit ψυχῆς ἰατρεῖον, cuius ætas Ariſtotelis fata longe antecesſit. Hanc Oſymanduæ curam ipſius ſucceſſores poſtea continuaſſe facile coniectandum, idque in templis præcipue, & cura ſecerdotum. Argumento eſt, quod Naucrates quidam Homerum plagii incuſauit, quem in Aegyptum delatum libros reperiſſe dicit Phantaſiæ fœminæ, quæ Iliadem atque Vlyſſeam ſcripſerit, & Memphi, in templo depoſuerit Vulcani, vti Euſtathius teſtatur præfatione in Odyſſeam, ipſum tamen de eo excuſans.

§. IIX.

Inter celebratisſimas Aegypti bibliothecas *Alexandrinam* eſſe, res certa eſt. Initium illi dediſſe videtur Ptolemæus, Lagi putatiuus filius, qui iam per Demetrium ſuum Phalereum in colligendis libris diuerſi generis fuit occupatus, vti fere patet ex Clementis Alexandrini Stromatum libro I. *p. 341.* Cum autem rudis adhuc ſine dubio fuerit collectio, nec dum ſatis ordinata Bibliotheca, vt notior ſit cura Ptolomæi Philadelphi, qui ſumma addidit incrementa, ipſi plerumque origo Bibliothecæ tribuitur. Hic autem Bibliothecam iſtam vndique & omnis generis libris inſtruxit, etiam ſacris atque e Iudæa petitis. Ita Athenæo teſte, Deipnoſoph. lib. I. *p. 2.* Ariſtoteles libros fuit emercatus, quos ille Theophraſto diſcipulo reliquerat,

cos-

eosdemque cum iis, quos Athenis & Rhodi coëmerat, omnes in pulcram Alexandriam transferri curauit. Quantos autem ſumtus in bibliothecæ collectionem collocauerit, vel ex eo patet, quod pro Sophoclis, Euripidis, Aeſchylis autographis, Athenienſibus XV. talenta argenti puri conceſſerit, teſte Galeno in tertio libro Epidemicorum. De numero librorum huius Bibliothecæ res adeo definita non eſt. Georgius Cedrenus Hiſtoriarum libro XXII. dicit, Philadelphum libros ſacros, Chaldaicos, Aegyptios & Romanos, aliosque diuerſilingues in Græcam omnes conuerti curaſſe, in vniuerſum ad centum millia voluminum: quæ omnia in bibliothecis ſuis Alexandriæ repoſuerit. Seneca vero de Tranquillitate animi cap. IX. *quadraginta*, ait, *millia librorum Alexandriæ arſerunt, pulcherrimum regiæ opulentiæ monumentum.* Ioſephus Antiquitatum Iudaicarum libro XII. cap. II. tradit, Demetrium aliquando fuiſſe interrogatum a Philadelpho, quot millia librorum iam haberet? reſpondiſſe, ducenta millia admodum, ſed ſperare breui ad quingenta. Quod ſi vero Gellium audimus Noctium Atticarum libro VI. cap. vltimo, ingentem numerum librorum in Aegypto a Ptolemæis regibus vel conquiſitum vel confectum eſſe dicit, ad millia ferme voluminum ſeptingenta. Hunc ſequitur Ammia-

nus Marcellinus libro XXII, qui etiam ſeptingentis voluminum millibus hanc bibliothecam conſtitiſſe dicit. Sed facile ſcriptores, licet diuerſa dicere videantur, inter ſe poterunt conciliari. Cedrenus enim intelligendus eſt de centum librorum millibus in Græcum ſermonem translatis. Seneca de quadraginta, vel potius, ſi corruptos codices arguamus, quadringentis millibus combuſtis, reliquis ſupermanentibus, Ioſephus de temporibus Philadelphi, Gellius vero de temporibus vltimis,. non enim ſine ratione dicit, *Ptolemæis regibus conquiſitum* fuiſſe hunc theſaurum, ita, vt a Philadelphi ſucceſſoribus varia adipiſceretur incrementa. Sed eheu! ingens iſte theſaurus bello Alexandrino conflagrauit, non quidem opera conſulta, ſed dum diripitur ciuitas a militibus forte auxiliariis, incenſa eſt, teſte Gellio c. I. Duas autem Alexandriæ fuiſſe bibliothecas publicas, ſcribit Epiphanius libro de ponderibus p. 615. primam in Bracho, a Ptolemæo Philadelpho conſtitutam, ſecundam longo tempore poſt ædificatam in Serapeo, quæ & prioris ſoror dicebatur. Quare etiam Ammianus Marcellinus in Serapeo bibliothecas fuiſſe inæſtimabiles dicit. Immo Tertullianus Apologetico cap. XVIII. ait: *hodie apud Serapeum, Ptolemæi bibliothecæ cum ipſis Hebraicis litteris exhibentur*. Ex his autem videmus, non

non omnem conſumtam fuiſſe bibliothecam, ſed Codices perplures fuiſſe ſeruatos, cum etiam poſteriori adhuc tempore diceretur, Ptolomæi bibliotheca, quæ tamen in gratiam Cleopatræ per bibliothecam Attalicam, iuſſu Antonii Alexandriam per vim adductam, fuit adaucta, teſte in vita Antonii Plutarcho. Hæc tamen Alexandrina quaſi mater ſemper fuit habita reliquarum, ex qua alii, qui bibliothecas adornarent, codices deſcribi vellent.

§. IX.

Proxima Alexandrinæ erat *Attalica* Pergamenorum, e quibus Strabone teſte, libro XIII. Eumenes vrbem inſtruxit & donariis ac bibliothecis inſtruxit, idque ſine dubio ex æmulatione erga ſtudium Regum Ægypti fuit factum. Perdurauit iſta Pergami vsque ad tempora Antonii, qui eandem ducentis librorum millibus conſtantem, vti diximus, Alexandriam abduci curauit.

§. X.

Perſis Suſa erat nobile litterarum domicilium, vbi cultisſimæ lectionis bibliothecam fuiſſe inſtructam Metaſthenes commemorat. Archiui quoque Babylonici mentionem facit Eſra capite VI. v. I. Magnum librorum & bibliothecarum apud *Hebræos* fuiſſe pruritum ex eo patet, quod Eccleſiaſticus dicat cap. XII. v. 12. ſcribendorum librorum non eſſe finem.

Immo multam curam in ordinandam Hebræorum bibliothecam Nehemiam impendiſſe II. Maccabæorum c. II. v. 12. docemur. Cum vero iſta belli temporibus collapſa, nouam reſtituit Iudas Maccabæus. Videntur etiam ſynagogæ ſuas habuiſſe bibliothecas. Apud finitimos *Syros* bibliotheca extabat Antiochi M, cui Suida teſte, præfuit Euphorion Polymneti filius, tantæ dignitatis, vt & Tiberius Cæſar eum imitari dignatus fuerit, immo ſcripta eius & imaginem publicis bibliothecis inter veteres & præcipuos auctores deſtinauerit, dicente Suetonio, in vita Tiberii cap. LXX.

§. XI.

Græcia liberalium artium cultrix, plures poſſedit bibliothecas. Athenæus Deipnoſophiſtarum libro I. p. 2. mentionem iniicit Polycratis Samii, Piſiſtrati tyranni, Euclidis Athenienſis, Nicocratis Cypri, Euripidis poëtæ, Ariſtotelis Philoſophi, & quam omnibus præponit, Laurentii ſui, Deipnoſophiſtarum magiſtri. Studiorum inprimis laudem Piſiſtratus tyrannus meretur ab A. Gellio, quod libros diſciplinarum liberalium Athenis publice ad legendum primus poſuerit. Hæc poſtea Piſiſtrati bibliotheca, ab Athenienſibus aucta, victa vrbe, Syllæ ceſſit, Grammaticorum dein curæ relicta. Iidem Græci & in Aſiæ inſula Chio, quæ ſibi Ho-

Homerum vindicabat, huic Homero templum ſtruxerant cum inſtructisſima bibliotheca, propenſionem ſuam erga litterarum ſtudia eo teſtati, auctore Strabone lib. XIV. Geograph. Plutarcho in Sylla.

§. XII.

In ſplendida *Romanorum* vrbe primus librorum copiam aduexit Æmylius Paulus, Perſe, Macedonum Rege deuicto, deinde Lucullus e Pontica præda. Iſidorus Originum libro VI. capite V, Lucullus præſertim, Plutarcho teſte in vita, libros vndique conquiſitos vtendos dedit, ita vt ad bibliothecam eius, velut ad Muſarum ædem ventilarent eruditi, quibus ſe ipſum ſæpius immiſcuit. De Sylla ſuperius diximus, quod magnam librorum vim Athenis Romam transuexerit. Verum, cum priuatæ ſolum eſſent Bibliothecæ, eruditis quidem conceſſæ, neque tamen publicis vſibus deſtinatæ. Sic etiam Fauſti bibliothecam prædicat Cicero IV. ad Atticum ep. IX. Primus autem Iulius Cæſar deſtinauit Bibliothecas Græcas & latinas, quam maximas poſſet, publicare, data M. Varroni cura comparandarum ac dirigendarum, Suetonius in vita capite XLIV. Verum, Cæſar hoc, quod deſtinauerat, non perfecit. Auguſto demum incitante, Aſinius Pollio de manubiis Dalmatarum, quos vicit, Atrium libertatis extruxit, atque primus Bibliot-

bliothecam dicando ingenia hominum rem publicam fecit, vti Plinius auctor eſt libro XXXIV, cap. II. Iſidorus *c. l.* Secutus Pollionem fuit Auguſtus, Imperator, qui templo Apollinis in Palatio addidit porticus cum bibliotheca latina Græcaque, Suetonius Augusto capite XXIX. Has autem *Octauias* fuiſſe adpellatas Dio Casſius auctor eſt libro XLIX. p. 417, a loco etiam dictas *Palatinas*.

§. XIII.

Hoc librariæ rei ſtudium proſecuti fuerunt ſubſequentes Imperatores. Sic *Tiberianæ* domus bibliothecam notam nobis faciunt Gellius noct. Atticarum libro XIII. c. XVIII. & Vopiſcus Probo capite II. *Pacis Bibliothecæ* mentionem quoque facit Gellius noctium Atticarum libro XVI. cap. VIII, quam Pacis templo a ſe extructo ſine dubio addidit Veſpaſianus, Ioſephus Antiquitatum Iudaicarum libro VII. c. XXV. Vlpiam *Bibliothecam* ſiue templi *Traiani*, ab eodemque optimo Imperatore inſtitutam nobis commemorant Gellius Noctium Atticarum libro XI. cap. XVII. & Vopiſcus Aureliano cap. I. Probo cap. II, qui linteis ſe ex eadem libris aliquoties vſum fuiſſe profitetur. Ex eodem tamen patebit etiam, *Vlpiam* in thermas Diocletianas fuiſſe translatam, cum ſua ætate in iisdem fuiſſe dicat. Sub eodem Traiano Plinius iunior Nouocomi in municipio ſuo biblio-

bibliothecam dedicauit & annuos ſumtus in alimenta ingenuorum pollicitus, vti ipſe teſtatur lib. I. ep. VIII. *Capitolinam* bibliothecam ſub Commodo conflagraſſe dicit Euſebius Chronico ad A. C. 190, quem ſequitur Oroſius libro VII. cap. XVI. Lipſius ſyntagmate de Bibliothecis cap. VI. Domitianum eiusdem auctorem facit, de quo Suetonius in vita, cap. XX. quod bibliothecas incendio abſumtas impenſisſime reparari curauerit. Verum, placet magis coniectura Alexandri Donati de vrbe Roma libro II. cap. IX, qui Adrianum eiusdem bibliothecæ facit auctorem, idque ideo, quia ex Sexto Aurelio Victore probat, illum in Capitolio gymnaſi inſtituiſſe, quibus maxime conuenit bibliotheca. De Gordiano Iuniore narrat Iulius Capitolinus in vita cap. XVIII, quod Serenus Sammonicus, ipſius olim præceptor, omnes libros patris ſui, qui cenſebantur ad ſexaginta & duo millia, Gordiano minori moriens reliquerit, atque inde in famam litteratorum peruenerit. Cæterum plures adhuc patuiſſe vsque ad tempora Conſtantini M. Bibliothecas, ex P. Victore colligimus, qui inter ſingularia vrbis Romæ notat bibliothecas publicas viginti & nouem, atque inter has præcipue Vlpiam commendat & Palatinam.

Die Topographie der Stadt Rom meldet von 29 bibliothecis publicis, die alle zeit unter den Imperatoribus da §. XIV gestiftet gewesen, welche aber zuerst durch die Völker einfälle und Plünderungen der teutschen Völcker sind zerstöret u. zernichtet worden.

§. XIV.

A Romanis pergimus ad Bibliothecas *Byzantinas*, quæ a primo illo tempore, quo Conſtantini vrbs exornari egregie cœpit, ſuam ſine dubio habent originem. De ipſo enim Conſtantino teſtatur Euſebius libro tertio in vita, illum theſauros imperatorios liberalisſime effudiſſe in colligendis ſcribendisque libris ſacris, quos gentiles perſecutionum temporibus ab eccleſiis pene excuſſerant. Et quid mirum, cum Imperator iſte in exornanda vrbe omnia impenderet. Huic vero noua incrementa, bibliothecæ etiam præfectum addidiſſe Conſtantium, filium, ex Themiſtii oratione XIII. patet, qui Imperatorem ideo laudat. Iulianus poſtea, apoſtata dictus, locum bibliothecæ adſeruandæ in regia porticu ſtruxit, & libros quotquot habebat, in eandem collocauit teſte Zoſimo libro III. cap. XI. Hic etiam teſte Libanio, libros vndiquaque conquiſiuit, atque in Antiochenorum ſuburbio, Daphne, nobilem Bibliothecam inſtruxit in æde Traiani, a Iouiniano poſtea, concubinæ ſuaſu crematam, vti auctor eſt Suidas voce Ιοβιανὸς. Cura, quam in eandem impenderit Iulianus, patet ex eius epiſtola IX. & XXXVI. Huic autem Valens Imperator certos præfecit bibliothecæ curatores & ſcribas l. II. C. Theod. de ſtudiis liberalibus vrbis Romæ. De Iuniore

Theo-

Theodoſio perhibet Socrates Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro VII. c. XXII, quod ſacros codices & quæ ab ipſorum interpretibus ſcripta erant, vel adhuc ſcribebantur, maiori, ac Philadelphus diligentia collegerit, atque adſeruari curauerit. Sed quæ fata inſtructiſſimæ Bibliothecæ, Baſiliſco enim tyrannidem exercente, maximum in Conſtantinopolitana vrbe extitit incendium, quod in foro ærario exortum, ac vicina loca omnia, ipſamque Baſilicam vna cum Bibliotheca, in qua centum viginti millia fuerunt repoſita, Zonaras ſub Leone Magno. Reſtituta autem hæc Baſilica, incertum, a quo Imperatore, eademque illi ad inhabitandum conceſſa, qui eruditione excelleret, quem oecumenicum doctorem adpellabant. Is XII. contubernales habebat excellenter eruditos. His publicus victus præbebatur: hos eruditionis & cognitionis auidi accedebant: hos imperatores ad rerum gerendarum conſilia adhibebant. Verum, has ipſas ædes cum bibliotheca, doctos illos etiam ac venerabiles viros comburi iuſſit nefario facto Leo Iſaurus, cum opinionem ipſius de tollendis imaginibus adprobare nollent; Zonara auctore. Licet nouam ibidem fuiſſe erectam arguant reliquiæ Bibliothecæ, quæ adhuc viſuntur. quae collecta sunt ex ruinis veterum bibliothecarum v. pag. 77.

§. XV.

Neque tamen hanc curam Bibliotheca-

rum

tum intermiſerunt reliquæ Chriſtianorum, Orientis communitates. Sic Alexander, epiſcopus Hieroſolymitanus nobilem illam *Bibliothecam Hieroſolymis* inſtruxit, in qua ſcripta varia, maxime epiſtolas eccleſiaſticorum virorum adſeruari voluit, ex qua multum ad hiſtoriam ſuam eccleſiaſticam componendam vtilitatis ſe hauſiſſe dicit Euſebius VI. c. XVI. *Cæſareæ* Bibliothecam aperuit Iulius Africanus, cui poſtea Pamphilus ordinem, addidit atque incrementa, de qua Euſebius VI. c. XXIII. In hac Origenis potisſimum ſcripta adſeruabantur. Eadem diligentius vſus fuit Hieronymus. Hanc, cum temporis lapſu atque hominum incuria corrupta, plurimo labore reſtituit atque inſtaurauit Euzoius, ſiue, vt aliis dicitur, Eſcicius, Cæſareenſis epiſcopus. Bergomas ſupplem. Chron. lib. IX. ad A. C. 405. Immo facile credendum, ab eo tempore, quo ſtudiis vacare cœperunt Chriſtiani, quod ſeculo IV. potisſimum factum, in plerisque eccleſiis bibliothecam fuiſſe inſtitutam. Ita Bibliothecæ eccleſiæ *Alexandrinæ*, cura Georgii, epiſcopi inſtitutæ mentionem facit Athanaſius. Hipponenſem citat Auguſtinus, qui ipſe quoque Poſidonio teſte, bibliothecam collegit, eandemque eccleſiæ ſuæ donauit. Vt taceam alias, quarum hinc inde fit mentio.

§. XVI.

In Occidente suus quoque studiis mansit honos. Licet enim Italia per gentium barbararum incursionem fere ipsa euaderet barbara, ipsa quoque gentium domina, Roma, per Alaricum *Vesigothorum* Regem caperetur, reliquiæ tamen studiorum, apud Ostrogothos præcipue, manserunt, quæ illa Romanorum quidem haut adæquabant, ad illorum tamen æmulationem erant directa. Efflorescebant maxime in vrbe Roma, sub Theodorico Rege, litterarum studia, vti ex ipsius epistola ad Festum, apud Cassiodorum libro I. ep. XXXIX. patet, & apud Io. Cochlæum in vita *p. 65.* Ipse quoque Cassiodorus, seculi pertæsus, monasterinm Viuariense siue Castellense in extrema Calabriæ parte incoluit, ibidemque multam libris conquirendis curam adhibuit.

§. XVII.

Reuocauit autem cum litteris plenius adhuc Bibliothecarum studium *Carolus Magnus*, qui plures in Occidente instituit Bibliothecas. Testatur illud Heluetorum S. Galli fanum, Fuldensis abbatia & Aquisgranense monasterium, in quo mortuus. Neque hanc curam intermisisse reliquos etiam Imperatores & Reges Francicos ex eo adparet, quod Holduinus & Ebo in subscriptionibus dicantur Bibliothecarii Caroli Calui.

Tanta vero cura bibliothecarum non fuisse videtur, cum Germani sibi ipsis Imperatores legere inciperent, nisi quod in diuersis monasteriis colligerentur scripta, quæ tamen ob monachorum ruditatem, potius ad interitum seruabantur quam ad vsum. Fridericus II. Imperator, prout omnia, quæ ad exornandam academiam suam Neapolitanam facerent, contulit, bibliothecam quoque addidisse videtur. Confirmant hæc ea, quæ Cuspinianus dicit, ipsam permultos libros tam ex Græca quam latina lingua transferri iussisse.

§. XVIII.

Ad vlteriora tempora properamus, & celeberrimam olim *Budensem Bibliothecam* consideramus. Auctor illius Matthias Coruinus erat, qui, extructa in Budensi vrbe noua arce, bibliothecam etiam in eadem statuit, mira vtrinque linguæ fœcunditate completam, teste Bonfinio, Rerum Hung. decade IV. libro VII. p. 631. Quanta cura in colligendis libris vsus fuerit Coruinus, testatur Ioannes Alexander Brassicanus in epistola sua ad Christophorum a Stadion, quæ præfixa est Saluiano ab ipso edito. Quippe, illum tot græca atque hebraica volumina ex ruinis Græcarum vrbium coëmisse dicit, inæstimandis sumtibus, & cum non omnes ex Græcia potuisset accipere, quatuor insignes

Rex Hungariæ Seculo XV Princeps doctissimus

gnes librarios magnis impendiis ſemper Florentiæ aluit, quorum is labor vnicus, vt omnes melioris notæ auctores, & græcos & latinos exſcriberent. Exinde tantum librorum numerum collectum fuiſſe dicit, quantum nuſpiam alibi, ita vt non deſint, qui numerum codicum quinquaginta millibus conſtitiſſe dicant. Sed quæ fata ſunt bibliothecarum, etiam hæc diſſipata eſt! Ludouico enim fatali prælio ad Mohazium deuicto, & Buda capta, eademque direpta, bibliotheca quoque miſere fuit dilacerata. Fuerunt tamen, qui reliquias quasdam hinc inde ſparſas tanquam e nauftagio colligerent. Augerius Busbeckius quidem ex duabus legationibus, Conſtantinopolitana & Amaſiana plures congesſit codices, eosdemque bibliothecæ Vindobonenſi liberaliter conſecrauit. Idem poſt illum egerunt Iohannes Sambucus, Ioannes Faber & Ioannes Cuſpinianus, qui multa cura, ſparſa hinc inde fragmenta bibliothecæ congeſſerunt. Sic etiam Guelferbytana Bibliotheca hodie multas reliquias Budenſis ſeruat. Quid quod, ipſa noſtra Salana Baptiſtæ Guarini Mſtum de ordine docendi & diſcendi posſidet. Vt taceam priuatorum bibliothecas, dum ante memoratus Brasſicanus, ſe dono Ludouici Regis varios codices Coruinianos posſidere gaudeat. Facile enim eſt, hoſce codices digno-

ſcere, dum ſingulos ſub inſpectum ornent inſignia Coruinorum gentilia. Sed licet hinc inde diſperſa fuerint huius bibliothecæ fragmenta, manſerunt tamen in ipſo palatio Coruiniano reliquiæ pauciores. Hæ ſaliuam quidem mouerunt eruditis, ita vt Lambecius ad easdem examinandas ab Imperatore mitteretur, aditum ipſi parante Waltero, comite de Leslie, ablegato Imperatoris, ſed difficillime. Verum omnia præter expectationem reperit, nec enim niſi quadringentos circiter codices cumulatim in terra iacentes & puluerulento ſitu atque ſqualore coopertos inuenit, vti ipſe ſingula deſcribit Commentariorum de Bibliotheca Cæſarea libro Secundo capite nono. Cum autem feliciſſimis auſpiciis, Buda anno 1686. a Chriſtianis recuperaretur, hæ reliquiæ theſauri librarii Viennam fuerunt aduectæ, vbi adhuc viſuntur. Catalogum harum reliquiarum, quæ in Vindobonenſem illatæ fuerunt bibliothecam, ex communicatione Petri Lambecii cum eruditis communicauit IVLIVS PFLVGKIVS, eques Saxonicus, præmiſſa epiſtola ad Vitum Ludouicum a Seckendorf, qua etiam fata huius bibliothecæ deſcribit. Prodiit *Ienæ 1688. 8.* atque inſerta quoque eſt parti ſecundæ collectionis Schmidtianæ.

§. XIX.

§. XIX.

Selectisſima *Heidelbergenſis* palmam ſuo tempore præripiebat omnibus. Duplex illa erat, Academica & Electoralis. De iſtius fatis infra ſub academicis noſtri temporis dicemus: hæc quæ proprie Palatina dicitur, noſtri eſt inſtituti. De fundatore Bibliothecæ res nondum adeo clara eſt. Fridericus Spanhemius quidem in Hiſtoria eccleſiaſtica ſeculo XIV. ſect. XII. n. 3. huius fundatorem primum dicit Ludouicum Barbatum, qui & Pius dicitur. Henricus Altingius Hiſtoria eccleſiaſtica Palatina *p. 134.* teſtatur, quod Rudolphus Agricola non ſolum Dalburgio Cancellario Palatino, verum etiam ipſi electori Philippo [qui poſt Ludouicum vixit] auctor fuerit, condendæ & colligendæ Bibliothecæ atque in eam contrahendi, quidquid meliorum auctorum in Palatinatu, Germania atque Italia potuit impetrari, addens: *Elector autem Palatinus eidem conſilio obtemperans, ſimiliter & locum Bibliothecæ deſtinauit, & quotquot boni ac probati auctores penes ſe & academiam erant, iſthuc congesſit; tum etiam ex Italia & aliunde coëmi curauit, qui huic inſtituto ſeruirent, vt deinde ad eruditionem adſpirantibus non deeſſent neceſſaria doctrinæ inſtrumenta. Quæ Bibliotheca ab his principiis paullatim ita excreuit, in eam amplitudinem & celebritatem, vt inſtructior ac maior non haberetur.*

Hunc sequitur Hottingerus Historia ecclesiastica N. T. parte IV. p. 43, & Ioannes Lomeierus de Bibliothecis *p. 243.* Ianus Gualterius, siue potius Ianus Gruterus, ipse huius Bibliothecæ præfectus dignissimus, libro secundo Chronici Chronicorum *p. 1257.* ita loquitur: *Heidelberga non tantum censetur & optime passim audit ob academiam & electoris Principis aulam: sed etiam ob Bibliothecam Palatinam, dedicatam primum ab Ottone Henrico, electore, auctam vero egregie sub Friderico IV. liberalitate Vlrici Fuggeri: adeo, vt facile libris Mstis Hebraicis, græcis, latinis, & quidem potissima sui parte authenticis, omnem prouocet Europam.* Verum, omnes hi scriptores, dissentientes licet, facilius poterunt conciliari, si dicamus, primum, vt Spanhemius dicit, fuisse fundatorem Ludouicum Barbatum. Hic enim Sigismundi Imp. querimonia, nullum esse inter Electores, qui latinam linguam calleret, motus, canus iam latinas litteras cœpit, quod sine librorum adminiculo fieri non potuit. Sed leuia hæc primum erant atque rudia initia, quibus suasu Rudolphi Agricolæ superstruxit primum Philippus, qui non locum solum certum Bibliothecæ destinauit, sed etiam bonos ac probatos auctores, qui penes se & academiam erant, vt Altingius ait, isthuc congessit. Maxime tamen huius Bibliothecæ opes Ottoni Henrico debentur,

de quo

de quo Iohannes, Comes Palatinus, in erudita oratione de ſcholæ Heidelbergenſis inſtauratione die XXVII. Decembris anno 1557. habita, ait, quod ex Maiorum Litterariis opibus multa conſeruarit. *Hic enim*, inquit auctor Præfationis ad monumentum virorum litteraria *tanto litterarum ſtudio flagrauit, vt etiam in iuuentute ſua litterarum non minus, quam religionis cauſſa, itēr in Palæſtinam ſuſceperit, vnde multos præſtantes Codices Arabicos & Græcos domum retulit. Poſtquam vero hæreditario iure Palatinatus regimen ſuſcepiſſet, in id iuxta incubuit, vt elegantiores litteræ vna cum puriore Dei cultu in Palatinatu floreſcerent, in eum finem non modo academiam reformauit, ſed & de Apparatu librario litteris operam dantibus proſpexit, librarios Heidelbergam & Typographos, qui tabernas omnis generis bonorum auctorum & characterum refertas haberent, primus annua mercede Heidelbergam inuitauit, & ad colligendos Codices rariſſimos & præſtantiſſimos, viros doctos, & in his per integrum quadriennium, Nicolaum Ciſnerum, Iuriſconſultum Celeberrimum quaquauerſum, maxime in Italiam & Galliam miſit, prout id Quirinus Reuterus in vita Ciſneri, eius opusculis doctiſſimis præmiſſa refert. Fundauit itaque Ludouicus Barbatus, locum deſtinauit Philippus, maxima incrementa dedit Otto Henricus.* Sub Friderico III, electore Vlricus Fuggerus inſignem Bibliothecam mille aliquot volu-

minibus Mstis, Græcis, Latinis, Hebraicis spectatissimam legauit, quæ inter accessiones non minimas olim superbiebat, de quo testatur Thuanus libro LXXX. Historiarum *fin.* Præcipuum huius ornamentum fuisse dicitur codex Bibliorum Hebræorum in membrana, maiestate litterarum, vetustate scripturæ, ac forma operis plane venerabilis. Iudæi quidam, cum Friderico III, Electore, ad eum inspiciendum admitterentur, ceu cœlitus delapsum suspexerunt, procidentes deosculati sunt, & tantum non adorarunt: polliciti ingentem auri vim, si vsibus Synagogæ suo concederetur. Eodem vsi sunt in sua versione Iunius atque Tremellius. Insignes quoque accessiones hæc Bibliotheca accepit ex illa Iacobi Bongarsii, quæ ex Floriacensi creuerat, atque anno 1612. certo pretio fuit coëmta. *Catalogum Manuscriptorum Codicum Græcorum* huius Bibliothecæ conscripsit FRIDERICVS SYLBVRGIVS, qui nuper inter Monumenta virorum illustrium prodiit *Francofurti 1701. 4.* Solus tamen est index sine vllis criteriis, vt de statu atque antiquitate Codicum constare non possit. Latinorum Mstorum Catalogus nullus extat, suppleri tamen quodammodo huius defectus poterit per indicem librorum e Fuggeriana Bibliotheca in Palatinam translatorum, quem idem Sylburgius confecisse di-

se di-

ſe dicitur. Verum, dolemus fatum Germaniæ, quod inſtructisſimam hanc Bibliothecam atque inter Europæas fere Principem, amitteret. Fatalis annus erat 1622. cum Heidelberga a Cæſareanis, Tillio Duce dirigeretur, Bibliothecam ſibi vindicante Maximiliano, Bauariæ Duce. Ieſuitæ quidem Colonienſes hanc ſibi animo ſpem conceperant, ſe eam magna auri copia oblata, eſſe obtenturos, & refert Daniel Toſſanus in oratione quadam Mſta, ſe ſuis vſurpaſſe oculis, quomodo is, quem in eum finem eo miſerant, a Bauatis verberibus exceptus, pedem cum pudore domum referre coactus fuerit, vti hæc teſtatur auctor præfationis in monumenta virorum illuſtrium. Bauarus concedebat Gregorio XV. obtinendi Electoratus ergo. Mittebatur ad accerſendam hanc Bibliothecam Leo Allatius, cui illud curæ erat, ne vel vnicum Codicem Mſtum potisſimum, omitteret, quos magno ſtudio conſtipabat, nec etiam propriis Gruteri, qui dum præfectus erat, parcebatur. Ita theſaurus hic incomparabilis Romam fuit delatus, vbi nunc potiorem Vaticanæ partem facit. Accuſabatur quidem Allatius redux, maxime a Scioppio, quod diſtraxiſſet libros meliores, erantque qui ipſum ideo ad ſupplicium trahi volebant: ſed optime ſe defendit, vt facile non abſolueretur ſolum, ſed etiam poſtea ipſius Vaticanæ cu-

næ cuſtos conſtitueretur, vti teſtantur Naudæana p. 2. Morhofius quidem polyhiſtore, libro I. cap. IV. auctor eſt, negare aliquos, quidpiam ad Bibliothecam Vaticanam perueniſſe, ſed per Cardinalium priuatas Bibliothecas fuiſſe diuiſam. Verum, licet facile, credendum, quod per militum rapinas aliqua fuerint disſipata, cum hinc inde in Germaniæ Bibliothecis diuerſæ adhuc reperiantur reliquiæ, immo haut pauci in Cardinalium Bibliothecas fuerint delati, potiorem, tamen eius in Vaticanam fuiſſe delatam minime dubitamus, cum non Allatius ſolum ſæpisſime ad Codices Palatinos prouocet, ſed etiam Mabillonius in Itinerario Italico Schelſtratius, Ioſephus Maria Thomaſius, ipſe quoque ex Proteſtantibus Gilbertus Burnetus p. II. Itin. p. 186. omnes oculati teſtes, vt dubium hodie ſupereſſe amplius non posſit.

§. XX.

Hæ ſunt Bibliothecæ extantiores deperditæ. Plures non memoramus, cum multa alia exempla eſſent Bibliothecarum, quæ vel iniuria, rapina, igne, fatoue alio perierunt. Multum paſſa fuit Bibliotheca Romana ſub Clemente VII, Laurentiana Florentiæ inter turbas ciuiles, Germanicæ in, bello iſto ferali. In piratas incidit Bibliotheca Io. Vincentii Pinelli. Igne periit Bibliothe-

bliotheca Cronstadtiensis apud Transylua-nos, & Thomæ Bartholini. Nec plura exempla colligimus, leget, qui volet, Eiusdem BARTHOLINI dissertationem ad filios *de Bibliotheca incendio*, *Hafniæ* 1670. 8. multa adhuc alia reperiet.

CAPVT TERTIVM
De
BIBLIOTHECIS EXTERORVM.

§. I. *Bibliotheca Constantinopolitana.* §. II. *Bibliotheca Aegypti.* §. III. *Bibliotheca Abyssinorum.* §. IV. *Bibliotheca Scorialensis Hispanica.* §. V. *Bibliotheca Hispanica aliæ.* §. VI. *Bibliotheca Gallorum Regia.* §. VII. *Aliæ Bibliotheca in vrbe Parisiorum.* §. VIII. *Bibliotheca Gallorum publica aliæ.* §. IX. *Bibliotheca Mazariniana.* §. X. *Bibliotheca Thuanea.* §. XI. *Bibliotheca Seguieria, Telleriana & Colbertina.* §. XII. *Bibliotheca regia & Londinenses aliæ.* §. XIII. *Bibliotheca Bodleiana.* §. XIV. *Bibliotheca Cantabrigiensis & Anglicana aliæ.* §. XV. *Bibliotheca Cottoniana.* §. XVI. *Bibliotheca Lugdunensis.* §. XVII. *Bibliotheca Vltraiectensis & Amstelodamensis.* §. XVIII. *Bibliotheca Belgii Hispanici.* §. XIX. *Bibliotheca Vaticana.*

ticana. §. XX. *Bibliothecæ Romanæ aliæ.* §. XXI. *Bibliotheca Florentina.* §. XXII. *Bibliotheca Mediolanensis.* §. XXIII. *Bibliotheca Venetorum.* §. XXIV. *Bibliotheca Sabaudica.* §. XXV. *Bibliothecæ Patauinæ.* §. XXVI. *Bibliothecæ Italicæ aliæ.* §. XXVII. *Bibliothecæ Heluetorum.* §. XXVIII *Bibliothecæ Suecicæ.* §. XXIX. *Bibliothecæ Danicæ.* §. XXX. *Bibliotheca Borussicæ.* §. XXXI. *Bibliothecæ Polonicæ.*

§. I.

INter Bibliothecas noſtra ætate adhuc reliquas, conſiderandæ primum veniunt, Orientales, de quibus vero non adeo certam atque accuratam habemus notitiam. In *Atho*, Thraciæ monte, qui Turcarum, paret imperio, ex M. Antonio Antimacho Michael Neander refert, dari bibliothecas celebratisſimas, quas etiam ſolis Mſtis conſtare Chytræus atque alii dicunt. Peireſcius, vti in eius vita teſtatur Gaſſendus, *p. 249.* in animo habebat, vt Lucam Holſtenium & Ioannem Iacobum Bouchardum mitteret, qui obſeruarent quæ digna, neque tamen, effectum habuit. In ipſa vrbe *Conſtantinopolitana*

litana prope palatium Sultani bibliothecam adſeruari, omnes fere conſentiunt, cuius etiam Sponius facit mentionem Voyage de l' Archipel *tomo I. p. 192.* In hac reperiri integrum T. Liuii Mſtum ſemper fama fuit, quod tamen, anxie licet quæſitum, nunquam fuisſe repertum, ex ore aliorum teſtatur Sponius. Reliquias eſſe bibliothecæ veterum Imperatorum Conſtantinopolitanorum facile patet. Edidit Anonymus quidam *Bibliothecam, ſiue antiquitates vrbis Conſtantinopolitanæ, Argentorati 1578. 4*, in qua Catalogum exhibet plurium Mſtorum, quæ reperiuntur Conſtantinopoli, vtpote Catalogum librorum hinc inde extantium, Catalogum librorum Patriarchæ Conſtantinopolitani, librorum Conſtantini Barini, Antonii Cantacuſeni, Michaelis Cantacuſeni, Iacobi Marmoretæ, Ioannis Suzi, Manuelis Eugenici. Ex hoc Catalogo Theologicorum ſaltim, ſacris Bibliothecarum arcanis retectis inſeruit Spitzelius. Imperatorum quidem Turcicorum Bibliothecam deſcripſit Michael Baudier in deſcriptione aulæ Turcicæ. Hanc autem ſecretam eſſe dicit, prope cameram regiam, libris egregiis atque ornatisſimis refertisſimam. Aliam adſeruari dicit prope Cameram aulæ miniſtrorum ſeruientium, inſtructisſimam æque, in qua adpareant etiam viginti ſex volumina immenſa ex Bibliotheca Conſtantini M. litteris

litteris aureis ſcripta, ligaturis argento deaurato munitis, & gemmis multi pretii ornatis. Hæc bibliotheca tanto in pretio habetur, vt nemini permittatur ſoli. Has autem bibliothecas ita copioſas eſſe cenſet Hottingerus, Bibliothecario Quadripartito *cap. II. p. 16.* vt ex duabus ſingulæ fuerint æſtimatæ quatuor tonnis auri. Iſtam vero magno incendio, quo potior pars palatii Turcici d. 18. Iulii 1665. abſumta eſt, ſimul conflagraſſe dicitur. Sic etiam aliam magni Turcarum ſacerdotis, eandemque inſtructisſimam commendat Henricus Spondanus Annalibus Eccleſiaſticis Tomo VI. ad annum 1633, quam tamen incendio etiam abſumtam fuiſſe dicit.

§. II.

In *Aegypto* plures adhuc bibliothecas adſeruari commemorant, qui terras iſtas deſcribunt. Inter has autem illa, quæ in *Madraſe*, villa prope Cairum eſt, ob Mſtorum copiam maxime eſt æſtimanda. Deſcribit illam Athanaſius Kircherus de litteris & lingua Copta *p. 512. & 155.* his verbis: *atque hi ſunt tituli librorum, de variis materiis tractantium, quæ in Madraſe Cayri adhuc ſuperſunt, quæ omnia confirmat P. Ioſephus Marcellaia e Societate noſtra Sacerdos, mihique curioſius inquirenti, non ſemel retulit Melitæ, ſe dum in Aegypto degeret, hanc Bibliothecam luſtraſſe, multa-*

que

que millia Msstorum comperisse, quos tanta custodiunt cura, vt nulli sub pœna capitis inde librum extrahere liceat, addit quoque, se inter cætera admiratum esse, certos quosdam papyraceos Codices seu hieroglyphicos, iis figuris, quæ in Obeliscis Romanis conspiciuntur, conscriptos: & quamuis Turcæ nullam fere, si Alcoranum excipias, librorum curam suscipiant, horum tamen ob antiquitatem magnam curam haberi. Audiui a diuersis, in Materea, vicino Cairo vico aliam adseruari bibliothecam. Verum cum hic locus vix habitatus sit, nullam relationi fidem adhibeo, sed vt, postea Europeis falsus rumor de Bibliotheca Aegypti innotescere potuit, quod hic adiungo, vt quid referentibus de Bibliotheca memorata credendum sit, habeat Lector. Gassendus in vita Peirescii refert, Aegidium Lochiensem, e Capucinorum familia, ex Aegypto reducem, vbi toto septennio linguis Orientalibus operam nauarat, narrasse, codices raros in cœnobiis variis exstare, & præcipue visam sibi esse Bibliothecam.

§. III.

Mira sunt, quæ de *Abyssinorum* Regis Bibliotheca, auctoritate Ludouici de Vrreta narrat Claudius Clemens libro II. sect. IV. cap. II. musei sui. Adseruatam istam dicit, in monasterio sanctæ Crucis, in monte Amara, tria amplissima conclauia replentem, quibus contineantur amplius decies millies centena

tena millia voluminum, ſcripta in candidis membranis pergamenis, atque in thecis ſericis repoſita. Hanc librorum ſuppellectilem aceruare cœpiſſe Reginam Sabæ, cuius dicantur eſſe opera pleraque cum aliis Enochi, Nœmi, Abrahami & Iobi, nec deſiderentur vlla ſanctorum monumenta, qui aliquid ſcripſerunt, ſicuti conſtet ex indice Antonii Grici & Laurentii Cremonenſis, qui rogatu Cardinalis Sirleti & iuſſu Gregorii XIII. hanc bibliothecam inuiſerint: Hæc autem potiſſimum collecta ex bibliotheca Muleasſis, Tunetanorum Regis, quæ, cum per exercitum Caroli V. Imp. disſipata, Mena Æthiopiæ Imperator negotium dedit negotiatoribus Ægyptiis & Venetis, quocunque tandem pretio poſſent, vt libros redimerent, quos adeptos ſtatim ad regiam Abysſinorum miſit. Sed ingens, quem Vrreta adſignat, numerus, hæc reddit fide indigna, vt taceam alia. Quare Nicolaus Godignius de Abysſinorum rebus libro I. c. XVII. Vrretam, quem ſæpius reprehenderat, etiam in hoc erroris arguit, dicens, ſe ex litteris habere & narratione eorum, qui loca illa diu coluerint, nullam dari in monte Amara bibliothecam. Nonnihil librorum eſſe in eo cœnobio, quod Axumum dicatur, ſed regiæ hanc bibliothecæ nomen non mereri. Ridere Romanos, quæ de Grico referat, Menam

nam vero Imperium tenuisse post viginti quatuor annos, quam Carolus V. Tunetam ceperat. Vt ideo incerta maxime sit fides Vrretæ.

§. IV.

In Occidente primum nos occupabunt Bibliothecæ Hispanicæ, quas breuiter ANDREAS SCHOTTVS in *Hispania Bibliotheca, Francofurti 1608. 4.* edita, descripsit, de qua infra dicemus plenius. Inter illas eminet celebratissima Scorialensis. Auctorem illa, imo monasterium in quo recondita, habet Philippum II. Hic enim, cum in acerrimo ad S. Quintinum prœlio, anno 1557. die S. Laurentii, Gallos deuicisset, voti postea, quod antea fecerat, damnatus, omnes in hoc monasterium diuitias impendit. Consilium de recte instituenda hac bibliotheca dedit Ioannes Baptista Cardona, episcopus Dertusanus, atque ad eius exemplar postea indicem imprimendum diuulgandumque suadet. Initium, prout fieri adsolet, leue fuit, & quidem libri, quos ad vsum priuatum collegerat Philippus. Intellecto tamen animo Regis, vt testatur Cardona, librorum colligendorum, principes multi & Hispani & exteri, multique homines eruditi gloriosum putarunt, libros rariores, quos nacti fuerant, ad regem mittere, ita vt Ioannes Mariana testetur, ex omnibus Europæ partibus ad famam

noui operis magno numero libros confluxiſſe. Maxime vero, Didacum Hurtadum Mendozam, Cæſaris olim apud Venetos legatum, accepta e media Græca Græcorum librorum plena naui, aliisque ex bibliotheca Beſſarionis deſcriptis, iisdemque poſtea teſtamento legatis, mirifice eandem ornasſe refert Franciſcus Schottus libro II. Itinerarii Italiæ cap. X. Hunc ſecutus fuit Antonius Auguſtinus, Archiepiſcopus Tarraconenſis, qui omnes libros, Mſta, antiquitates, huic legauit bibliothecæ. Separatim prodiis *Catalogus bibliothecæ* eiusdem, *Tarracone 1587. 4.* Imitatus eundem Pontius, epiſcopus Legionenſis, qui poſt mortem omnia Mſta huic bibliothecæ concesſit Idem fecit cum Mſtis ſuis Græcis, Hebraicis & Arabicis Arias montanus. Regis Maroccani etiam bibliothecam Arabicam, conſtantem ſeptem mille & octingentis libris, in eandem fuiſſe auectam teſtatur Thomas Erpenius. Hanc autem Ioannes Mariana libro II. de Regis inſtitutione capite X. ita deſcribit: *veſtibulo bibliothecæ impoſita, maiori longitudine omnino pedum centum octoginta quinque, lata pedes triginta duos. Libros ſeruat, præſertim Græcos, manuſcriptos, præcipue plerosque vetuſtatis: Bibliothecæ parietes elegantes picturæ exornant, artes ingenuas artificioſe exprimentes, cum antiquis comparandæ. Oſtium eius inſtrato*

opere

opere variatum ex Germania huc delatum dicitur. Pauimentum marmore splendet: arcuatum tabulatum variis picturis, librorum subiectorum materiæ, quam continent, respondet. Repositoria & plutei cuncti ex ligno Indico parati, & marginum extremitas in libris deaurata. Quinque ordines pluteorum, sibi inuicem impositi libri recipiunt, quisque centum passuum longitudine se extendens. Cernuntur hic Caroli V. Philippi II, III. & IV. effigies, ac aliquot globi, præcipue vero vnus cœlestem & terrestrem globum cum Planetarum cursu, admirando artificio ante oculos ponens: Nulli Monacho librum ex Bibliotheca secum in conclaue suum sumere licet, sed in Bibliotheca ipsa studiis operam & tempus impendere vnicuique integrum est. Ex hac in aliam Bibliothecam deducuntur spectatores, hæc libris Mstis in suos pluteos dispositis referta est, inter quos Augustinus de sacro baptismate propria manu scriptus. Adest hic etiam Papæ, Pii V. mensa, qua in scribendo vti solebat: & vetus Hierosolyma, vt tempore Christi fuisse creditur, ex ligno opere sectili artificiose confecta. Totum reliquum conclaue effigiebus meris tectum inter alias inspiciendum præbet Ioannis Austriaci imaginem cum duobus laternis, quibus in magno illo prælio nauali anno 1571. fuit vsus, vti hæc ex Hispaniæ descriptione noua p. 165. & 166. habet Ioannes Lomeierus de Bibliothecis cap. X. Matthæus Quadus autem Geographicarum enarrationum

libro VII. tria illam diuersa conclauia habere dicit, in quorum primario omnes depictæ videntur facultates: ad pedes cuiusuis picturæ eius facultatis libri omnes concinno ordine locatos, omnes inauratos, eiusdemque compacturas. Ibidem etiam ingentem esse positum dicit librum totum membranaceum, in quo omnis generis animantia, quæ in vniuerso terrarum orbe vsque conspecta sint, ad viuum suis coloribus adumbrata conspiciantur. Alterum conclaue meros continet libros manuscriptos latinorum, Græcorum & Hebraicorum Theologorum, quibus singulis auctorum suorum imagines sunt positæ. Tertium solis Mstis esse refertum variorum auctorum ac facultatum, variarum etiam linguarum, quibus similiter & sui auctores ad viuum depicti sint adiuncti. Ad hanc Bibliotheam facit præter dictum IOANNIS BAPTISTÆ CARDONÆ *Consilium ad Philippum II. de Regia sancti Laurentii Scorialensis Bibliotheca recte instituenda*, quod cum aliis eiusdem prodiit *Tarracone 1587. 4.* ALEXANDRI BARVOETII *Catalogus præcipuorum auctorum ineditorum, qui Msti adseruantur in Bibliotheca Scorialensi.* Impressus hic index primum est post prolegomena Balthasaris Corderii ad Cyrilli Alexandrini homilias XIX. in Ieremiam, latinitate donatas atque editas *Antvverpiæ 1648. 8.* Postea Venerandus Schmidtius eundem catalo-

talogum collectioni suæ Maderianæ inseruit. Eundem in appendice Adparatus sacri habet Antonius Posseuinus, & Spitzelius Sacris Bibliothecarum arcanis retectis p. 220. Baruoetius autem simul memorat, alium, eundemque accuratiorem indicem a Dauide Coluillo Scoto confectum, quem ipse vna cum animaduersionibus edere cogitet in lucem. Corderius quoque in epistolis duabus, quas dictis Cyrilli homiliis præmisit, altera ad Balthasarem de Fuentabrada, monasterii S. Laurentii Priorem, altera ad lectorem, laudes huius bibliothecæ prædicat. Cum Specimine nouæ Bibliothecæ Mstorum Philippi Labbei, in Supplementis Prodiit SCIPIONIS TETII *Index Mstorum Bibliothecæ Scorialensis*, *Parisiis* 1653. 4. Arabicorum quorundam Mstorum, qui in eadem adseruantur, catalogum in appendice Smegmatis Orientalis exhibuit Hottingerus, atque ad calcem Bibliothecæ Orientalis. Sic etiam Christianus Rauius edidit Catalogum CCLXI. voluminum Arabicorum huius Bibliothecæ, subiectum eiusdem præfatiunculis in primam tredecim partium Alcorani Arabico-latini, qui eundem catalogum a Iacobo Golio se esse adeptum profitetur, licet ille non contineat bibliothecam Arabicam, quam Maroccanus Rex a fratre potentiore profugus Hispanis contulit, quæ sola septem millibus voluminum dicitur constitisse. Claudius Clemens in fine Musei sui

accuratam Regiæ Bibliothecæ Scorialensis adiecit descriptionem.

§. V.

Præter hanc regiam, celebratur apud Hispanos quoque *Bibliotheca Complutensis*, quam cum Academia erexit Franciscus Ximenes, Cardinalis et archiepiscopus Toletanus. Hanc iam multa bonorum Codicum copia fuisse instructam, Ximenis tempore, testatur præfatio in Biblia Complutensia, eandem vero postmodum taliter instructam, vt cum Vaticana, Medicæa, Oxoniensi multitudine librorum certare dicatur. *Salmanticensi* Academiæ Ferdinandum Nonium, cœlibem, Bibliothecam suam instructissimam legasse, testatur Thuanus libro XI. p. m. 239. Testantur tamen itineraria, eandem amplam quidem esse, nec tamen libris adeo multis constantem. Talem laudem non habent *Murcianæ*, *Cæsaraugustana*, *Validoletana* & aliæ, quæ a diuersis memorantur. De Lusitanorum vero Bibliothecis nihil adhuc certi percepimus, neque etiam Ludouicus Iacobi ex ore Comitis de Vidiguera legati Lusitanici, alias quam priuatas suo tempore memorat, quæ tamen ob temporis rationem omnino dissipatæ. Reliqua reperiuntur in tractatu *de Hispaniæ academiis, Bibliothecis, scriptoribus per A. S. Peregrinum*, siue ANDREAM SCHOTTVM, *Francofurti 1608*. 4. qui liber non ad notitiam Biblio-

bliothecarum ſolum: ſed ad omnem Hiſpaniæ Statum litterarium optime facit.

§. VI.

Ex Hiſpania tranſimus in *Galliam*, in qua tot reperiri Bibliothecas Ludouicus Iacobi adſerit, quot fere in reliquis Europæ partibus non habeantur. Hoc licet nimium ſit dictu, neque tamen diffiteri poſſumus, magnum apud Gallos reperiri Bibliothecarum adparatum. Prima Bibliothecæ Regiæ fundamenta Carolus V, dictus Sapiens in arce Fontisbellaquenſi iecis. Hæc a ſucceſſoribus varie & aucta eſt, a Ludouico XI. in palatium regale, a Ludouico XII. vero Bleſas, natiuitatis oppidum transſocata, donec Franciſcus I, & fatis & Marte & litteris inſignis, duas Bibliothecas inſtitueret, vnam Pariſiis prope monaſterium Franciſcanorum, alteram in arce Fontisbellaquenſi, quas conquiſitis vndique ex omni Græcia & Arabia libris illuſtrare ſtuduit, Petri Caſtellani & Guilielmi Budæi opera vſus, inprimis autem data Guilielmo Poſtello, regio olim profeſſori & eruditis æſtimato viro opera, cui, cum vitæ in melius mutandæ cauſſa ab aula vellet recedere, ſex millia aurea Francicorum obtulit, Poſtello tamen recuſante. Iſta varie poſtmodum, maximam partem vero a Ludouico XIV. fuit mirum in modum locupletata. Abundat illa non librorum ſolum impreſ-

ſorum immenſa copia, ſed etiam copia præſtantisſimorum Mſtorum. Creuit etiam ex Codicibus Bibliothecæ Florentinæ, per Cathar nam Medicæam in Galliam delatis. Adſeruatur in eadem inſigne antiquitatis monumentum ſepulcrale Childerici Francorum Regis, quod Tornaci 1653. cum multis nummis, apibus aureis, aliisque monumentis antiquis effoſſum, ab Imperatore, Ioanni Philippo, Moguntino electori donatum, atque ab hoc Gallis conceſſum! Hoc ipſum monumentum in *anaſtaſi* ſua *Childerici* ſingulari libello deſcripſit IOANNES IACOBVS CHIFLETIVS *Antverpiæ* 1655. 4. Deliberabatur ante annos aliquot, de in publicum edendo catalogo bibliothecæ Regiæ tum impreſſorum, tum Mſtorum librorum, neque tamen de ordine litterario conueniebat, licet idea quædam eſſet in catalogo bibliothecæ Tellerianæ. Manuſcriptorum vero catalogum edidit PHILIPPVS LABBEVS Huius enim eſt *Noua Bibliotheca Mſtorum librorum, ſeu ſpecimen lectionum antiquarum latinarum & Græcarum, cum ſupplementis, Pariſiis* 1653 4. In hoc ſpecimine indicem exhibet Mſtorum, quæ in Gallicis Bibliothecis, Regia præſertim, atque virorum eruditorum aliorum reperiuntur, in varias ſectiones diuiſum, cum indice chronologico. In ſupplementis habentur Catalogi Tomorum VI. antiquæ lectionis Henrici Caniſii & Scipionis

Tet-

Tettii index Mſtus Bibliothecæ Scorialenſis, ſacræ congregationis de propaganda fide, Arabicorum Golii, Bibliothecæ Regiæ, præſertim veterum editionum a primordiis Typographiæ ad annum 1500, nec non Bibliotheca Bibliothecarum. Verum, cum hic Labbeanus mancus adhuc ſit atque mutilus, anno 1685. de nouo fuit actum. Quid de eo ſperandum, ex Bailletti Tomo II. p. 251. habet Morhofius Polyhiſtore lib. I, cap. XVII, dum ait: *primum nouus Catalogus Mſtorum Codicum conficietur, longe Labbeano plenior & accuratior, atque ſingulorum exactum rigidumque examen criticum inſtituetur: Addentur breuia eorum ſummaria, cum recenſione hiſtorica de cuiuscunque Mſti codicis fortuna & conditione. Quod cum ab vno perfici opus non poſſit, duodecim vel tredecim viris doctrina & iudicio ſingulari praeditis totum committetur negotium, vt illi partitis inter ſe operis agant. In tria illi diſpeſcentur Collegia, quorum vnum in Manuſcriptis Hebraicis aliisque Orientalibus, alterum in Mſtis Græcis, tertium in Mſtis Latinis verſabitur.* Immo hoc ipſum inſtitutum ad effectum fuiſſe deductum noui, ita, vt Græca Mſta recenſeret Ioannes Baptiſta Cottelerius & Carolus du Freſne: Latina vero Michael Germanus, Placidus Porcheronus & Theodoricus Ruinartus, Benedictini omnes, atque iam Caſimirus Oudinus ſe his Catalogis vſum fuiſſe teſtatur. Optandum ſolummodo,

F 5

modo, vt publicæ vtilitatis ergo euulgaretur. Inter Bibliothecæ præpositos Gallia numerat Robertum Gaguinum, Guilielmum Budæum, Petrum Castellanum, Thuanos, Hieronymum Bignonium, Colbertum, & qui nunc præest, Camillum Tellierum de Louuois. Bibliothecarios nouit Nicolaum Rigaltium, Isaacum Casaubonum & hodiernum, Ioannem Boiuinum.

§. VII.

Præter Regiam apud Parisienses reperitur adhuc *Bibliotheca Collegii Sorbonici*, quæ inter præcipuas numeratur. Ebræis Mstis potissimum atque diuersis Bibliorum editionibus excellit. Dotauit eandem insigniter Dominus de Roches, Cantor Archiepiscopalis. Alia quoque commendatur *Collegii Nauarreni*, *Ordinis Benedicti*, *S. Victoris*, *Canonicorum D. Augustini Regularium*, *Augustinianorum*, *Eremitarum* & *Cælestinorum*. Commendatur etiam *Bibliotheca* & Cimeliarchium in abbatia *S. Genoueuæ* apud Parisios, licet vltimum hoc præstet, quod descripsit CLAVDIVS MOLINETVS in libro, cui titulus: *Le Cabinet de la Bibliotheque de Ste Genevieve, à Paris 1692. f.*

§. VIII.

Extra Parisiorum vrbem præstat *Bibliotheca S. Germani*, ordinis Benedictinorum, quæ in duobus est conclauibus, quorum superius

perius solos habet Codices Mstos, inter quos opera Augustini & Lombardi sententiarum liber potissimum æstimantur, liber etiam arborum corticibus inscriptus, Liber characteribus plenus, cuius auctor esse putatur Cicero, & quo ipse Cyprianus vsus esse dicitur. Liber psalmorum membranis inscriptus, qui a Iustino Imp. S. Germano donatus esse dicitur, & alia. Lugduni adseruatur *Bibliotheca apud Prædicatores*, in qua liber IV. Maccabæorum græca lingua conscriptus adseruari dicitur. *Bituricensem Bibliothecam* ex legato reddidit celebriorem Nicolaus Boërius. *Rotomagi Bibliothecam* fundarunt publicam quidam Canonici, cuius fundationem describit inter alia *Histoire de l'eglise Cathedrale de Rouën Metropolitaine & Primatiale de Normandie, à Rouen 1687. 4.* Bibliotheca *Collegii Claromontani* Ioannem Harduinum præfectum nouit.

§. IX.

Post regiam atque publicas alias vel Monasteriorum Bibliothecas, priuatæ veniunt, inter quas *Mazariniana* olim æstimabatur plurimum. Hæc a Iulio Mazarino, Cardinali & originem & nomen habet. Ad hanc quidem nec sumtibus parcebatur, nec deerant donationes, cum ad illam ornandam complures Reges ac Principes vniuersæ Europæ omnes item legati Gallicani, qui integro decennio

cennio in regiones quasque miſsi ſunt, operam ſuam liberaliter contulerunt, ita ut vel ipſo Naudæo teſte, qui Bibliothecæ curam gerebat, volumina quadragies mille amplius comprehenderet, atque inter Mſtos Codices quam plurimos, centum potisſimum ac quinquaginta volumina, in quibus deſcripta exterarum prouinciarum, ciuitatumque mores, leges, conſuetudines. Leges item & fundationes, omnium religioſorum collegiorum, hoſpitalium, communitatum & fraternitatum, pars etiam hiſtoriæ vniuerſalis. Verum, tantus theſaurus tanta cura collectus, cum ipſe Mazarinus a Parlamento proſcriberetur, eiusdem Parlamenti iuſſu publice fuit diuenditus ac disſipatus. Omnem quidem mouebat lapidem Naudæus, quo hæc fata auerteret, ideoque edebat *Auis a Nos Seigneurs de Parlement ſur la vente de la Bibliotheque de Mr. le Cardinal Mazarin, 1652. 4,* quod ſcriptum poſtea in Germanicum ſermonem fuit translatum, ſed fruſtra erant omnia. Ab exilio reuocatus Cardinalis, reſtaurabat quidem Bibliothecam, plures etiam, qui libros ex eadem tenebant, vltro offerebant, neque tamen priſtinum ſplendorem hæc reſtituta Bibliotheca accipiebat, quam moriens Regi legabat.

§. X.

Mazarinianæ merito ſubiungimus celebratisſimam illam *Iacobi Auguſti Thuani*. Quantas curas ſumtusque in eandem impenderit, Thuanus, in ſua præfatione, quam catalogo in ſuperioribus commendato præmiſit, teſtatus fuit Ioſephus Quesnel. Quadraginta annos in horum collectionem inſumſerat, ad ſolam librorum compactionem viginti millia ſcutatorum nummum & amplius fuerunt conſumpta: & ne quid deeſſet cultui, vbi deerat optima & maior charta, etiam in regiones longinquas illam mitti & perucchi non ſine ſumtu curatum eſt. Conſilio ad eandem vſus fuit doctisſimorum virorum, cura in eadem ordinanda fratrum Puteanorum. Eminebat multitudine librorum, ſelectu, raritate, ornatu & copia Mſtorum quam pluri-morum, eorundemque rarisſimorum, atque inter hæc actorum publicorum variorum, prout catalogus teſtatur. Diſtrahi quidem eandem vltimæ voluntatis tabulis vetuerat, atque digna ſunt teſtamenti verba, quæ ex Gramondi libro III. hic adducantur: *Bibliothecam meam quadraginta amplius annorum ſpatio, magna diligentia ac ſumptu congeſtam, quam integram conſeruari non ſolum familiæ meæ, ſed etiam Rei litterariæ intereſt, diuidi, vendi ac disſipari veto, eamque communem cum numismatibus antiquis, aureis, argenteis & æreis inter filios,*

filios, qui litteris operam nauabunt, facio, ita, vt etiam exteris, simul aliis Philologis ad vsum publicum pateat. Eius custodiam Petro Puteano cognato meo & multis nominibus mihi charo, donec filii adolescant, committo, qui & libros manuscriptos iis, qui opus habebunt, vtendos dare poterit, modo de illis restituendis idonee caueatur. Certe, hæc magnum amorem boni publici præ se ferunt. Seruauit etiam filius eiusdem nominis, sed post huius mortem, edito Catalogo, venum fuit exposita. Quid de ea actum Græuius ep. XIV. ad Gudium exponit. *Indices,* inquit, *insignis illius Bibliothecæ Thuaneæ, quæ vendita est, credo te vidisse. Digni sane sunt, qui videantur a te. Manuscriptos Codices sibi vindicauit Colbertus, vt & plerosque editos. Sic ad altos dominos transiit tam pretiosa Bibliotheca, quæ longe vilius fuit vendita, quam inuolucra voluminum fuerunt olim a Thuano parata.* Sed, hæc fata Bibliothecarum.

§. XI.

Seguieria nomen habet a Petro Seguierio, conditore, qui magnus Galliæ Cancellarius, vir erat eruditissimus. Hanc librorum multitudine cum Vaticana olim atque Florentina comparare non dubitarunt, magna etiam Mstorum Græcorum latinorumque copia excellentem. *Catalogus* eiusdem *Bibliothecæ* prodiit *1686*, nec tamen adeo accuratus, ipsa vero Bibliotheca postea fuit venun-

nundata. Adnectenda huc est *Bibliotheca Telleriana*, quam magna cura collegerat olim Carolus Mauritius le Tellier, archiepiscopus Rhemensis. Eminebat illa libris exquisitissimis varii generis, potissimum vero, illis, qui ad Theologiam faciunt atque Historiam ecclesiasticam. Catalogus eiusdem iustam Bibliothecæ disponendæ præbet ideam, secundum quam olim Bibliothecæ Regiæ catalogus erat disponendus: prodiit *Parisiis 1693. f.* Vltimum est, vt de *Colbertina* dicamus. Auctorem illa habet Ioannem Baptistam Colbertum, Marchionem de Seignaly, qui verus erat Mæcenas. Potiora habet ex Thuanæa, sed postea immensis sumtibus fuit adaucta consilio Stephani Balutzii, qui præerat Bibliothecæ, ordinata atque locupletata. Verum, post mortem Colberti, hæc ipsa vna cum Cimeliarchio instructissimo fuit dissipata. *Bibliotheca Lamoniana*, siue aduocati Generalis de Lamoignon a præfecto suo Adriano Bailleto est notissima. Præfationem Catalogi huius Bibliothecæ insertam videmus Bailleti Iugemens des Scauans tomo secundo.

§. XII.

Bibliotheca Anglorum Regia *Westmonasteriensis* in D. Iacobi fano adseruatur. Eandem potissimum Eduardi VI. munificentiam promouisse facile patet, dum apud omnes con-

stet,

ſtet, quantus ille ſtudiorum fuerit Protector. Monſtratur in eadem, præter magnum alias Mſtorum numerum, Codex V. & N. Teſtamenti, quem Alexandrinum vocant, eo quod Cyrillus Lucaris ab Alexandrina ſede ad Conſtantinopolitanam translatus, ex Ægypto illum ſecum aduexerit, eundemque Carolo II. Anglorum Regi dono miſerit, manu Theclæ, quæ ſub Diocletiano martyrium fuit paſſa, deſcriptus dicitur, cum tamen vel ipſis Anglis fatentibus, antiquitas eius vix vltra mille annos adſurgat. Omnes, qui de hac Bibliotheca tradunt, negligentius illam haberi dicunt. Inter præfectos clarent Patritius Iunius, Henricus Iuſtellus, & qui modo præeſt Richardus Bentleius. Præter hancce regiam alia eſt *Collegii Sioniti*, cuius *catalogum* IOANNES SPENCERVS, qui bibliothecæ olim præfuit, dedit *Londini 1650. 4*, nuper eandem curauit Petrus Allixius. Tertia eſt archiepiſcopalis *Lambethana*, cui olim præerat Paulus Colomeſius. Hæ tres ſunt Bibliothecæ publicæ, licet olim duodecim tales fuerint apud Londinenſes. Supereſt *Bibliotheca Societatis Regiæ*, cui legato ſuo Dux Norfolcienſis potiorem dedit originem, atque inter priuatas, *Cottoniana*, de qua infra. Inteſtinis Anglorum motibus plures Bibliothecæ perierunt, Carmelitarum meris manuſcriptis conſtans, & Franciſcana cum Rogerii

genii Baconis libris. Pleniorem harum, aliarumque Londinensium Bibliothecarum notitiam haurimus ex libro, cui titulus: *Memoires & obseruations faites par vn voyageur en Angleterre sur ce, qu'il ya trouvé de plus remarquable tant à l'egard de la Religion, que de la Politique, des moeurs, des curiosites naturelles, & quantité de faits Historiques, avec vne description particuliere de ce qu'il y a de plus curieux dans Londres, à la Haye 1698. 12.* In hoc libello, licet auctor, qui militiæ se deditum esse profitetur, nec iusto ordine, nec etiam styli suauitate vtatur, varia tamen recenset, quæ digna sunt notatu. Huc etiam facit ANDREÆ ADAMI HOCHSTETTERI *oratio de vtilitate peregrinationis Anglicanæ, Tubingæ* sub auspicium professionis suæ recitata & postmodum edita *1697. 4*, qua inter alia, etiam Bibliothecas, sed breuissimis saltim, exponit.

§. XIII.

Apud Oxonienses potissimum clara est *Bibliotheca Bodleiana*, cuius originem & statum describere conueniet. Habebat Oxoniensis academia suam Bibliothecam, quæ ob Humfredi, Glocestriensium Ducis collatas in eam opes, Humfrediana adpellari fuit solita, atque anno 1427. instituta. Sed, prout fata studiorum sub Eduardo IV. admodum aduersa, sic eadem experta fuit dicta Bibliotheca, mittebantur enim visitato-

res, qui libros aut in foro combusserunt, aut in propriis musæis reposuerunt, aut demum librariis, bibliopegis, chirothecariis & sutoribus distraxerunt, libris compingendis, chirothecis comprimendis &c. inseruituros, ita, vt habita sub Maria inquisitione, ne vnus quidem amplius adpareret Codex, præter Valerium Maximum. Immo ipse locus Bibliothecæ, detracto adparatu, sordidissimis addictus fuit vsibus, ita vt, cum nulla amplius spes superesset bibliothecam restituendi, academici anno 1555. ipsa quoque subsellia vendenda censerent. Misera hac rerum facie commotus Thomas Bodleius, suum de Bibliotheca restauranda consilium academiæ Vice-Cancellario exposuit, & quam desiderabat, Academiæ adprobationem cum adplausu obtinuit. Ipse interea Ioannem Billium bibliopolam, in Galliam, Italiam, Germaniam & Hispaniam misit, ad libros rariores emendos, immo ne orientales deessent, iuuenem quoque harum linguarum peritum in Turcicas regiones mittere constituerat, atque suas facultates in codices & impressos & manuscriptos liberaliter profudit, doctorum insuper & diuitum auxilium maximopere sollicitauit, demandata disponendæ cura Thoma Iamesio. Ista ratione ditata fuit Bibliotheca intra septennium bis mille voluminibus, atque dedicata fuit anno 1602.

&

& Caſaubono teſte, Bodleius ad ornatum Bibliothecæ mortuus aut viuus contulit ducenta millia librarum Gallicarum epiſt. DCCLIV. Mortuo demum Bodleio, etiam huius exemplum alios quoque excitauit. Quippe eccleſiæ Oxonienſis Decanus & Capitulum tractatus manuſcriptos centum & triginta ad hanc Bibliothecam transmiſere. Guilielmus Herbert, Comes Pembrochienſis & academiæ Cancellarius, codices manuſcriptos Græcos Venetiis deportatos emit, eosque Bibliothecæ donauit, qui quoniam ex Bibliotheca Baroccii prodierunt, communiter Barocciani libri nuncupantur. Poſt Kenelmus Digby, eques auratus, academiæ libros manuſcriptos ducentos triginta tres, Guilielmus vero Laud, archiepiſcopus Cantuarienſis, eorum plus quam mille & trecentos exhibuit. Anno 1659. amplum Io. Seldeni Muſeum Bibliothecæ obtigit. Anno 1673. Thomas Fairfax moriens eidem legauit collectiones antiquitatum D. Rogeri Dodſvvorth, 150. voluminibus conſtantes, vna cum 28. codicibus manuſcriptis varii generis. Anno 1677. Franciſcus Iunius centum prope Codices Mſtos Saxonicos, Francicos, Gothicos, Teutonicos, aliisque linguis Septentrionalibus exaratos, vt, quid Robertus Huntingdon, quid Thomas Mareſchallus, quid Thomas Barlouius præſtiterint, taceamus.

mus. Prope Bibliothecam Bodleianam Musæum habetur Ashmoleanum, seu locus, vbi anno 1683. Elias Ashmole, regius fecialis, ingentem rerum naturalium thesaurum ex omnibus gentibus collectum & Academiæ donatum reposuit. Prout hancce historiam prolixius videmus expositam in Prolegomenis præmissis *Catalogis librorum Mstorum Angliæ & Hiberniæ in vnum collectis*, *Oxoniæ* e theatro Scheldoniano, *1697. f.* & quæ illos recensent Acta Eruditorum anni 1699. p. 225. Verus Auctor huius collectionis EDVARDVS est BERNHARDVS, qui ex decreto Oxoniensis academiæ omnes, qui Msta possiderent, sollicitauit, vt eorum Catalogos confectos ex tribus Britanniæ insulis transmitterent. Quare, non vnius, sed plerarumque tum publicarum tum priuatarum Bibliothecarum in hac collectione comprehenduntur Catalogi, a diuersis auctoribus confecti, quorum etiam nomina non dissimulauit Bernardus. Hoc tamen labori immortuo, vltimam manum imposuit Humfredus Wanley. Comprehenduntur in his Catalogis triginta millia Manuscriptorum, licet Wanleius testetur, alia adhuc triginta millia in Angliæ bibliothecis delitescere. Primi tomi prima pars Bibliothecæ Bodleianæ codices, secunda collegiorum & aularum Oxoniensium: tertia Cantabrigiensium comprehendit. Secundus Tomus parte priori libros

multi n. catal. [illegible] suos non continuarunt.

ec-

eccleſiarum Cathedralium manuſcriptos recenſet, aliosque a priuatis congeſtos, poſteriori ſiſtuntur Catalogi ex Hibernia transmiſſi, quos inter omnium ſunt ampliſſimi, qui Henrici, Comitis Clarendonii, atque dehinc Collegii S. Trinitatis, quod eſt Dublinii, codices referunt. Dolendum ſaltim, breuem admodum eſſe Codicum deſignationem, alias maioris longe vtilitatis, ſi criteria aliaque notatu digna fuerint adiecta. Interim tamen eximiæ eſt vtilitatis, & Iameſii Catalogo miris modis locupletior. Idem Thomas Iameſius Catalogum impreſſorum Bibliothecæ Bodleianæ reliquit *Londini 1620. 8. & 1638. 8.* Verum longe eundem ſuperat THOMÆ HYDE *Catalogus Bibliothecæ Bodleianæ, Oxonii 1674. f.* in quo ſub auctoribus ordine alphabetico adlegatis, ſcripta illorum, quotquot in dicta Bibliotheca reperiuntur, fuerunt digeſta. Locupletiſſimus certe eſt theſaurus, qui etiam aliis ad noſcenda auctorum ſcripta atque editionum diuerſitatem vtilitatem ſuam præbere poteſt, licet etiam varii irrepſerint næui. Interim, cum multæ adhuc acceſſiones fuerint factæ, eiusdem quoque Catalogi ſupplementa fuerunt promiſſa, quæ adhuc expectamus. Bibliothecæ a primordiis ſuis præfuerunt Thomas Iameſius, Ioannes Rouſe, Thomas Barlovv, Thomas Lockey & Thomas Hyde. Ad eandem aduenæ quotidie per integras quin-

que horas, vel & amplius admittuntur: tametsi nonnisi præstito iuramento, osculoque Bibliis fixo.

§. XIV.

Cantabrigiensis academia, quæ de antiquitate cum Oxoniensi certat, habet suum thesaurum librarium. Sensim ille creuit, ex legato potissimum Iobi Rustotii, qui annuas quinquaginta libras locupletandæ Bibliothecæ legauit. Reperitur in eadem rarissimus Psalmorum Codex, Hispanis in Gadium oppugnatione ereptus. Codex Græcus in Irenæi claustro olim Lugduni adseruatus, quem inter Galliæ turbas ciuiles Betza fuit nactus, atque scholæ Cantabrigiensi donauit. Sic etiam Cantabrigiensia Collegia suas sibi seruant Bibliothecas. In Collegio S. Trinitatis reperitur Codex Origenianus, quo vsus fuit Huetius, & præcipua Cromvvellianæ historiæ monumenta. In Collegio Corporis Christi variæ monstrantur epistolæ Henrici VIII. Annæ Bolenæ, Elizabethæ, Thomæ Cranmeri, Matthæi Parckeri & Petri Martyris, etiam Lutheri. De his Bibliothecis videri potest THOMÆ IAMESII *ecloga Oxonio-Cantabrigiensis* in duos libros tributa, quorum primus continet confusum Librorum Mstorum in Bibliothecis Oxoniensibus & Cantabrigiensibus catalogum. Secundus Catalogum secundum quatuor Facultates ordine alphabetico

betico diſpoſitum, *Londini 1600. 4.* Singulare de hac collectione iudicium Caſpar Barthius exemplari ſuo aliquando inſcripſerat: *in hac collectione nominantur 2800. omnis aui ſcriptores, parte maxima nondum editi, nec alibi, quam in Anglia extantes.* licet de vltimo quam maxime dubitem. Nec deficiunt Bibliothecæ Mſtis potiſſimum refertæ, in eccleſiis cathedralibus.

§. XV.

Nobilis apud Anglos eſt *Bibliotheca Cottoniana,* quam fundauit Robertus Cottonus: locupletarunt filius Thomas, & nepos Ioannes. Manuſcriptis ſolum abundat, neque tamen illis ex omni genere, ſed præcipuum ipſius ſtudium fuit comparare libros atque inſtrumenta, quæ ad patriarum antiquitatum illuſtrationem quoquo modo viderentur conducere. Inter Codices Anglo-Saxonicos dicta Bibliotheca ſeruat illum euangeliorum, interlineata verſione Saxonica illuſtratum, atque alia, ad antiquitatem eccleſiaſticam potiſſimum facientia. *Catalogum* horum Manuſcriptorum ſatis prolixum edidit THOMAS SMITHVS, *Oxonii* e theatro Scheldoniano *1696. f.* Neque tamen ſolos librorum titulos adpoſuiſſe contentus, argumentum inſuper ipſum ſubinde plenius retulit, aliaque de codicibus notatu digna paſſim adiecit. Duplicem ſubiecit indicem, quorum

alter auctorum, in hac Bibliotheca reperiundorum nomina sistit, alter rerum præcipuarum. Recensionem huius Catalogi habent Acta Eruditorum anni 1696. p. 441.

§. XVI.

Ex Anglia in Belgium pergimus, in, quo ob priuatas plurimas tantæ publicæ non reperiuntur, quantæ in terris aliis. Præcipua habetur *Lugdunensis*, cuius prima fundamenta iecit Guilielmus Arausionensis, dum Biblia Regia & scripta Talmudica Academiæ donaret; Creuit illa ex Bibliotheca Ioannis Holmanni, Mstis Orientalibus Iosephi Iusti Scaligeri, quorum numerus ducentorum est & octo, Mstis Bonauenturæ Vulcanii & Iacobi Golii rarioribus. Paucos ante annos locupletata fuit Codicibus Mstis quam plurimis, quos hinc inde magna copia consarcinauerat Isaacus Vossius. Hanc Bibliothecam primus ordinauit Petrus Bertius, qui etiam *nomenclationem* edidit *Bibliothecæ academiæ Lugduno Batauæ, cum epistola, de ordine, eius atque vsu, quæ Raphelengii typis 1595. 4.* prodiit. Cœpit quoque nouum *Catalogum*, DANIEL HEINSIVS, sed imperfectum, illum, editum tamen *Lugduni 1640. 4.* reliquit. Superbit etiam eadem, Iano Dousa iuniore, Paulo Merula & Friderico Spanhemio præfectis. PETRVS GASSENDVS *Catalogum*, scripsit librorum, quos Iacobus Golius ex oriente

oriente aduexit & in Bibliotheca Leidensi reposuit, *Parisiis 1631.* Eandem describit Lomeierus de Bibliothecis p. 252. & Benthemius Holländ. Kirchen und Schulstaat cap. III. §. XI.

§. XVII.

Vltraiectensis Bibliotheca hanc sequitur, quæ in choro templi D. Ioannis visitur. Eius dedicandæ occasionem præbuerunt testamenta Huberti Buchellii, Canonici & Eberardi Pollionis, Icti, qui suas quoque Bibliothecas vsibus publicis legarunt, atque postea variis Mstis Orientalibus potissimum fuit locupletata. Gisbertus Voëtius parte prima, disputatione selecta quarta, huius Bibliothecæ mentionem facit, dum exemplar poëmatum italicorum Ioannis della Casa se in eam intulisse dicit. *Catalogus* huius *Bibliothecæ* primum prodiit *1608. 4.* recusus *1670. Amstelodamensium* Bibliotheca potissimum Mstis celebris est, inter quæ multa Dauidis Blondelli reperiuntur. *Catalogus* eiusdem prodiit *Amstelodami 1622. & 1668. 4.*

§. XVIII.

Neque suis destituitur Bibliothecis Belgium Hispanicum: *Louaniensis* Bibliotheca præ aliis præstat, quæ ex Læuini Torrentii, Caroli Langii, Francisci Cranefeldii & Iusti Lipsii Mstis Græcis atque Latinis fuit collecta. Descripsit huius *Bibliothecæ primordia* VALERIVS ANDREAS DESSELIVS, *Lo-*

uanii 1638. 4. & ERYCIVS PVTEANVS *auſpicia Bibliothecæ publicæ Louanienſis, Louanii 1639. 4.* Apud *Antvverpienſes* Ieſuitarum & Franciſcanorum Bibliothecæ potiſſimum, ſunt conſpicuæ. Sic etiam *Gandauienſis* Bibliotheca nota eſt, atque Gemblacenſis Monaſterii apud Brabantos, ad cuius codices Erasmus atque alii viri docti ſæpiſſime prouocarunt. Plenior notitia hauriri poterit ex ANTONII SANDERI *Bibliotheca Belgica Mſtorum*, qua comprehenditur elenchus vniuerſalis Codicum Mſtorum in Belgii Cœnobiis, *Inſulæ 1641. 4.*

§. XIX.

Italicæ Bibliothecæ nos vocant, quæ certe Mſtorum copia atque antiquitate, vbiuis eminent. Antiquitate, dignitate & præſtantia excellet inter easdem *Bibliotheca* pontificia, dicta *Vaticana.* Angelus Rocca atque Ludouicus Iacobi originem Bibliothecæ Petro adſcribere non dubitant. Primum potius Hilarium, Bibliothecas duas in oratorio S. Stephani iuxta Lateranenſe palatium inſtituiſſe, Platinæ credimus in vita Hilarii p. 65. ſine dubio ſacrorum codicum, patrum & rerum eccleſiaſticarum ſcriptis adſeruandis deſtinatum. Præcipua tamen fundamenta Nicolao V. Pontifici debet hæc Bibliotheca, pontifici ad promouenda ſtudia propenſiſſimo, quam Clemens V. cum ſede pontificia

cia Auenionem transportauit, Martinus V. Romam reduxit atque in Vaticano reposuit, cum vero diffusi sparsique essent libri, Sixtus IV. certo atque opportuno loco digessit, armariis, pluteis aliisque necessariis instruxit, auxit & per Bartholomæum Platinam in ordinem redegit. Constitutis enim certis prouentibus, vnde emerentur libri, custodes quoque & Librarios Græcos, Latinos & Hebræos constituit. Sixtus V. vero Bibliothecæ immensum conclaue, cuius fornicem lateritiæ pilæ e medio surgentes sustinent, destinauit. Librariis etiam & custodibus, ipsi quoque Bibliothecæ præfecto Cardinali, idoneos cubiculorum ordines parauit, vt eo secedere pro arbitratu posset. Adiecit Paulus V. tabularium, quo Pontificia diplomata continerentur. Multum vero detrimenti sensit illa, cum sub Clemente VII, Papa, Roma a Carolo Borbonio caperetur. Hoc enim fatum etiam Bibliotheca fuit experta, vt plures sentiret iacturas. Præcipue antiquissimus Actuum Apostolicorum Codex Græcus aureis litteris scriptus & a Cypri Regina Innocentio IX. donatus, auro & gemmis, quibus exterius liber distinctus erat, ex composito est nudatus. Verum, sub eodem Clemente vna cum ipso Ducatu etiam Bibliotheca Ducum Vrbinatensium accessit, quæ Mstis quamplurimis superbit. Restituta

tuta etiam paullatim a Pio IV, qui officinas Sanctorum Patrum operibus recte imprimendis condidit. Præcipua vero incrementa cepit per accesſionem Palatinæ, ſub Gregorio XV, de qua ſuperius fuit dictum. Locum Bibliothecæ facit conclaue amplisſimum, cuius bina latera longius producta, Mſtis ſunt deſtinata. A latere vero maioris ædificii duo alia minora ædificia adiecta, quæ Bibliothecæ inſeruiunt ſecretiori, vt teſtatur Cicarella in vita Sixti V. Triplex enim dicitur Vaticana, patens diebus profeſtis per duas horas, ſecretior, & clauſa ſelectorum librorum, quæ a ſacerdotibus D. Petri concinnata, poſtea, ſiue negligentia hominum, ſiue fraude exhauſta, prope iam & exinanita eſt. Fabricius Roma cap. XXI. Lomeierus de Bibliothecis cap. X. Totam hanc Bibliothecam Sixtus V. foris & intus elegantisſimis picturis exornauit, quas deſcribit Antonius Cicarella in vita Sixti V. Præcipuus huius Bibliothecæ Theſaurus in Mſtis conſiſtit, quorum numerus ad duodecim, vel vt Mabillonus contendit, ſedecim millia membranaceorum adſcendit. Inter hæc, ob antiquitatem præſtat Volumen per antiquum LXX. Interpretum Philippicarum Ciceronis Bini Codices Virgiliani, Terentius eximiæ vetuſtatis, qui vel mille annorum attingunt ætatem. Scaliger quidem in epiſtola ad Gruterum

terum Mſta non adeo magni momenti dicit, verum hoc, antequam Palatina accederet. Leo enim Allatius in ſuis ad Curtii Inghiramii fragmenta antiquitatum Hetruſcarum animaduerſionibus, ad Codices, eosdemque eximios prouocat. Plura catalogum Mſtorum huius Bibliothecæ fuerunt adgreſſi. Ex Bibliotheca ſua Clarisſimus Tribbechouius, Profeſſor apud Halenſes, mecum beneuole communicauit Mſtum, quod huius Bibliothecæ catalogum contineret. Titulus eſt; *Inuentarium Bibliothecæ Platinæ Diui Sixti IIII. Pont. Max.* Diſpoſitionem ſeruat iuſtam, ita vt Biblia, Scripta Patrum ſingulorum. Mſta Hiſtorica, Oratoria atque ſingula in ſuos loculos repoſita. Verum, integri Catalogi delineationem faſciculo quarto actorum litterariorum inſeremus. Bibliothecam interim Papalem poſt Platinæ tempora variis factis accesſionibus fuiſſe continuatam nullum ſupereſt dubium. Teſtatur illud etiam Leo Allatius apibus ſuis vrbanis, dum de Alexandro Raynaldo ait: *continuauit indicem librorum latinorum, qui calamo exarati adſeruantur in Bibliotheca Vaticana, addiditque indici ſextum & ſeptimum tomum, cum quinque priores confecti eſſent a Dominico eius fratre, dictæ Bibliothecæ cuſtode, confecit item indicem librorum latinorum Mſtorum, qui ex ſpoliis electoris Palatini & Heidelberga in Vaticanam Bibliothecam*

ad

aduecti sunt, congesſitque in eos varias obſeruationes & notas. Verum ex hiſce nihil editum eſt. Interim Antonius Poſſeuinus Apparatui ſuo ſacro Græcorum Mſtorum indicem inſeruit, qui tamen longe infra expectationem eſt. Hanc ex Poſſeuino ſacris Bibliothecarum arcanis retectis *p. 253.* addidit Theophilus Spitzelius. Lucam Holſtenium in accurato catalogo concinnando occupatum fuiſſe, facile eſt credendum, neque tamen ex Mſtis eiusdem quidpiam prodiit. Quæ lex ſit Bibliothecæ in tabula Marmorea, quæ in dicta Bibliotheca cernitur, legitur his verbis. *Sixti V. Pont. Max. perpetuo hoc decreto de libris Vaticanæ Bibliothecæ conſeruandis, quæ infra ſunt ſcripta, hunc in modum ſancita ſunto, inuiolateque obſeruantur. Nemini libros codices, volumina huius Vaticanæ Bibliothecæ ex ea auferendi, extrahendi, alioue aſportandi, non bibliothecario, neque cuſtodibus, ſcribisque, neque quibusuis aliis cuiusuis ordinis & dignitatis, niſi de licentia ſummi Romani pontificis ſcripta manu facultas eſto. Si quis ſecus fecerit, libros partemue aliquam abſtulerit, extraxerit, clepſerit, rapſeritque, carpſerit, corruperit, dolo malo, ille a fidelium communione eiectus, maledictus, anathematis vinculo colligatus eſto. A quoquam præterquam Romano pontifici ne abſoluitor.* Interim tamen ex Papæ diſpenſatione, Baronius atque Kircherus libris ex eadem Bibliotheca con-

concessis fuerunt vsi. Plures illustres Præfectos hæc bibliotheca videt. Inter Cardinales quidem & Protectores præ cæteris noti Cæsar Baronius & Henricus Norisius. Inter Custodes Nicolaus Alemannus, Lucas Holstenius, Leo Allatius, Emanuel Schelstrat & recentissime Laurentius Alexander Zacagnus. Historiam Bibliothecæ plures fuerunt adgressi, inter quos MVTIVS PANSA librum edidit Romæ, cuius titulus *Raggionamenti della Libraria Vaticana, Romæ 1591. 4.* Sed generalia sunt, dum de litteraria re variarum gentium, bibliothecis celebribus, historia conciliorum Romanorum atque similibus agit, atque inter hæc de litterarum inuentione potissimum erudita varia profert. Deinde opera Sixti V, atque vbi ad ipsam Bibliothecam, externum saltim ornatum, picturas & similia exponit. Secutus eundem fuit ANGELVS ROCCA, cuius *Bibliotheca Romana Vaticana a Sixto V. in commodiorem locum translata* prodiit *Romæ 1591. 4.* Sed vel Conringio teste, de Bibliotheca Augusta p. m. 191. nihil habet dignum memoratu, præter quam quod ex compilatis Onuphrii Panuinii monumentis est subductum. In collectione Maderiana de Bibliothecis etiam de eadem fragmenta varia continentur. FRANCISCI SCHOTTI quidem breue est, quod ex eiusdem itinerario p. II. p. 146. sqq. depromptum

ONV-

ONVPHRII PANVINII, quod ineditum primum in lucem protulit IO. BAPT. CARDONA in IV. tractatibus rariſſimis, *Tarraconæ 1587. 4.* Schottus etiam Itinerario inſeruit, in quo tamen potius de Bibliothecariis agit, & ANTONII CICARELLI in vita Sixti V, in quo figuras & picturas deſcribit. Sic etiam eandem deſcribunt FERDINANDVS CAROLI *Tomo I. Templi Vaticani*, SWEERTIVS *in admirandis vrbis Romæ* atque ex recentioribus IO. MABILLONIVS *in itinerario Italico*, BERNARDVS MONTFAVCON *in Itinerario Italico* & GREGORIVS LETI in vita Sixti V. p. 541. ed. Germ. qui tamen pleraque ex Cicarello hauſit.

§. XX.

Præter hancce, Ioannes Theodorus Sprengerus Romæ nouæ libro VII. c. IV. alias adhuc enumerat. Inter has prima eſt *Ieſuitarum*. Hi enim non vnam, ſed plures poſſident Bibliothecas. Prima illorum eſt propria, quam ordinauit olim Ioannes Lorinus. Altera eſt Marci Antonii Mureti, Tertia Cardinalis Bellarmini, & quarta Ioannis Baptiſtæ Coccinii, quæ omnes acceſſerunt quidem, ſed locis ſeparatis ſunt collocatæ. Sic etiam Cardinalis de Monte Regale & Franciſcus Toletus ſuas legarunt Bibliothecas, Manuſcripta vero Græca Franciſcus Turrianus. Sunt præterea aliæ *Maliæ Cœli, Mariæ de Po-*

pulo,

pulo, *Mariæ ſupra Mineruam*, *Mariæ in Vallicella*, *S. Iſidori*, *Collegii de Propaganda fide S Mariæ in Aquino.* *Seruitæ* monaſterii S. Marcelli Bibliothecam poſſident, per Andream, Ordinis ſui Præſidem anno 1582. erectam. Aucta poſtmodum fuit alia epiſcopi Cumani, & Cardinalis Androini Roccæ. Sic etiam *Patres Oratorii eccleſiæ nouæ* Bibliothecam habent ex legato Cardinalis Baronii & Achillis Statii plurimum adauctam. *Eccleſiæ D. Iacobi* Hiſpanorum, ſuam legauit Petrus Ciacconius. Maximilianus Miſſon ep. XXXVI p. 824. ed. Germ. alias adhuc Romanorum Bibliothecas commendat. *Auguſtinianorum* quidem *alla Sapienza*, quæ Angelica dicitur, quia ab Angelo Rocca hac conditione legata, vt omnibus, qui ea vti vellent, pateret, eandemque locupletatam fuiſſe ait libris Laurentii Pignorii atque Lucæ Holſtenii. Cardinalium quoque Bibliothecæ ſuam laudem habent, illorum inprimis, in quorum familia olim Pontifices claruerunt, hi enim potisſimum occupati, vt genti ſuæ cum palatio inſignem quoque Bibliothecam relinquerent. Inter haſce, *Ottoboniana* ab Alexandro VIII. fundata, inter præſtantiores habetur, quæ ex Mſtis Chriſtinæ plurimum creuit. *Chigiana* Bibliotheca ſeruat egregium Dionyſii Halicarnasſenſis codicem, ſeculi X, alias potisſimum recentiores. *Barbariniana* tamen poſt Vati-

 canam

canam habetur numerosissima. Hæc a Francisco Barbarino instituta, creuit ex legato Mstorum Lucæ Holstenii, cuius Catalogus prodiit *Romæ 1681. f.* præmissa Bulla Clementis IX, qua libros quoscunque prohibitos in eadem habere, legere & tenere concedit, quam inserui cap. I. dissertationis de Iure Bibliothecarum *n. 34.*

§. XXI.

Prima *Florentinæ* Bibliothecæ fundamenta iecit Laurentius Medices, ab quo etiam nomen habent. Vtebatur potissimum Ioanne Lascare, eundemque ad varias terrarum partes mittebat, ad conquirendam supellectilem litterariam. Quid vero cum illa antiqua Medicæa actum, Thuanus nos docet, libro primo de vita sua, dum ait: *Petrus Victorius subinde ingemuit, quod antiqua Medicea tanti nominis Bibliotheca, per seditiones domesticas Romam, & inde extra Italiam auecta erat. Ea est, quam Catharina regum nostrorum parens, magno pretio, quantumuis Cosmo contradicente, comparatam, in Galliam transportandam impetrauit, & per bibliothecarium seorsim, quamdiu vixit, apud se habuit. Quam demum Thuanus a creditoribus eius pecunia regis redemptam in bibliothecam regiam inferendam curauit, & congestum a magnis regibus thesaurum tanta accessione locupletauit.* Factum hoc, cum Petrus & Ioannes Medicæi Florentia eiicerentur,

tur, dum enim a furente plebe Bibliotheca dissipabatur, recollecta a Petro Strossio & post Lutetiam translata. Nouam ibidem erexit Bibliothecam Iulius Medicæus, quem sub nomine Clementis VII, Papam nouimus, quam postea plenius adornauit Cosmus II. Excellet Bibliotheca hæc Mstis, nec tamen librorum copia, atque celeberrimo suo præfecto, Antonio Magliabecho est clarissima. Adseruatur in eadem antiquissimum exemplar Pandectarum, quæ Florentinæ dicuntur, atque paullo post Iustiniani ætatem fuerunt conscriptæ. *Catalogum Manuscriptorum* edidit HENRICVS ERNESTVS, *Amstelodami 1642. 8*, sed admodum est imperfectus, nec accuratus, quippe solummodo ex Mstorum rubricis, quæ armariis adfixæ, superbit. Hunc auctiorem postea dedit WILHELMVS LANGIVS, sed Orientales duntaxat & Græcos, præteritis latinis atque aliarum linguarum recensuit. LVCAS HOLSTENIVS vero per aliquod tempus Florentiæ vixit, ibidemque Catalogum confecit Mstorum rarissimorum, quem magna cura composuit, addito iudicio de præstantia & raritate, quod vero inter Msta ipsius adhuc latet, dignum quod edatur. Adseruatur etiam ibidem *Bibliotheca Camaldulensium, Benedictinorum, Carmelitarum discalceatorum.*

§. XXII.

Mediolanenſis Bibliotheca auctorem habet Fridericum Borromæum, Cardinalem atque Archiepiſcopum. Hic, cum animum cepiſſet condendi bibliothecam, non ſolum per omnem Italiam bibliopolia bibliothecasue excutiebat, vt, quidquid rari eſſet, colligeret, ſed etiam per omnem fere terrarum orbem mittebat, qui libros vndiquaque colligerent, atque inter hos præcipue Antonium Olgiatum, qui per Germaniam, Belgium atque Galliam mittebatur ad libros quoscunque coëmendos, ope potisſimum vſus Marci Velſeri. Alii mittebantur in Hiſpaniam, Græciam, ipſumque Orientem, vt ſub initium ſtatim excreſceret plurimum. Eandem poſtea Ambroſio dedicauit, quare etiam Ambroſianæ nomen fuit ſortita. Creuit illa ex Bibliotheca Io. Vincentii Pinelli, quam Patauii collegerat inſtructisſimum. Verum, cum ea, defuncto Pinello, ab hæredibus Neapolin deueheretur tribus nauigiis, vnum illorum a piratis interceptum, ipſi vero libri, veluti exigui pretii merx chartacea Neptuno conſecrabantur, Recuperata pars melior magno pretio a Frederico Borrumæo fuit redemta. Bernardus Montfauconus, ipſe teſtis oculatus, quadraginta in eadem librorum millia numerat, multos tamen perneceſſarios deeſſe ait, atque editiones

patrum

patrum accuratiores desiderari monet. In certo peristylio icones depictæ cernuntur illustrium virorum, quot vix vsquam simul occurrunt, atque aliud, plenum codicum Arabicorum, Copticorum, Syriacorum, Græcorum & Latinorum. Ex antiquis codicibus præ cæteris æstimatur antiquissimus Codex Iosephi, siue interpres eius latinus mutilus, & a compactore valde confusus. Autographum Ruffini habetur, atque in papyro Ægyptiaca scriptum, licet Mabillonus vix vndecim seculorum esse velit. Præterea Egesippi Codex, Virgilii Mstum cum notis Francisci Petrarchæ. Ex recentioribus, Leonardi Vincii, pictoris excellentissimi autographum opus duodecim voluminibus, atque figuris mathematicis adimpletum. Hoc tanti habuit Iacobus I. Angliæ Rex, vt pro vno, quod bellicas veterum machinas exhibet, aureos ter mille Hispanicos obtulerit. Historiam huius Bibliothecæ, & quanta cura fuerit collecta, descriptam videmus in IOSEPHI RIPAMONTII *Historia Mediolanensi*, libro vigesimo. Speciatim PETRVS PAVLVS BOSCHA *de origine* scripsit *& statu Bibliothecæ Ambrosianæ, Mediolani 1673. 4.* atque ERYCIVS PVTEANVS singulari oratione de hac Bibliotheca, eiusque librorum vsu & fructu egit *Mediolani 1606. 8.* Mabillonus Musæo Italico p. II.

§. XXIII.

Venetorum nos Bibliotheca vocat, cuius prima initia parum cognita. Creuit vero ex Bibliotheca Francisci Petrarchæ, & potissimum Cardinalis Bessarionis, qui suas eo legarunt Bibliothecas, atque Græca solum eiusdem volumina 30000. nummorum aureorum fuerunt coëmta. Hos insecuti fuerunt Hieronymus Alexander & Grimanus Cardinales, qui horum liberalitatem fuerunt imitati. Dicata est in æde Procuratorum S. Marci. Neque tamen se quidpiam rari præter picturas inibi reperire potuisse testatur Maximilianus Misson Itin. ep. XVI. *p.* 205. *ed. Germ.* Extat in hac Bibliotheca singularis Camera, cum hac inscriptione: *Decerpta hæc imperio Senatus, a Bibliotheca Pinelliana.* Cum enim Pinelli Bibliotheca transportaretur Neapolim, miserunt vnum ex magistratibus Patauium, qui ad se sumeret plura Msta, adlegantes, ipsos permisisse Pinello, vt multa transcriberet ex ipsorum archiuo, quæ non vellent publicari. Hæredes tamen recuperarunt pleraque, vsque ad ducenta Msta, quæ ad statum Venetum facerent, Bibliothecæ Venetorum dicata. In æde vero D. Marci adseruatur Euangelium Marci, quod pro autographo habent vulgo, atque Aquileia, vbi Marcus Christianæ religionis fundamenta iecisse dicitur, Venetias translatum.

tum. Plures adhuc Bibliothecæ viſuntur Venetiis *ad S. Antonium, ad S. Ioannem & Paulum Dominicanorum, ad S. Stephanum, ad S. Georgium maiorem, ad S. Dominicum*, quarum Mſta recenſet IACOBVS PHILIPPVS THOMASINVS *de Bibliothecis Venetis Mſtis publicis & priuatis, Vtini 1650. 4.* & recentius Ioannes Mabillonus ac Bernardus Montfauconus, qui etiam Bibliothecam Archiepiſcopi Græcorum & Procuratoris Iulii Iuſtiniani commendat.

§. XXIV.

Bibliotheca *Sabaudica*, quæ Auguſtæ Taurinorum reperitur, antiquisſima eſt, potiora tamen incrementa Carolo Emanueli, doctisſimo Principi debet, non tam ob Mſta antiquiora commendatur, quam potius recentiora quædam, potisſimum Pyrrhi Ligorii viginti ſex volumina, quæ tot in ſe comprehendunt Græcæ Romanæue antiquitatis monumenta, digna, quæ edantur. Licet iisdem & Italorum atque Gallorum eruditi ſæpius fuerint vſi. Adſeruatur quoque in eadem tabula Iſiaca, quæ ex Bembi Bibliotheca Mantuano duci obtigit, nunc vero ibidem reperitur, deſcripta alias a Laurentio Pignorio. Plura de hac Bibliotheca memorat Ioannes Mabillonus Muſæo Italico parte prima p. 8.

§. XXV.

Venetorum ditionis est *Patauium* & academia sua, & Bibliothecis illustre. Primo loco apud illos est Bibliotheca in Maiori templo Canonicorum, quorum magnam partem comparauit Iacobus Zenus, vrbis Patauinæ antistes, quo repentina morte extincto, ecclesia primaria & Cathedralis libros Codicesque, ipsius ab intestato sibi vindicauit. Habuit etiam augmenta quædam ex Pinelliana. Bibliotheca *Cœnobii S. Ioannis in Viridario* ex legatis variis creuit. Bibliotheca *Cœnobii S. Iustinæ* peruetusta, a Placido Pauanello, Patauino conquisita, atque huic cœnobio legata, est, creuit postmodum Mstis Iuridicis Iacobi Zochi, Bibliotheca *S Augustini* ab eo clara est, quod in eadem ingenium excoluerit Albertus M Præterea aliæ minores *D. Mariæ Pratalea*, *S. Antonii*, *S. Francisci*, *S. Vrsulæ*, *Patrum ordinis Eremitanorum*, & quæ extra vrbem sunt. Bibliotheca *D. Mariæ montis Ortoni* & *Bibliotheca clericorum regularium*. Has singulas describit IACOBUS PHILIPPUS THOMASINUS *Vtini* 1639. 4. tam quoad libros impressos quam mssta.

§. XXVI.

Ferrariensis Bibliotheca a Mstorum copia commendatur, & rarissimis antiquitatum reliquiis, statuis scilicet marmoreis, signis, tabulis, sigillis æreis ac marmoreis, nummisque magna ex parte a Pyrrho Ligorio colle-

ctis

ctis est refertissima. Cœlius Calcagnimus Bibliothecam suam legauit, in eademque se condi mandauit. *Bononiæ* in monasterio S. Michaelis, atque ad templum S. Saluatoris visuntur Bibliothecæ Mstis & tabulis plenæ. In Cœnobio *Prædicatorum ad S. Dominicum*, aliquot libri & exemplaria Pandectarum, monstrantur, quibus vsus fuit Gregorius Haloander. Pentateuchus, vnica & oblonga membrana scriptus, quod autographum Esræ dicitur, refutante tamen Hottingero Thesauro Philologico p. 117. Bibliotheca *Mutinensis* Ducis multis codicibus Mstis est referta. *Viterbiensium* Canonicis suam legauit Latinus Latinius. Apud *Luccenses*, Franciscani suam seruant Bibliothecam. *Senenses* suam debent beneficio Papæ Pii II. Apud *Geneuenses* notæ sunt Carmelitarum, Iesuitarum & Capucinorum. *Pisanæ* academiæ Aldus Manutius octoginta millia librorum testamento legasse dicitur. Papiensis, siue, *Ticinensis* non contemnenda est, extructa a Ioanne Galeatio, Vice-Comite dignissimo, *Augustinianorum* Vintimigliensium est illa Bibliotheca, quæ ab conditore Aprosiana dicitur, de qua capite primo §. XXIII. fuit dictum. Sic etiam in collegio *Fesularum* Mediceorum beneficio insignem erectam fuisse Bibliothecam dicit. De reliquis Bibliothecis cum non adeo certa extent, tacere præstat, quam

multa proferre. Apud *Neapolitanos*, Bibliothecæ *D. Valletæ* & *S. Ioannis de Carbonaria* Patrum Augustinianorum referuntur, atque in hac vltima commendatur a Montfaucono Codex Homiliarum in Euangelium in charta membranacea, purpureo colore, cum characteribus quadris, cum accentibus spiritibusque seculo octauo exaratus.

§. XXVII.

Apud *Heluetos* claret Bibliotheca *Tigurina* publica, tum ciuitatis, tum ecclesiæ. Illam propemodum cum Collegio Tigurinorum Carolino originem sumsisse testatur IOANNES HENRICVS HOTTINGERVS in *schola Tigurinorum Carolina, Tiguri 1664. 4.* alias non solum ex Bibliotheca Henrici Bullingeri, quæ coëmta fuit, creuit, sed etiam variis Mstis abundat, descripsit eandem HENRICVS HVLDERICVS *Bibliotheca Thuricensi & Tigurinorum publica priuata, Tiguri 1629. 4.* Nota quoque est Bibliotheca Academiæ *Basileensis*, quæ a primis reformationis temporibus, ex monasteriis, suasu Ioannis Oporini, qui etiam libros a se excusos donauit, fuit collecta. Excellit Mstis quibusdam, potissimum Græcis, quæ tempore concilii Basileensis eo fuerunt delata. Inter hæc Codex est euangeliorum antiquissimus, cui vel mille adsignant annos, in cuius margine reperiuntur sectiones, quibus Dominicæ notantur lectiones. Inter latinos eminet

net antiquisſimus Virgilii Codex. Inſignia accepit incrementa per acceſſionem Bibliothecæ Amerbachianæ, quam Magiſtratus Academiæ donauit. Præterea picturis, nummis, aliisque monumentis egregiis eſt refertisſima. Sic etiam a nummis & picturis rariſſimis commendatur Cimeliarchium Sebaſtiani Feſchii. Prof. Juris *Bernenſis* respublica ex liberali dono Bibliothecæ Bongartianæ creuit. Abundat libris & Mſtis, inter quæ ingens theſaurus Patrum, Scholaſticorum, Hiſtoricorum, Francicorum præſertim, & eorum, qui de bello ſacro, & terra ſancta ſcripſerunt, quin etiam Biblia Mſta priſco Gallorum idiomate. Mantiſſam Hebraicorum Mſtorum addidit Samuel Hortinus, Bibliotheca *abbatiæ S. Galli* antiquisſima quidem eſt a Carolo M. inſtituta, ſed durantibus bellis varie disſipata, Ioachimus tamen Vadianus ſuam poſtmodum legauit, vt publica eſſet.

§. XXVIII.

Apud Suecos, Regia *Holmienſis* præ cæteris clara eſt, quam magnis ſumtibus adaugere conabatur Chriſtina, conquiſitis etiam Mſtis rarisſimis. Verum etiam multa detrimenta eadem fuit experta per eruditos quosdam, qui frequenti Bibliothecæ vſu abutebantur, varia ſibi ſeruantes Manuſcripta. Sic etiam Chriſtinæ cura, *Vpſalienſis* quoque academia inſignem habet Bibliothecam.

§. XXIX.

§. XXIX.

Bibliotheca Daniæ Regis non libris solum Mstisue est refertissima, sed etiam instructissimum est Musæum rebus naturalibus, artificialibus, armis, vestimentis, vtensilibus gentium diuersarum, opticis, mechanicis nummis atque picturis diuersi generis. Descripsit illud *musæum Regium* OLIGERVS IACOBÆVS, *Hafniæ 1696. f. Designationem* vero *Bibliothecæ regiæ Hafniensis* a PETRO SCAVENIO conscriptam atque *Hafniæ 1665. 4.* editam, ab ordine supra iamdum laudauimus. *Academiæ Bibliothecæ* apud Hafnienses laudes celebrat Thomas Bartholinus de libris legendis Differt. I. p. 16. Huius prima fundamenta iecisse dicit Petrum Albertum, Professorem & Consulem, qui Bibliothecam suam communi vsui dicauit. Secutus eundem fuit, Franciscus Wilhelmus, Canonicus & Telonarius, Andreas Lemuicus, academiæ Medicus, qui omnes legatis suis eandem locupletarunt. Casparus Erasmus Brochmandus, Selandiæ episcopus, ter mille nongenta & nonaginta quatuor volumina ex tabulis vltimæ voluntatis addidit. Ipsa quoque eius coniux Cæcilia, amplam pecuniæ summam, superaddidit, ex cuius annuis vsuris aleretur Bibliothecarius & Sub-Bibliothecarius. Accessit ex legato Henrici & Thomæ Fuirenorum Bibliotheca, libris Medico-Physicis in-

inſtructisſima, cuius *Catalogus* ſeparatim prodiit *Hafniæ 1660. 4.* Molleri hypomnemata ad Bartholinum de ſcriptis Danorum p. 241. Ioannis Mülenii Bibliotheca, qui certam etiam ſummam annuam libris nouis emendis deſtinauit & Petri Gelſtrupii donarium. His addidit Bartholinus Chriſtiani IV. Regis munificentiam, qui non rarisſimos codices ſolum, ſed etiam palatium Bibliothecæ magnificum extrui fecit. *Olaus Borrichius* moriens in Hafnienſi academia Speciale Collegium, quod Mediceum vocari maluit, deſtinauit, cum ſupellectile libraria exquiſitæ elegantiæ, cui adhærent manuſcripta rariora.

§. XXX.

In arce *Regiomontana* Bibliotheca eſt, quæ plurimum debet Alberto primo Boruſſorum Duci, cui multum ſe debere profitetur Martinus Chemnitius, qui Bibliothecæ olim præfuit. Rariores tamen Codices, & potisſimum manuſcripti in Berolinenſem Regiam poſtea fuerunt tranſlati. Apud *Thorunenſes* Henricus Strobandus gymnaſium erexit cum Bibliotheca publica. Teſtatur etiam Andreas Cellarius habere in eadem vrbe ſuam Bibliothecam Confesſioni Auguſtanæ addictos, in qua duæ Ciceronis epiſtolæ, cereis tabulis inſcriptæ oſtendantur, deſcr. Polon. *p. 505.* & Starouolſcii Polonia *p. 56.* Sic etiam *Heilsbergæ* Stanislaum Hoſium

ere-

erexisse Bibliothecam testatur Iacobi, in eademque Nicolai Copernici Msta adseruari dicit. Sic etiam *Gedanenses* vna cum Gymnasio, suam habent Bibliothecam.

§. XXX.

Apud *Polonos* nec tantus prouentus litteratorum, nec etiam librorum. Reges in arce Vilnensi pretiosissimam Bibliothecam erexisse ex Martino Cromero & Thoma Bozio probat Iacobus Middendorpius de Academiis lib. V. p. 333. In arce *Cracouiensi* Bibliotheca insignis instructa dicitur a Sigismundo II. Polonorum Rege. Reinholdus Heidensteinius in suo de bello Moscouitico tractatu memorat, quod eodem bello anno 1570. Poloni, capta arce Polotta, insignem in eadem Bibliothecam repererint, Mstis refertissimam, ex qua Cracouiensis Bibliotheca postmodum fuerit locupletata. In academiæ Cracouiensis collegio Theologico, Philosophico maiore insignem esse Bibliothecam testatur Andreas Cellarius descriptione Poloniæ p. 143. Hanc ex suæ Bibliothecæ legato adauxit Benedictus Cosnanus, relicta summa annua, pro libris redimendis, hoc etiam de Matthia a Michouia testatur Starouolscius, quod Bibliothecam in *Rupella apud fratres Pauli primi Eremitæ* sumtu ingente excitauerit. In *Gnesnensi* vrbe Martinus

Dre-

Dreuicius, archiepiſcopus bibliothecam erexit, curæ Andreæ Cricii commiſſam.

CAPVT QVARTVM.
DE BIBLIOTHECIS GERMANORVM.

§ I. Bibliotheca Vindobonenſis Cæſarea. §. II. Bibliotheca Windhagiana. §. III. Bibliotheca Ambraſiana Tyrolenſis. §. IV. Bibliotheca Berolinenſis Regia. §. V. Bibliotheca Bauarica Monachienſis. §. VI. Bibliotheca Saxonica Dresdenſis. §. VII. Bibliotheca Palatina & Hanouerana. §. IIX. Bibliotheca Guelferbythana, §. IX. Bibliotheca Gothana. §. X. Bibliotheca Vinarienſis. §. XI. Bibliotheca Meinungenſis & Iſenacenſis. §. XII. Bibliotheca Citicenſis, Weiſenfelſenſis & Merſeburgenſis. §. XIII Bibliotheca Caſſellana & Darmſtadtienſis. §. XIV. Bibliothecæ Holſaticæ. §. XV. Bibliothecæ Arnſtadienſes. §. XVI. Bibliotheca Auguſtana. §. XVII. Bibliotheca Noribergenſis publica & Stutgardiana. §. XVIII. Bibliothecæ Noribergenſes priuatæ. §. XIV. Bibliotheca Bremenſis. §. XX. Bibliotheca Hamburgenſis. §. XXI. Bibliotheca Francofurtenſis ad Mœnum. §. XXII. Bibliotheca Ratisbonenſis & Vlmenſis. §. XXIII. Bibliotheca Lübe-

Lübecensis. §. XXIV. Bibliotheca Lüneburgensis. §. XXV. Bibliotheca Senatoria Lipsiensis. §. XXVI. Bibliotheca Annæbergensis & Cygnea. §. XXVII. Bibliotheca Budissina. §. XXIIX. Bibliotheca Halensis. §. XXIX. Bibliotheca Vratislauiensis Maria Magdalenæa & Elisabethana. §. XXX. Bibliotheca Silesiacæ aliæ. XXXI. Bibliotheca Ienensis academica. §. XXXIII. Bibliotheca Paulina Lipsiensis & Wittebergensis. §. XXXIII. Bibliotheca academiæ Heidelbergensis. §. XXXIV. Bibliotheca academiæ Iulia Helmstadtiensis. §. XXXV. Bibliotheca academiarum reliquarum. §. XXXVI. Bibliotheca Erfurtenses. §. XXXVII. Bibliotheca Ingolstadiensis, Herbipolitana & Moguntina. §. XXXIIX. Bibliotheca Magdeburgensis. §. XXXIX. Bibliotheca Erfurtensium Augustiniana, templi Gerani & Vinariensis, §. XL. Bibliotheca Lipsiensium Thomana, & Heilbrunnensis. §. XLI. Bibliotheca Schleusingensis.

§. I.

AB exteris in patrium solum reuertimur, Germaniæ bibliothecas consideraturi. Inter has autem palmam reliquis præripit Cæsarea *Vindobonensis* a Maximiliano erecta, reliquiis vero Bibliothecæ Budensis & adparatu litterario Wolfgangi Latzii, Ioannis Fabri, episcopi Vindobonensis, tum optimis Mstis

ab

ab Augerio Giſlenio Busbeckio in legationibus Conſtantinopolitana & Amaſiana, coëmtis, item Ioannis Sambuci, Hugonis Blotii, Richardi Streinii, Sebaſtiani Tengnagelii, Philippi Eduardi Fuggeri & nouiter Petri Lambecii luculentis librorum optimæ notæ theſauris maxime fuit adaucta. Inſigne quoque incrementum accepit ex Bibliotheca Archiducali arcis Ambraſianæ, iuxta Oenipontem, ex qua ipſe Lambecius teſtatur Bibl Cæſ. lib. II. cap. VIII. p. 745. ſe 2072. volumina Vindobonam transportaſſe, vna cum Bibliotheca cubiculari Maximiliani I, quæ ibidem adſeruata. Huius, ob manuſcriptorum copiam ac raritatem, numiſmatum, antiquitatum aliorumque monumentorum ſingularium pretium fama eſt maxima. Inter hæc præſtant *Græcus Codex Dioſcoridis* antiquisſimus, *Otfredi Euangeliorum liber* rythmis Francicis compoſitus & litteris aureis ſcriptus, *Iacobi de Strada octo volumina Mſtorum*, quibus continentur varia, quæ ad nummariam rem illuſtrandam faciunt; *Biblia Germanica*, iuſſu Wenceslai translata, *Diarium Friderici III*, atque egregia alia. Pleniorem huius Bibliothecæ notitiam præbet PETRVS LAMBECIVS. Edidit ille *librum primum Commentariorum de Bibliotheca Vindobonenſi* cum variis additamentis, *Viennæ 1665. f.* Hunc ſecutus fuit *liber ſecundus*, *Viennæ 1669. f.*

Liber *Tertius*, continens Catalogum centum Mſtorum Græcorum Theologicorum, cum additamentis, *Viennæ 1670. f.* Liber *Quartus*, ſiue Catalogus Mſtorum Græcorum Theologicorum a centeſimo ad ducenteſimum, *Viennæ 1672. f.* Liber *Quintus*, ſiue Catalogus Mſtorum Græcorum Theologicorum vſque ad trecenteſimum trigeſimum ſextum, *Viennæ 1672. f.* Liber *Sextus*, ſiue Catalogus Mſtorum Græcorum Iuridicorum & Medicorum, *Viennæ 1673. f.* Liber *Septimus & octauus*, *Viennæ 1674. f.* His tamen octo voluminibus nec dum dimidiam partem Bibliothecæ abſoluit. Vaſtum eſt opus, multa tamen continet ſuperuacua, quæ vel alio loco memoranda, cum multa ad Auſtriacam hiſtoriam inſerat, vel in arctius haut raro potuiſſent redigi. Codices autem manu exaratos illuſtrat egregie, eoſdem ſecundum ætatem, ornatum & criteria alia diiudicans. Continuare commentarios hoſce ſuſcepit DANIEL de NESSEL, paucos ante annos demortuus, ſub titulo: *Breuiarium & ſupplementum Commentariorum Lambecianorum, ſiue Catalogus aut recenſio ſpecialis Codicum Mſtorum Græcorum, nec non linguarum Orientalium Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ, Vindobonæ & Noribergæ 1691. f.* cum figuris æneis. Breuiarium partim eſt, & ſupplementum Lambecii. Quippe eoſdem, quos Lambecius habet, Codices Græcos exhibet, eo prout in loculis continentur ordine, reiectis tamen explicationibus: alios

Nesselius hat Lambecium übel epitomirt, indem er [illegible] [illegible] Defectum manuscriptorum gröstentheils weggelassen.

alios a Lambecio non memoratos addit, licet non eadem ac Lambecius induſtria, ætatem Codicum, horumque tradat ſingularia. Solum hoc indicaſſe ſufficere ratus, codicem eſſe vel chartaceum vel membranaceum, antiquum vel recentiorem. Breuiter eandem deſcribit Tollius epiſtola Itineraria quarta. Græcorum ſaltim Mſtorum Catalogum Tomo ſecundo Apparatus ſacri inſeruit Antonius Poſſeuinus, ſed admodum imperfectum.

[illegible]

§. II.

Priuatis curis collecta Viennæ, ſed publico deſtinata eſt *Windhagiana*, Dominicanorum monaſterio nexa. Auctor illius Windhagius, tenui ſorte natus, Patronorum liberalitate ad ſtudia incitatus, in tantum promouit, vt Doctoris iura impetraret, Aduocati poſtea, & demum Conſiliarii Cameræ munus ſubiret. Opibus autem ita creſcebat, vt ſuis non ſolum bene proſpiceret, ſed etiam hanc Bibliothecam ſuam in vſum potisſimum ſtudioſorum pauperum deſtinaret. Patet itaque ſingulis diebus per certas horas, & facultas vtendi libris conceditur, ſub banni nota tamen prohibetur, librum exinde nec mutuo ſumendi. Numerus librorum adeo magnus non eſt, & potisſimum libris iuridicis & humanioris litteraturæ quibusdam eſt referta, ſingularem habet præfectum, licet etiam Dominicani ſupre-

mam curam ſibi vindicent. Agit de eadem IOANNES CHRISTOPHORVS WAGENSEILIVS *epiſtola de Hydraſpide ſua*, & Auctor relationis *vom Kayſerlichen Hofe zu Wien p. 16.*

§. III.

Alias inter Cæſareas Bibliothecas eſt *Ambraſiana* Tyrolenſis, archiducalis arcis iuxta Oenipontem. Huius potiora, licet in Bibliothecam Vindobonenſem fuerint delata, poſſidet tamen adhuc, teſte Lambecio, volumina impreſſa 4391, quam etiam a ſe ordinatam fuiſſe dicit lib. II. cap. VIII. *p. 745.* Sic & nouam Oeniponti reperiri Bibliothecam Archiducalem, ab Ambraſiana, tanquam antiqua diuerſam, & a duobus potisſimum vltimis archiducibus Ferdinando Carolo & Sigismundo Franciſco comparatam, idem teſtatur. In hac magnam ſe optimorum, omnis generis librorum multitudinem, aliquot mille voluminibus conſtantem reperiſſe dicit, ſed confuſam & negligentius habitam.

§. IV.

Vindobonenſi ſubiungimus *Berolinenſem*, regiis curis inſtructam, quæ auſpiciis Friderici Guilielmi electoris, erecta ex coëmtis priuatorum Bibliothecis, poſt, variis acceſſionibus, ex prouinciis regiis petitis adaucta, & ſumtibus ab Auguſto Boruſſorum rege locupletata immenſis, vt hodie inter

præ-

præcipuas optimo iure numerari mereatur. Hæc libris recentioribus potisſimum, magnorum ſumtuum, atque inter manuſcripta, Sinenſium multitudine, ac Græcis quibusdam rari commatis ſuperbit. Rariora bibliothecæ deſcribit Iacobus Tollius epiſtola itineraria II. *p. 45.* atque inter ea numerat duos codices, quorum alter, *Græcus* duobus voluminibus, *Nouum Teſtamentum* complectens, ſine accentuum notis perſcriptus; alter *verſionem* continens *latinam vulgatam antiquisſimam*, quo ſe Erasmus plurimo cum fructu vſum fuiſſe bis manu ſua adnotauerat Habent etiam alios *Sacros libros a temporibus Caroli M.* gemmis auroque exornatos, & *Chymicum Leonardi Thurneyſſeri*, pictis figuris Chymicorum hieroglyphicis elegantem, præter alios antiquisſimos ſcriptorum claſſicorum, *Flori*, *Terentii* aliorumque codices. Quod vero hac in bibliotheca commendandum maxime, eſt accurata librorum diſpoſitio, ſecundum claſſes facta, certa quoque ſeruata ligatura. Breuem huius Bibliothecæ hiſtoriam, qua ratione inter arma fuerit nata, exhibet CHRISTOPHORVS HENRICI, in *notitia Bibliothecæ*, *Berolini 1687. 4*, qui etiam eius Catalogum tum ſecundum auctorum nomina, tum ſecundum materias diſpoſitum promiſit, quem tamen poſt ipſius mortem vix expectamus amplius. Regiam vero ſupellectilem gem-

mis, nummis, ſtatuis, aliisque veterum monumentis refertisſimam illuſtrauit LAVRENTIVS BEGERVS in *Theſauro Brandenburgico*, cuius tres iamdum partes prodiere: prima & ſecunda *Berolini 1696. f.* tertia *1701. f.*

§. V.

Bauariæ electoris bibliotheca, quæ *Monachii* eſt, non multitudine ſolum librorum, ſed horum etiam raritate, & manu exaratis codicibus, multis inſuper nummis atque antiquitatum monumentis eſt inſignis. Creuit illa ex ſpoliis quoque Palatinæ, licet ex illius ſpoliis aliæ quoque bibliotheca incrementa ceperint, cum poſt pugnam Lipſienſem, anno 1632. Guſtauo Adolpho Monachium ſe dederat. Deſcribit illam Martinus Zeillerus Itinerario Germaniæ parte prima *p. 282.* qui inter Mſta ibidem adſeruata commendat *Librum precationum Caroli Calui* litteris aureis ſcriptum, *Nouum Teſtamentum Indica, Armenica & Vandalica lingua, Ioannis Iacobi Fuggeri Hiſtoriam Auſtriacam. Codicem V. T. cum figuris, Clementis epiſtolam ad Iacobum, Orlandi di Laſſo & aliorum ſcripta muſica, Gratiani di Francolino librum medicum* quinquaginta tribus linguis ſcriptum Catalogum Mſtorum huius bibliothecæ IOANNES GEORGIVS HERWARTVS ab HOHENBVRG cancellarius Bauaricus, *Ingolſtadii 1600. 4.* edidit, quem paullo poſt *Catalogus Mſtorum Græcorum*

rum ſubſecutus eſt *Ingolſtadti 1602. 4.* Cimeliarchium vero electorale deſcripſit Patinus relatione ſecunda.

§. VI.

Electoris *Saxonici* bibliothecam, quæ Dresdæ adſeruatur, ANTONIVS WECKIVS in Hiſtoria vrbis Dresdenſis *p. 41.* deſcribit. Hæc ab Auguſto primum inſtituta, & varie poſtmodum continuata, inter cimelia bibliothecæ numerat *Codicem membranaceum Bibliorum Ebræorum antiquisſimum, cum translatione Chaldaica & Maſora*, quæ inter varias florum atque animalium figuras circa textum ſcripta. Quem inter præcipuos Europæ Codices haberi dicit. Inde quoque, *liber forma auguſtæ ſcriptus, in quo pſalterium linguis viginti duabus* ſcriptum continetur. *Liber euangeliorum Græcus cum Rubricis & ſectionibus*, *Lexicon Suidæ*, *Ciceronis aliquot*, *Catullus*, *Lucanus*, *Virgilius* & plures auctores, membrana ſcripti, *Nouum Teſtamentum Croaticum*, *autographa* multa *Lutheri*, *Melanchthonis aliorumque Confeſſorum*, *Mſta Turcica*, *Sinica*, *Arabica*. *Manuſcriptum Nicolai Schmidii*, ruſtici ex terra Aduocatorum, *quadraginta linguas continens*. *Herbarium viuis coloribus arte mira pictum*. Aliqualem eiusdem Bibliothecæ recenſionem præbet Tollius epiſtola itineraria tertia. Zeillerus itinerario Germaniæ parte prima *p. 303.* alia adhuc addit, alias non memorata, ſed po-

tisſimum ſunt picturæ egregiæ, atque inter has *Octauii Stradæ ſymbola*, *Ioannis Mariæ Naſoni*, architecti celeberrimi *rara & curioſa*. Pleniorem Bibliothecæ deſcriptionem expectauimus aliquando a Tentzelio.

§. VII.

De Bibliotheca *Palatina* infra dicemus pluribus, vbi de academica Heidelbergenſi ſermo erit. Electoralis *Hanouerana* recentior eſt, atque libris rarisſimis, cura illuſtris Leibnützii procuratis refertisſima.

§. VIII.

Inter Ducales, primas ſine dubio in Germania fert copioſisſima *Guelferbytana*, quæ vti numero reliquas antecellit, ſic etiam ſelectu aliis non eſt inferior. Auctorem habet Auguſtum, principem ſapientisſimum, qui alias ſub nomine Guſtaui Seleni litterato orbi innotuit. Augmenta cepit ex varia terrarum parte. Inter manuſcripta, ducenta prope eximiæ raritatis ex bibliotheca celeberrima olim, Matthiæ Coruini Budenſi multis ſumtibus in Vngaria coëmta eminent, & multa *volumina Mazariniana* primæ magnitudinis, magno ære comparata, quæ de publicis totius Europæ rebus multa continent arcana. Accesſionem quoque ſumſit ex tribus bibliothecis locupletisſimis, Marquardi Freheri, Curionum, patris & filii & Ioachimi Clutenii. Inter Manuſcripta, ex biblio-

the-

theca Budensi præcipua Iacobus Tollius epist. Itin. I. *p. 8.* numerat *Marsilii Ficini ad Matthiam Coruinum epistolas & opuscula permulta alia*, digna quæ edantur, *Fontii notas in Persium, orationes, carmina & alia.* Serico raso rubro inuoluti sunt Codices, atque intus imaginibus elegantissimis regis Matthiæ aliorumque illustrium virorum, ipsiusque Ficini & Fontii exornati, magnificentiam regiam præ se ferunt. Refert idem inter Msta *Xenophontis nonnulla, Quintiliani, Tibulli, Virgilii, Sallustii, Lucani aliorumque scriptorum veterum Manuscripta.* Plura adhuc memorat Tentzelius Curieusen Bibliothec *ersten Repositorii, fünften Fach p. 436*, inter quæ *Codex Euangeliorum lingua Syriaca*, quem dono dedit Athanasius Kircherus, antiquissimo charactere, quem Estrangelo vocant, conscriptus, *Codices* varii *Talmudici*, *Brachmanicus in foliis Palmarum scriptus*, aliquot *Collectanea Centuriatorum Magdeburgensium*, *Hermanni Hamelmanni Msta Historica*, *Ioannis Trithemii Polygraphiam*, autographum, aliquot libri *annalium Auentini*, *Libri Rythmici* & alii. Ipse quoque plures ante annos ibidem me vidisse memini, Librum formæ augustæ elegantissimis picturis exornatum, in quo varii equites ex ludis Germanorum equestribus, vulgo dictis torneamentis depicti erant. Mstorum iam suo tempore numerum ad duo millia retulit

Conringius, quæ plurimam partem adhuc inedita. Catalogos ita deſcribit de Bibliotheca Auguſta *p. 180. Librorum index integris quinque conſtat vaſtis regali, quam vocant, proceritate voluminibus: ſeorſim duo ſunt volumina cum prioribus illis miro artificio connexa, non libros, ſed auctores memorantia. Quinque priorum tria volumina ipſemet princeps manu ſua conſcripſit. Omnia porro voluminum illorum & plene & charactere minuto ſunt ſcripta: ne vacuas chartas aut ſesquipedales inanes litteras obtrudi opineris. Eſt præterea & alius index celebriorum quorumque typographorum vniuerſæ Europæ: alius ad hæc omnium ſacræ ſcripturæ commentariorum, interpretationum, annotationum, vterque itidem ab ipſomet confectus principe: cuius ingenio & induſtriæ in vniuerſum debentur hæc omnia, niſi quod ad nonnulla miniſtrantium manus adhibitæ ſint, nil tamen præter manus.* Huius locupletisſimæ Bibliothecæ catalogum, cum a Conringio illuſtrari edique peteret Boineburgius Baro, bibliothecæ iſtius hiſtoriam & ſingularia, data ad ipſum epiſtola, ſub titulo *Bibliothecæ Auguſtæ* deſcripſit HERMANNVS CONRINGIVS, qua

qua bibliothecam hancce ab origine sua, librorum copia, selectu, manuscriptis & iusta dispositione commendat, simul aliarum bibliothecarum memorabilia cum huius confert: prodiit *Helmstadti 1661. 4.* nuper a Schmidtio recusa. Magnitudinem autem indicis obstare dicit, quo minus edatur & prolixitatem, vt vix duobus grandibus voluminibus, si etiam minutiores adhibeantur litteræ, a typographo biennii spatio produci queat in lucem.

§. IX.

Post hanc venit Bibliotheca *Gothana*, quam instruxit Ernestus Pius, & præter insignem Dieterici Pflugkii, aulæ Magistri, historicis præcipue refertissimam atque Altenburgensem, Ioannis Ernesti Gerhardi locupletissimam, libris quibusdam rarissimis & sumtuosioribus adauxit. Inter cimelia rariora adseruantur in eadem aliquot *Tomi Iacobi de Strada*, in quibus rarissimi nummi Romani consulares & imperatorii stupendo labore & arte mirabili delineati sunt. Horum picturas singulas singulis coronatis constituisse auctor est Occo in Epistola Msta ad Amerbachium apud Patinum, in introductione ad historiam numismatum cap. XXIV. p. 188. Similia in Cæsaris Vindobonensi extare testatur Lambecius Bibliotheca Cæs. Tom. I. p. 77. immo in quamuis Electoralem Bibliothecam tale exemplar fuisse coëmtum volunt. Viginti octo tomis

tomis constat folio regali, nitidissime compactis, auroque ornatis. Contenta illorum describit Tentzelius Colloquiis menstruis anni 1691. p. 876. ex quo repetamus. *Priora tredecim volumina nummos Imperatorum a Iulio Cæsare vsque ad Neruam continent. Reliqua septem a Nerua vsque ad Gallienum & Saloninum. Vigesimum primum & secundum aliqua tyranno-rum & subsequentium Imperatorum numismata complectitur. Vigesimum tertium supplementum comprehendit numismatum Antonii Pii, Commodi, Seueri, Marci, Getæ, Macrini & Gordiani. Vigesimum quartum Numismata Augustorum. Vigesimum quintum Numismata Maximiani Constantini, Maxentii & Licinii. Vigesimum sextum Miscellanea continet, Numismata Græca, Latina, Hetrusca, Samaritana, Constantini & Imperatorum Francicorum a Carolo M. Vltima duo epitaphia habent Romanorum Imperatorum, Regum Gothorum & Longobardorum.* Præter hæc possidet *Capitularia Regum Francicorum ex collectione Ansegisi & Benedicti Leuitæ, vna cum Legibus Salicis, Longobardicis & Codice Theodosiano. Mstum antiquissimum Codicem euangeliorum græcum*, insignis antiquitatis, auro varie distinctum, quo olim in ecclesia Græca pro lectionario fuerunt vsi, in quo primo loco ponitur euangelium Iohannis, & *Biblia Germanica* trecentos ante annos manuscripta in membrana, figuris, auro & variegatis coloribus

mire

mire exornata. Præterea reperiuntur in eadem *Codices antiqui* quorundam patrum, *Augustinus de Ciuitate Dei*, *Gregorii M. atque Bedæ aliqua:* & recentiores quidam, *Lactantius*, *Petri de Vineis Epistolæ*, *Breuiarius Moguntinus pro Adelberto scriptus*, *Codex Membranaceus historiam quinquaginta quatuor Martyrum Anglicorum describens. Catena Græcorum Patrum in Psalmos. Iamblichi responsio ad Porphyrii epistolam*, & alia, quæ Tentzelius addidit, ipse tamen prouocat ad catalogum Bibliothecarii Meyeri, qui nunc præest, quem multa cura de impressis non solum, sed etiam Mstis concinnat, forsan aliquando publicandum. *Manuscripta* quædam *Chymicorum Græcorum veterum* cum Reinesii iudicio & ad recentiorem historiam Imperii & Saxonicarum rerum spectantia continet rarissima, *variasque epistolas Ioannis Friderici Magnanimi* electoris, quas ex captiuitate scripsit, inter quas sunt, quibus consiliarium suum, qui principibus iuuentutis a studiis erat, monet, vt discipulos ad linguam latinam probe addiscendam adigat. *Epistolas autographas* multas *Ioannis Arndii & Ioannis Gerhardi*, *Manuscripta* multa *Arabica*, quæ ex Vngaria in dictam Bibliothecam delata, & varia alia. Taceo iam figuras æneas magnorum sumtuum, celeberrimis artificibus factas, effigies virorum illustrium & curiosa varia. In separatis Cameris adseruatur *Ci-*

meliar-

meliarchium Ducale, in quo picturæ egregiæ eædemque rarissimæ, inter quas præcipuæ, quæ antithesin exhibent Christi & Antichristi, quas beneficio Tentzelii descripsi in Obseruationibus Halensibus Tomo quarto obseru. X. Præterea adseruantur numismata ex omni metallo rarissima, tum antiquiora, tum recentiora, naturalia multa, inter quæ effossa elephanti Tonnæ ossa, de quibus separatim scripsit Tentzelius.

§. X.

Nec minorem laudem habet Bibliotheca Vinariensis. Hæc ex principis Ienensis & coëmta Gerardi a Lilienheim, accedente cimeliarchio Haugvvitziano, nummis Saxonicis refertissimo, & rerum tum naturalium tum artificialium locupletissimo museo Lorentziano, haut ita pridem originem cepit. Certe, vix crederes intra tam breue temporis spatium tam numerosam, tam locupletem Bibliothecam instrui potuisse, quæ inter potiores nostræ ætatis locum haberet. Serenissimus Conditor GVILIELMVS ERNESTVS, prout litteras fouet, in ornanda eadem nullis sumtibus parcit. Insigne incrementum accepit per accessionem Logauianæ Bibliothecæ, selectu librorum Historicorum præsertim, eorundemque rarissimorum instructissimæ. Hæc plures iam eruditos eo inuitauit, nec sine fructu dimisit.

§. XI.

§. XI.

Serenissimus Dux BERNARDVS, qui *Meinungæ* sedem habuit, in comparando thesauro librario quoque sollicitus, libros quosdam selectiores, eosdemque rariores coëmi fecit, ita vt inter minimas non sit habenda, licet manuscriptis Codicibus destituatur. Nec caret Serenissimi Principis nostri IOANNIS GVILIELMI sedes, *Isenacum* Bibliotheca, non tam multitudine quam selectu clara, atque inter hæc Mstis quibusdam recentioribus instructa.

§. XII.

Nec minor lineæ Albertinæ Ducalis cura est Bibliothecarum. Inter has eminet *Citicensis*. Primam originem habet libris a Iulio Pflugio relictis, inter quos volumen epistolarum est vel ipsius manu, vel ad ipsum scriptarum. Ordinari tamen fecit atque plenius instruxit Bibliothecam Mauritius, Saxoniæ Dux, primus Citicensis lineæ auctor, idem & Bibliothecæ conditor. Eademque insignia cepit incrementa, dum maxima Reinesianæ Bibliothecæ pars in eandem fuerit illata, atque ad hunc vsque diem destinata annua summa adaugetur. Nec intermittit Princeps doctissimus, MAVRITIVS GVILIELMVS, pro intimo suo in studiorum arcana adfectu, quod ad Bibliothecam hancce ornandam conducat. Catalogum

præ-

præcipuorum Mstorum addidit Tentzelius, pleniorem tamen beneficio Clarissimi Gotfriedi Gleitsmanni, Rectoris & Bibliothecarii debeo. Sunt autem ista *liber Euangeliorum, Isaacii Tzetzæ schola in Lycophrona, Iamblichi Chalcidensis* λόγοι περὶ τῆς πυθαγορικῆς αἱρέσεως. Ei. περὶ τῆς κοινῆς μαθηματικῆς εἰσαγωγῆς. Ei. περὶ τῆς νικομάχου ἀριθμητικῆς εἰσαγωγῆς, ad quem Codicem multa adnotauit Reinesius, testatus etiam se ex priuata quadam Ienensium Bibliotheca illum accepisse. Præterea *Georgii Pachymeris opera Philosophica, Theodori Metochitæ Capita Philosophica, Historica, Critica, Oratoria, Themistius in analytica posteriora, Philoponi exegesis in primum librum introductionis Arithmeticæ Nicomachi, Geraseni Commentaria, Olympiodori in Platonis Alcibiadem, Phædonem & Philebum. Ei. scholia in Gorgiam Platonis, Chronicon Georgii Syncelli & Logothetæ, Claudii Ptolemæi libri III. de Musica seu Harmonicorum, Claudii Æliani Tactica, B. Maximus de anima, Iulii Africani* κεστὸς, παρεκβολαὶ ἐκ τῶν στρατηγικῶν παρατάξεων, *Nicephorus* περὶ κατασάσεως ἀπλήκτου, *G. Pachymeris scholia in Dionysium Areopagitam.*

gitam. Omnia Mſta Græca, ad quæ ſua manu varia adnotauerat Reineſius. Vt alia, præſertim Chronica ſcripta taceamus. Præterea Mſtis æquiparari poſſunt Suidas, & Pancirolli notitia Imperii, Philoſtratus etiam, quibus eximias, eademque frequentiſſimas notas adiecit Reineſius, quod etiam de variis eius lectionibus & Nouo Teſtamento Betzæ dicendum. Nec *Weiſſenfelſenſis* atque *Merſeburgenſis* aula ſuis deſtituuntur Bibliothecis.

§. XIII.

Haſſiæ Landgrauii ſuas quisque bibliothecas habent. Altera, quæ *Caſſellis* adſeruatur, inſtructiſſima eſt. Inter libros rariores continet librum *litteris Cuficis*, aliumque litteris *Glagoliticis* ſcriptum. Cimeliarchium quod multa cura ibidem inſtruitur, illuſtre ſatis eſt atque refertiſſimum. Altera *Darmſtadti* eſt, licet iſta numero librorum haut polleat. Nec male pro curis Principalibus inſtructa eſt bibliotheca Würtembergica, quæ *Stutgardiæ* adſeruatur, atque numero & ſelectu librorum gaudet. Commendandum quoque Cimeliarchium Ducale, quod nummorum multitudine ſuperbit, cuius rariſſima deſcripſit Patinus.

§. XIV.

Holſatiæ Ducis Bibliotheca *Gottorpii* condita eſt anno 1606 a Ioanne Adol-

pho, Holſatiæ Duce, a Filio eiusdem & nepote ſubinde amplificata, atque acceſſione Bibliothecæ Ioannis Wouvverii & Andreæ Vlckenii plurimum adaucta. Poſſidet autem non libros ſolum, ſed etiam Mſta, quorum potiora ex Morhofii Polyhiſtore lib. I cap. VII hauriemus. Sunt autem iſta: *Plinii Hiſtoria Naturalis*, qua vſus Salmaſius: *Corpus Iuris Ciuilis*, *Hippocratis opera græce*, *Vegetius de re militari*, *Martianus Capella*, *Virgilii & Ouidii aliqua*, *Statius*, *Lucanus*, *Ciceronis Rhetorica nonnulla*, *Salluſtius*, Ἥρωνος εἰσαγωγὴ τῶν γεωμετρουμένων, *Heronis Geodæſia*, *Theocriti Idyllia*, *Cyrilli Lexicon Græcum*, *Macrobius in ſomnium Scipionis*, *Boëthius de conſolatione Philoſophiæ*, *Hiſtoria ſacra Perſarum perſice & latine*, *Libanii characteres*, *Mich. Glycæ Annales*, *Sidonii Apollinaris epiſtolæ*, *Fragmenta veterum Mathematicorum græce*, *Perſii ſatyræ*, *Heliodori Lariſſai Optica*, *Xenocrates de piſcibus*, *Vita Heſiodi*, *Theocriti & Oppiani græce*, *Leontii Baſilii Naumachica græce*, *Pſelli expoſitio in Zoroaſtris oracula*. *Ei. expoſitio dogmatum Chaldaicorum*, *Demetrii Phalerei apophthegmata*, *Glycæ orationes græce*, *Gemiſtius de dignitatibus*

&

& officiis regiis, Cassiodori Historia tripartita, Papiæ Glossarium, Homiliæ diuersorum, quas iussu Caroli M. collegit Alcuinus, Senecæ epistolæ, Demetrii dialogus, Warnefridi Historia Longobardorum, Cypriani epistolæ, Constantini Manassis Chronicon, Leonis Papæ epistolæ, Fulgentii Mythologia, Alexii vita græce, Methodius de mundi excidio, Chymica multa & Historica ad res Germanicas & Holsaticas facientia. Claros semper habuit præfectos, Nathanem Chytræum, Henricum Lindenbrogium, Adamum Olearium, Marquardum Gudium, & Io. Nicolaum Pechlinum. Breuem eiusdem descriptionem habemus in Ioannis Molleri isagoges ad Historiam Chersonesi Cimbricæ parte tertia, cap. IV §. II. Musæum, quod ibidem est, rerum naturalium atque artificialium originem debet alio Bernardi Paludani, medici Enckhusani, incrementa autem Friderici IV & Christiani Alberti, Ducum Munificentiæ. Descripsit illud ADAMVS OLEARIVS, qui edidit *Gottorfische Kunst-Kammer, Slesuigæ 1666. 4.* & auctius *1674. 4.* Bibliothecæ *Gudianæ*, quæ Glükstadti est, præconem agit Morhofius polyhistore libro primo capite septimo, qui eandem priuatarum omnium dicit esse regi-

nam, atque ob Manuſcriptorum Codicum & antiquiſſimorum & rariſſimorum copiam atque ſelectum tantam, vt vel cum regiis poſſet contendere. Maxime vero inſigni theſauro epiſtolarum ineditarum adhuc clara eſt, licèt multas etiam fuiſſe diſſipatas nouerim.

§. XV.

Arnſtadti binæ reperiuntur Bibliothecæ. Altera eſt illuſtriſſimi Comitis, quæ ſelectiſſimis atque curioſis libris, ad antiqtitates potiſſimum, rem nummariam & hiſtoriam eſt inſtructiſſima. Cimeliarchium vero, quantus Theſaurus! me præcone non indiget, cum per omnem Europam ſit celeberrimum. Huic & Bibliothecæ præeſt nunc Chriſtianus Schlegelius, ex ſcriptis ſuis ſatis notus. Alteram Bibliothecam Eccleſia habet, patribus atque ſcriptis eccleſiaſticis, & editionibus quibusdam antiquiſſimis eſt referta, cui nunc præeſt Ioannes Chriſtoph. Olearius, Eccleſiaſtes, Adfinis & amicus cariſſimus.

§. XVI.

Inter rerum publicarum bibliothecas primo loco nominanda venit *Auguſtana*, quæ Mſtis varii ordinis, iisdemque haut vulgaribus eſt inſtructiſſima. Antiquiſſimum huius bibliothecæ ſtatum nobis deſcribit Chronicon Auguſtanum Eccleſiaſticum, quod extat in Tomo I. Piſtorii p. 892,

892. cuius verba hic adducemus. *Labente, vt supra diximus, religione quilibet fratrum, (prob.) quærebat sibi placita, nec libri curabantur: immo, quod peius erat, petentibus non negabantur, & sine chirographo aliquo alienabantur: quo fiebat, vt ad fratrum prædicatorum conuentum etiam aliqui ablati sint, titulo accommodati: licet ipsi velint per modum redemtionis, quibus hodie caremus. Maxime fiebat ex ignorantia, quæ pessima nouerca est & tinea codicum: & cum ibi originalium antiquorum, doctorum & oratorum poëtarum esset admodum bona copia, parui pendebantur a nostris prædecessoribus, sed ab alienis appreciabantur. Habes denique eorum ex ordine nomina in foliis primis & vltimis beati Hieronymi super Ezechielem. Tandem circa annum Domini millesimum quadringentesimum floruit in illo loco egregius Sacræ Theologiæ Doctor Narcissus Pfiscer ab ordine prædicatorum ad nos declinans: hic vbique in libris vestigia suæ scientiæ & laboris reliquit: deinde sub venerabili Abbate, Domino Melchiore de Stamheim, cum locus bibliothecæ, qui tunc inter dormito-*

rium fratrum & ecclesiam erat, vbi nunc constructa est capella Sancti Gregorii (de qua nondum fecimus mentionem) esset nimis ad tot libros angustus, tempestatibus etiam stillicidioque expositus, idemque Dominus Abbas impressoriæ arti per se & fratres operam daret, quæ ars nuper inuenta erat, contigit locum maximo numero librorum augeri, ita vt valde ampliori loco opus esset, prout etiam moderno valde humanissimo sub abbate quotidie augmentantur. Quare vt ab igne tuti essent, & facilis sine inquietatione pateret fratrum accessus, supra præfatam capellam structura ipsa facta est. Cum itaque tanta cura, qua opus erat, bibliotheca ista non semper tractaretur, Xysto Betuleio, qui sub annum Christi 1547. vixit, atque diu Scholam cum laude rexit, negotium datum est, vt conquisitis ex monachorum pluteis melioribus codicibus, nouam bibliothecam construeret: ad cuius incrementum amplissimus Senatus singulis annis florenos 50 decreuit, quibus cuiusuis professionis auctores coëmerentur. Circa annum vero 1545. curauit idem Senatus Græcos Codices manuscriptos plures, vetustissimorum auctorum de Antonio Eparcho Corcyræo episcopo, Venetiis 800 ducatis emendos, tum qui-

quidem ἀνεκδότους, vti tradit Matthias Berneggerus in Commentario ad Suetonii Cæſ. c. XLIV. p. m. 104. Catalogum Græcorum Codicum primus edidit vt creditur, GEORGIVS HENISCHIVS, *Auguſtæ 1590. 4.* ab ELIA EHINGERO poſtea auctius editum, additis etiam libris impresſis *Auguſtæ 1633. f.* Qui Catalogus ob exemplarium, quæ impreſſa, paucitatem rariſſimus eſt, libri tamen non ſecundum ordinem litterarium, ſed ſecundum repoſitoria ſua collocati. *Græcorum manuſcriptorum index* primum auctore non nominato prodiit *1575. 4.* Poſt quadruplo, vti titulus habet, auctior a DAVIDE HÖSCHELIO, *1595. 4.* & quidem, vti teſtatur Höſchelius in præfatione, inſtinctu Marci Velſeri. Vtrique catalogo hæc adiecta ſunt verba ſingularia: *Quisquis Reipublicæ litterariæ faues. ſiue Lector, ſiue Typographe, horum omnium Codicum, ſiue interpretandi, ſiue conferendi, ſive edendi, ita tibi futura eſt copia, ſi de iis involuminibus reſtituendis caueris* Hinc etiam antiquiſſimus Ioſephi Codex, Syncelli & Theophanis Codices ad Boſium noſtrum, cum in iis cum exemplaribus impreſſis conferendis laboraret, fuerunt transmiſſi. Tandem ANTONIVS REISERVS *Indicem Mſtorum bibliothecæ Auguſtanæ edidit Auguſtæ 1675.* in quo non ſolum Græcos, ſed etiam latinos recenſet, eosque ſecundum diſciplinas diſpoſitos eo

ordine, prout in pluteis adſeruantur. Inſeruit hinc inde Reiſerus obſeruationes de Mſtis, raro tamen ſelectiores. Adiecit appendicem librorum antiquiſſimorum, qui ab inuentione artis Typographicæ vsque ad initium ſeculi XVI. impreſſi in dicta bibliotheca adſeruantur. Catalogum *Græcorum Mſtorum* ab Eparcho coëmtorum variis ſacris inſeruit STEPHANVS le MOYNE. *Theologicorum* tantum *Mſtorum Auguſtanorum catalogum* exhibet THEOPHILVS SPITZELIVS in ſacris Bibliothecarum arcanis retectis. Quæ vulgo adducitur traditio de editione Bibliorum Germanicorum anno 1449. Auguſtæ facta, ibidemque in bibliotheca adſeruata exploditur in diſquiſitione GEORGII FRIDERICI MAGNI *de antiquis S. Scripturæ verſionibus Germanicis, Auguſtæ excuſis* quæ prodiit *1690. 4.* & apud Tentzelium Colloquiis menſtruis anni 1692. p. 676.

§. XVII.

Noribergenſium Bibliotheca iam ſeculo XV. fuit nota, ex aliis monaſteriorum plurimum fuit adaucta, cura Hieronymo Baumgartnero & Eraſmo Ebnero demandata, qui hinc inde diſperſos libros in ordinem digeſſerunt, loco in Curia adſignato. Accedentibus autem nouis indies incrementis, in Dominicanorum monaſterium fuit tranſlata, vbi adhuc hodie viſitur. Præfectura Biblio-

Bibliothecæ primum eruditis variis fuit commiſſa, poſtmodum vero miniſtris verbi Diuini ædis Sebaldinæ. Acceſſerunt ex legato integræ Bibliothecæ, inter quas illa Sigismundi Härlii, quæ anno 1618. acceſſit, non minima, ita, vt hodie inter numeroſiſſimas Germaniæ numeretur. Reperiuntur in eadem *Membrana* quædam *antiquiſſima, in qua ipſius Claudii Ptolemæi manu ductæ figuræ dicuntur, Ptolemæi Coſmographia, manu Trapezantii correcta, Archimedis liber Græcus de Sphæra & Cylindro, Euclidis Geometria, Iulii Firmici libri Aſtronomicorum, Homeri, Heſiodi, Sophoclis, Pindari, Aeſchyli, Ciceronis Rhetoricorum & officiorum, Senecæ epiſtolarum, Virgilii, Horatii, Ouidii exemplaria antiqua, Ioſephus de Bello judaico, Euſebius Cæſareenſis & Egeſippus, Origenis plurima, Chryſoſtomi Homiliæ variæ, Hieronymi Opera, Auguſtini Opera XII voluminibus comprehenſa, Codex Iuris Ciuilis*, quo vſus fuit Holoander, *Volumina ingentia X Muſicæ Choralis*, quæ Margaretha, Carthuſiani Ordinis circa XV ſeculi initium ſanctimonialis, ſola in membrana deſcripſit & paſſim coloribus dispunxit. Poſſidet præterea globos manibus ſcriptos, Vitrum, quo Lutherus Iuſtum Ionam dona-

nauit atque abacum ligneum, Chronologiam V. T. inſculptam exhibens & plura alia. Vt taceam magnam librorum copiam, quæ adſignata ſumma annua adaugetur quotidie. Hiſtoriam huius Bibliothecæ ſcripſit IOANNES SAVBERTVS, duabus orationibus, *Noribergæ* 1643. 12. editis, quarum priori de ſtructoribus agit & Curatoribus Bibliothecæ, altera de rebus in ea contentis rarioribus, addito catalogo librorum ſeculo decimo quinto editorum. Poſt hanc *bibliothecæ memorabilia* edidit IOANNES IACOBVS LEIBNIZIVS, *Noribergæ* 1674. 4. Poſthunc, eandem deſcripſit IOANNES CHRISTOPHORVS WAGENSEIL *de Ciuitate Noribergenſi* cap. XI.

§. XIIX.

Præter iſtam publicam, Bibliotheca *Laurentiana* fundatorem habet Ioannem Fenitzerum, ciuem, legato mille thalerorum. Ioannes Michael Dilherrus Bibliothecam ſuam inſtructiſſimam, vna cum numiſmatibus antiquis capitulo *Sebaldino* legauit. Inter priuatas eminet illa *Chriſtophori Pelleri*, hiſtoricis & iuridicis, refertiſſima, *Leonardi Leuchti*, *Oelhafeniorum*, hiſtoricis & politicis clara. *Caroli Velſeri*, *Iacobi Wilhelmi Imhofii*, ex ſcriptis ſuis celeberrimi, *Gothofredi Thomaſii*, quæ ra i ate & ſelectu, Mſtorum etiam copia eſt refertiſſima. Horum indicem ab ipſo Thomaſio

masio confectum inseruit Meelführerus accessionibus suis ad Almeloueni Bibliothecam promissam *p. 131.* His addimus Bibliothecam *Hieronymi Guilielmi Ebneri*, Iudicii caussarum summariarum Scabini, cuius Catalogum Mstorum beneficio Nobilissimi Consiliarii Oelhafeni debeo, quem ideo inserere volui, cum nulli eruditorum ad vsum eadem denegare se declarauerit Nobilissimus Ebnerus. Sunt autem ista: *Terentii Comœdiæ cum Scholiaste, Cicero de Amicitia, Ouidii Metamorphosis & V libri Tristium, Lucanus, Persius, Prudentius, Virgilius, Claudianus, Iuuenalis, Commentarii in Lucanum, Persium, Sedulium, quasdam Horatii odas, in artem poëticam, libros sermonum, epistolarum, & Virgilium, Macrobius in somnium Scipionis, Boëthius de SS. Trinitate ad Ioannem Diaconum, Prosper in dicta Augustini, Interpretationes nominum Hebræorum Hieronymi, Papiæ excerptum, Timæus Platonis, Nicolai de Lyra disputatio de Iudæis, Philosophia Wilhelmi M, Aureæ Bullæ exemplar antiquum, Christinæ Ebneriæ visiones, Philippus Camerarius de inquisitione Romana, Ei. additiones ad horas succisiuas, Volumina aliquot epistolarum ad Camerarium scriptarum.*

§. XIX.

§. XIX.

Illuſtris & libris editis & Mſtis rarioribus eſt *Bremenſium* Bibliotheca. Cum iam in eo eſſem, vt eiusdem deſcriptionem pleniorem meditarer, atque calamum eidem deſignandæ adriperem, opportune admodum ad me deferebantur humaniſſimæ litteræ celeberrimi viri, Gerhardi von Maſtricht. Plenæ iſtæ ſunt bonæ frugis atque eruditionis multivariæ, vt, (uod pace eiusdem fieri nullus dubito,) easdem publico inuidere nolim.

Cum voluptate, Vir Clariſſime, litteraria Tua per vices edita, legi, quæ certe rei bibliothecariæ, cuius dudum ſtudioſus fui, item litteris humanioribus & hiſtoriæ non exiguam lucem, Tibi nomen Clarum apud Doctos conciliant, id quod & plur. Reuerendus D. Abbas Schmidt, Profeſſor Helmſtadienſis meritiſſimus, communis amicus, in præfatione, rurſum in lucem reuocatis Scriptoribus bibliothecariis, præmiſſa, teſtis, ſi quis Claſſicus, affirmauit. Quare gratiſſima mihi fuit ſalutatio, quam Tuo nomine dedit Nobiliſſimus & Conſultiſſimus Dn. Albrechtus Hake. I. V. D. qui inſuper rogauit, cum in introductione Tua ad notitiam

titiam rei litterariæ & vſum Bibliotheca-rum montio, inter alias, facta Bibliotheca Bremenſis, vt, quid in ea reconditum aut memoratu dignum lateret, Tibi panderem. Annui ſtatim, vt Tibi hoc officium, ex veteri formula: Lubens meritoque præſtarem, ſimulque mihi fautorem & commercium litterarium Tecum acquirerem. Quod de Bibliotheca noſtra cap. 1. §. 14. narras, verum eſt, emit eam Amp. Senatus poſt mortem Goldaſti cum eius Manuſcriptis; Mortuus ille eſt, uti noſti, ſeculi anterioris anno trigeſimo quinto. A quo tempore ad noſtra plures libri & inſigniora opera ex famoſiſſimis Bibliopoliis, etiam regiis ſumptibus iuſtitutis, prodierunt, quam in omnibus ſeculis anterioribus, quare neque tanta Impreſſorum copia Goldaſto fuit, quam nunc eſſet, ſi viueret; curioſus tamen conquiſitor maxime Manuſcriptorum fuit. Eius induſtriam & labores ſtupeo, tum in colligendis monumentis litterariis, tum ad publicum Europæ, potiſſimum Imperii Rom. Statum pertinentibus. Præter edita multa apud nos latent, varia regna prouinciasque Germaniæ concernentia. In re litteraria collegit

Nobilis Helvetus, qui in Antiquitatib. et historia Germ[illegible] nica haud superficiarie fuit [illegible]

git

git stupenda diligentia notas & commentarios in Petronium, quos vastissimis duobus voluminibus in folio inclusit, sunt in iis multa, leuicula, multa etiam spurca. Habemus & varia aduersaria. in quæ obuia litteraria & humaniora coniecit. Inter Manuscriptos eius, postea nostræ Bibliothecæ addictos, memorabilis fuit Codex græcus Suidæ, qui cum aliis XXIIX. Christinæ Reginæ
post pacem Osnabrug:
in Sueciam Anno 1650. est missus, forte nunc Romam delatus. In his fuit & Chronicon Iuonis, amplum illud a Nino ad Ludouicum Pium Imp. quod in Bibliothecis extare dixit Vossius de Hist. Lat. lib. 2. quod tamen Hugoni Monacho Floriensi vindicat Caueus. Incerti auctoris fragmentum annotationum in Plinii Hist. Fragmentum Agatarchidis de Mari Rubro, Sexti Empyrici libellus περὶ ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ Fragmentum Glossarum veterum latino-Græcarum. Fulgentii astronomica. Epigrammata vetusta de die & nocte, Simmiæ Rhodi ouum gr. Hermetis Trismegisti fragmentum, gr. Inscriptiones antiquæ in Babilonia & Palæstina inuentæ. Fragmentum nomenclatoris latino-Græci de Piscibus. Hippocratis Lexicon gr. Platonis dia-

dialogus de legibus. Excerpta quædam ex Io. Zonaræ Lexico, nemini nec mihi in Historia iuris memorato. Rhabani Mauri libellus de inuentione linguarum, Lexicon vetus græco-latinum, excerpta quædam ex Glossariis gr. lat. Audoëni vita S. Eligii, Quirini & Armenii (si bene scriptus catalogus) lib. de passione Martyrii. Ant. Musæ de Herba Veronica liber cum Herbis Apuleio Platonico traditis a Chirone Centauro Magistro Achillis, cum figuris herbarum, scriptura antiqua. Sybillæ Tiburtinæ liber. Chalcidius in Timæum Platonis, Curopalata de officialibus, cui adhæsit. Anon Epitome temporum ab Adamo ad annum XX. Heraclii, Hesiodi genesis & vita de Homeri & Hesiodi certamine lib. gr. cum XXIII. aliis Græcis tractatibus, Epistolis & versibus. Iterum Valerii Harpocrationis Lexicon gr. Aratoris subdiaconi Romani Epistolæ ad Florianum Abbatem, & ad Iulium (lege Vigilium) Papam, sub quo vixit, quæ nescio an editæ sint, cum nemo earum mentionem faciat, item eiusdem liber historiæ Apostolicæ versibus expressus, extans in Bibliotheca Patrum. Amphilochii vita Basilii gr. S. Ianuarius de

filio

filio prodig, Bedæ & Augustini quædam S. Othmari Abbatis dicta. Aquilii Genealogia Machabæorum, Herodum & de Olympiade, cuius sit, ignoro, Aquilio Seuero, cuius meminit Hieronymus, adscribere non audeo. Hieronymus Strid. de nominibus Apostolorum, cuius nemo, quantum scio, meminit; Columbani Epist. Syluii, nescio cuius versus, de cognomento Saluatoris. Walafridi Strabi versus de Beati Blaitmaci vita, eius qui seculo IX. inter alia etiam vitam S. Othmari Abbatis dedit, extat in tom. VI. Canisii. Theodulphi vel Thietholfi Episcopi, mihi hactenus ignoti, opus de tota veteris & noui Testamenti instructione, item carmina. Forte ille est, cui Manuscripta adserunt carmen de Phœnice, alias Lactantio adscriptum. φυσιολόγικον in Hexaemeron gr. cuius auctoris sit, me latet. Quatuor Euangelistæ gr. eleganter scripti. Persii Satyrarum liber cum Glossis, cui aderant proverbia Bedæ. Missus quoque Cicero de amicitia, Sallustius de bello Catilinario & gesta Alexandri Magni lib. X. credo Curtii. Gratiosi Epidauritæ libellus de notis Romanorum, cui adhæserunt alii XXIV. tractatus; porro Prudentius,

tius Valerianus Episcopus Metens. de bono disciplinæ, Eginhardi vita Caroli, Milonis vita Alberti vno volumine. Ephraim Syri paræneses & alii tractatus gr. Hymni Ecclesiastici. Lex Salica, Ripuariorum, Alamannorum. Tædet sane alios bene multos addere. Quæ supersunt, adhuc nobis rariora hæc indico. Vadiani stemma Archiducum Austriæ, aliæque Genealogiæ. Epistolarum Originalium virorum litteris illustrium, volumina quædam, ab anno 1500. Hofflieder, vasto vol. in fol. Fragmentum actorum sextæ synodi Constantinopolit. Eusebii præparatio Euangelica, Lentuli Epistola de Christo, Acta concilii Mantuani 1459. Rosæ euentus Romanorum ab vrbe condita ad Augustum, S. Mauritii & Sociorum Martyrium, anonymo, sed perueteri auctore, Volumen diplomatum Regum Francorum & Impp. ab anno 715. Boëtius de Consolatione philosophiæ, Acta concilii Triburiensis, cuius sit, non potui nunc inspicere, fuerunt enim tria; Chronica Archiepiscoporum Magdeburgensium, Gesneri descriptio Montis Fracti seu Montis Pilati, Wolfii quædam fragmenta de rebus Helveticis, in quibus variæ emendationes ad

Munsteri Cosmographiam. Io. Vitodurani Chronicon, quantum scio, ineditum, in Heluetia notum & æstimatum doctis. Varia Zwinglii. Blasii Viegas Vaticinium de Babilonis & Meretricis Romanæ excidio, cuius A le Gambe non meminit, qui tamen in Apocalypsin commentatum notat. Vita Ioannis Apostoli & aliorum multorum Martyrum eorumque passiones. Sedulii Scoti liber de Rectoribus Christianis bis. Est ille Sedulius posterior. Bussonii presbyteri, mihi ignoti, de lapsu Adami & de matrimonio. Ouidii liber de vetula suppositus, in operibus omissus. Iulius Exuperantius de bello Mariano. M. Tuberonis libellus de iis, quæ pluribus modis dicuntur, liber Sibyllæ, Phile de proprietatibus animalium gr. Apollinarii paraphrasis Psalmorum gr. Io. Geometræ Odarum libellus gr. Nicephori Blemmidæ logica gr. Nili cuiusdam expositio de contractibus matrimonialibus, eius & alia opuscula gr. Proterii Episcopi Alexandrini, aliorumque patrum & paparum Epistolæ de tempore Paschali, quæ editæ sunt, pleræque a Bucherio in doctrina temporum; Io. Damasceni isagoge dogmatum philosophicorum, cuius

ius nemo meminit. Bedani Monachi Glossæ & Aldselmi Episcopi ænigmata, edita a Martino Delrio. Passio Apostolorum Petri & Pauli, & interitus Simonis Magi. Inueni quoque volumen in quarto satis magnum, in quo, alte teutsche Mann-und Frauen Nahmen, aus den alten Historien gezogen, opus, quantum ex epistolis, quibus nomina allita sunt, colligere potui, Auctorem & Collectorem habet Conradum Gesnerum, distincta sunt illa per terminationes, multa nominum millia in eo continentur, opus dignum, quod ad promouendam linguam Germanicam typis vulgetur. Plura nunc non addo, ne nimium Tua, Vir Clariss. turbem concatenata negotia. De typis expressis nil scribo Tibi, nisi quod ex accurata Goldasti annotatione multos Anonymos & Pseudonymos detexerim, quos Clarissimo Placcio subministraui, cuius vastum opus de pseudonymis & anonymis detectis, moribundus auctor mihi ad editionem misit & commisit, quia me auctore & instigatore postliminio ad istud reductus fuit. Quod, cum auctor se totum moralibus & mysticis scriptoribus addixisset, diu pro derelicto habuit. Erat

perductum vsque ad annum ipsius emortualem 1697. constat septem satis magnis voluminibus in folio, cum duobus indicibus, vno pro Anonymis, altero pro Pseudonymis, qui quoque volumen exhibent, paratum est opus ad editionem, in quo vltra nouem millia auctorum & librorum suis auctoribus vindicata sunt. Labor triginta annorum, ad quod multi, ego quoque multas symbolas contulimus, quæ cuique fideliter in opere redduntur & cuique sua adseruntur. Per septennium iam vbique in Belgio & Germania quæsiui typographum, qui opus edendum susciperet, sed frustra. Tandem ante annum se Hamburgi obtulit quidam Dreyerus Doctor, homo locuples, qui se editurum suscepit, oblatis ex suo sumptibus, quare Testamenti Placciani Executoribus opus remisi, satis persuasus, D. Dreyerum, vbi molem inspexisset, promissa non præstiturum. Obtuli me Executoribus ad communes sumtus, quam conditionem illi respuerunt. Dolet mihi valde egregium & industriosum hoc opus non publicari, ex quo typographus certissimum lucrum, me vate, sperare potest, intra breue tempus, quodque ab anno 1697 ad hæc tempora

pora continuari posset, ad quod ego interea necessaria congessi. In opere de quibusdam scriptis ita longe disputatum est, vt pro tractatibus haberi possint, veluti de auctore fabulæ de tribus impostoribus, de auctore Theologiæ Germanicæ (quem vnus Wolffius Tomo 1. fol. 863. ad annum 1460. Eblendum vocat, de quo nec Placcius, neque ego, quidquam inuenire potui.) Porro de Ioanne Annio Viterbiensi aliisque. Vidi quoque apud mortuum ingens volumen in folio de Philosophia Morali, item aliud vastum, de iure naturæ, utrumque ad proelum nitide descriptum, quod edere viuus noluit, timens antagonistas, ab iisque molestias, quæ vitæ tranquillitatem turbarent. Hæc allotria, quæ tamen, Vir Clariss. vti spero, delectabunt. Verbum adhuc de manuscripsis meæ Bibliothecæ rarioribus addo. Habeo volumen Epistolarum Iuonis in membrana nitide scritarum, Hilarium de S. trinitate, in membrana elegantissime scriptum. Paschasii Ratberti, Remigii Antisiodorensis, Rhabani, Gregorii Manuscripta in pergamena, quia edita sileo. Petri de Riga Auroram carmine, seu Paraphrasin Metricam in Vet. & Nov. Testamentum, opus ineditum habeo,

item Petri Babionis sermones, de quibus Pitsæus, Rhabani Mauri Glossarium Teutonicum in Biblia, Bodinum de rerum sublimium arcanis, Manuscripta nondum etiam edita; Vti nec Reginonis Epistola de Harmonica institutione ad Rhadbodum Archiep. Treuirensem, Manuscriptum est procul dubio ipsius auctoris, & quidem vnicum in orbe; nullus enim eius meminit, ne quidem rei Bibliothecariæ peritissimus Stephanus Baluzius, qui nobis eius libros de disciplina Ecclesiastica cum notis dedit, in quarum præfatione vitam Auctoris tradit. Liber hic non tam ob Musices institutionem, quam ex antiquis descripsit, est æstimabilis, verum quia ei subnexum est Lectionarium totius anni, cum perpetuo superscriptis notis Musicis, sui temporis, nempe seculi octaui & noni, antequam seculo XI. a Guidone Abbate Monasterii S. Crucis Auellani, prope Aretium in Hetruria substitutæ essent notæ nostrates: vt, re, mi, fa, sol, la. vel litteræ A. B. &c. Sunt notæ istæ mirabiles, quas hactenus nemo, neque vllus mihi scriptor explicare potuit. Operam in Bibliotheca Vindobonensi multam impendi, vt inter rara Manuscripta latina

(quo-

(quorum Catalogum ipse descripsi, satis magnum) quidquam de hisce inuenirem; inueni similes, verum nullam earum explicationem. Potuit quoque hic liber iuuare inquisitionem Lectionarii veteris Ecclesiæ, item anni Ecclesiastici. Vtrumque scis, quam difficilis sit indaginis. Rogaui Reu. Abbatem D. Schmidt, cum de Lectoribus veteris Ecclesiæ scriberet, vt operam suam in id impenderet, quia facit ad materiam Lectorum. Verum ille nimium occupatus est in Academicis, quare Labores de Lectoribus nondum continuauit. Est mihi quoque Manuscriptum Exemplar Martini Poloni in membranis nitidissime scriptum, vt coniicio, tempore Auctoris aut paullo post eius obitum, in eo historia Ioannis VIII Papæ vel Papissæ affabre descripta est. Nitidius aut antiquius exemplar non superesse credo, edet forte Polonum D. Eccardus, qui ad nouam editionem aliquot Manuscripta sibi comparauit, meo tum quoque vtetur. Est ille cum Illustri Leibnitzio, uti vidi, nunc totus in historia Brunswicensi & Luneburgensi occupatus, quam Serenissimus Elector Hanoueranus vrget, vt in lucem prodeat. Huic

meo Codici adhærent gesta Christi ex actis Pilati a Theodosio Imp. inuenta, Gualterius, nescio quis, de remedio amoris & alia, de quibus forte alias; nunc terminum loquaci calamo figo, veniam dabis prolixæ Epistolæ, si tibi morosa est, promptum tamen ad officia Tibi præstanda animum demonstrabit. Bene vale, Lyceo, Reipub. litterariæ & mihi, sospes diu. Scripsi Bremæ Cauchorum prid. Cal. Nov. cIɔ Iɔccv.

Grato interim adgnosco animo beneuolam hanc communicationem, omnibus eruditis tantum proficuam.

§. XX.

Hamburgensis Bibliotheca a numero claret & præstantia. Primam quidem cum schola Bibliothecam omnes generis manuscriptorum codicum instructissimam intra claustra monasterii Basilii Cathedralis adornasse Anscharium testatur Lambecius libro primo Rerum Hamburgensium p. 46. Verum, capta 845 a Normannis vrbe, hæc Bibliotheca vna cum ipso templo Cathedrali, & alia omni supellectile fuit exusta. Noua autem, quæ nunc est, anno 1529 vna cum ipsa reformatione cœpit, postea in Gymnasium delata, quod

quod anno 1612 fuit fundatum, anno 1613 d. 12. Augusti inauguratum, atque postea variis donariis & legatis fuit locupletata. Dedicata primum fuit in scholæ prima classe. Anno 1615 hortatu Sebastiani a Bergen, Consulis, alius, idemque certus locus Bibliothecæ fuit destinatus. Hic etiam suam insuper ex legato adiecit Bibliothecam. Huius exemplum Fridericus Lindenbrogius, Paulus Marquardus Slegelius, Io. Adamus Tassius, Ioachimus Iungius, Thomas Sellius, Henricus Langenbeckius, & non ita pridem, Vincentius Placcius fuerunt secuti. Horum vltima voluntate mirum in modum creuit hæc Bibliotheca publica. Accesserunt XXIX Msta ex legato Lucæ Holstenii. Eminet itaque libris editis, Mstis, instrumentis Mathematicis, Chirurgicis, rarioribus naturæ & artis, quibusdam etiam Numismatibus. MICHAEL KIRSTENIVS edidit *Memoriam Bibliothecæ Hamburgensis anno 1650 structæ Hamburgi 1651. f*, quæ præter inscriptionem Metrico-Prosaicam, poëma de facie, structuris & picturis illius Heroicum complectitur. Attribuitur hoc scriptum a Lipenio Iacobo Rebenlino, qui tamen typis illud saltim exscripsit. Sic etiam Rudolphus Capellus prælectionibus suis Bibliothecariis præmisit scriptum Germanicum.

hoc titulo: *treugemeinte Erinnerung eine öffentliche Bibliothec anzurichten, zu erhalten und zu verbessern*, quod ad hanc Bibliothecam facit. Breuem huius Bibliothecæ Historiam videmus in IO. MOLLERI *Isagoge ad Historiam Chersonesi Cimbricæ parte quarta cap. X. p. 620.*

§. XXI.

Francofurtensium ad *Mænum* Respublica Bibliothecam habet, Gymnasio connexam. Antiquitus cœpit, sed ex Bibliotheca Maximiliani zum Iungen, quæ a Senatu coëmta, potissimum creuit. Libri impressi plures sunt, iidemque rariores, non secundum formam sed materias dispositi. Inter Msta reperiuntur varia, quæ ad Historiam Germanicam potissimum inseruire poterunt. Sunt ista diuersa *Chronica Noribergensia*, *Argentoratensia*, *Hassiaca*, *Wormatiensia*, *Thuringiaca*, *Würtzburgensia & alia*, *Bernhardi Hertzogii varia, de nobilitate immediata, Comitibus Lichtenbergicis familiis emortuis. Iacobi Königshofii Chronicon*, *Supplementum eorum, quæ in Iac. Aug. Thuani Historiarum libris desiderantur, ex Hugonis Grotii exscripta exemplari*, *Bernhardus de contemtu mundi*, *Lactantius*, *Alani distinctiones*, *Gesta Treuirorum usque ad 1529*, *Chronicon Regum*

ac Ducum

ac Ducum Austrasiæ vsque ad Philippum II, Italica varia, relationes legatorum Venetorum, Relationes Italicæ de conclaui electionis Romanorum Pontificum, Relationes variæ Cuiacii & Duareni, Ruffardi, Buygerii & aliorum Msta 2 Volum. Hæc omnia in folio. In quarto in eadem reperiuntur *Liber Lectionarius ecclesiæ latinæ* membranaceus, *cum Calendario præfixo* & multis ad calcem appendicibus. *Thomæ Campanellæ La Monarchia, Aforismi ouero Precetti politici. Discorsi delle ragioni, che ha il Re Cattolico sopra il nuouo emissero, & altri Regni d' infideli, secondo la scrittura contro li Theologi, Volumen epistolarum Mutiani Rufi, Variorum eruditorum epistolæ ad Hartmannum Beyerum* eiusque filium. Reliquias Mstorum Lutheri, & quæ sunt plura alia, quorum catalogum debemus Tenzelio, Colloquiis menstruis anni 1698 *p. 493.*

§ XXII.

Ratisbonensium vrbs plures nouit Bibliothecas, quarum altera in Curia reposita publica est, altera Gymnasii. Præterea S. I. Collegium Bibliothecam possidet haut male instructam. Sic etiam plures ibidem reperiuntur Bibliothecæ in monasteriis aliis, inter

quas

quas illa monaſterii Prüfeningenſis alias quoque nota eſt. *Vlmenſis* quoque Reſpublica librario theſauro non dſtituitur, licet Mſtis non æque polleat.

§. XXIII.

Lubecenſium magiſtratui auctor fuit Georgius Stampelius, Eccleſiaſtes, vt in ornamentum Ciuitatis, & Scholæ commodum, Bibliothecam inſtrueret, atque vſui publico deſtinaret. Inde libros in curia atquo templo adſeruatos in vnum locum collegerunt. De eadem diſſertationem peculiarem promiſit olim DAVID a BRVGGE, patriæ ſcholæ ſubrector & præfectus illius, quæ tamen edita non eſt, nec poſt mortem auctoris amplius expectanda. Sic etiam in *Wismarienſi* vrbe nouam erectam fuiſſe Bibliothecam, vſibus ſupremi Tribunalis deſtinatam conſtat.

§. XXIV.

Luneburgenſium Ciuitas ſuum quoque habet adparatum librarium in monaſterio S. Mariæ repoſitum. De hoc Sagittarius in memorabilibus HiſtoriæLüneburgenſis p. 44. *Bibliotheca iſta non vulgaris eſt, certe egregiis Mſtis abundat. quorum catalogus, vt cum erudito orbe communicaretur, dignus eſt. Multum olim in hac bibliotheca ordinanda deſudauit B. Parens meus.*

§. XXV.

§. XXV.

Lipsiensis Bibliotheca senatoria paucos ante annos demum adornata, sed magnis curis fuit degesta. Cœpit ista ex legato, & multis impensis promouetur quotidie. Eminet ista non solum librorum rarissimorum selectu, sed etiam Manuscriptis iisdemque egregiis. Inter hæc visuntur *Varia Augustini, Hieronymi, Gregorii M, Bedæ & Eugippii opera* in membranis, *Epistolæ, Damasii, Siricii, Anastasii, Innocentii, Cælestini, Sixti & Leonis I. Capitula & Canones conciliorum vsque Gregorium I, Athanasii* ἑρμηνεία εἰς τὸ ψαλτήριον Eliæ Ehingeri manu ex codice Bibliothecæ Augustanæ descripta, *Cassiodori expositio in psalmos, Cassiodori libri Variorum, Crusius, Martyrologium & lectiones ex Actis Martyrum, Vita S. Henrici & S. Cunigundæ, Passio S. Catharinæ & S. Barnabæ*, omnes Codices membranacei. Præterea ex chartaceis *Vita Caroli M ab Hilarione monacho edita, Vita Friderici Barbarossæ, a Ioanne Eckio* composita, *varia diplomata Paparum, Impp. & episcoporum, Io. Auentini Vrsprung der Stadt Rom. Historia Scholastica rythmis Germanicis, Æneæ Syluii epistola, Petri de*

Vineis

Vineis epistolæ, Liber Germanicus rythmicus, der Renner dictus, Autographum salui conductus a Carolo V. Luthero dati ad Comitia Wormatiensia, Calendarium Runicum, Origo ac Genealogia Principum Cliuensium, Io. Wilhelmi de Arnstein Compendium Chronicorum, Liuius, Ouidius, Horatius, Virgilius, Statius, Lucanus, Hesiodus, Sophocles, Isidorus, auctores antiqui de finibus regundis, Christiani Wagneri Collectanea de nummis Regibusque Parthicis, Strabi Galli poëtæ Hortulus, plures Codices ad ius Saxonicum spectantes ex Bibliotheca Zobelii, atque alia, quæ describit Tentzelius colloquiis menstruis anni 1698 p. 933. Aucta postmodum fuit Mstis Orientalibus Wagenseilii, numismatibus, aliisque antiquitatis monumentis, vt præstantiam hodie habeat eximiam.

XXVI.

Apud *Annabergenses* Bibliotheca in ipso templo recondita. GEORGIVS HENRICVS GÖTZIVS *epistola ad Petrum Ambrosium Lehmannum*, de eadem Bibliotheca agit, inserta est Hamburgensium Nouis Litterariis anni 1703 p. 448. Eadem Georgii, Saxoniæ Ducis, ætate hanc Bibliothecam potissimum fuisse collectam, a Matthæo Klingeissen vero, Medicæ artis Doctore ornatam, postea variis

variis donariis adauctam fuisse dicit. Msta non nisi epistolæ quædam ineditæ Martini Lutheri, Ioannis Hussi & aliorum visuntur, quarum potiores vna cum dicta Gœtzii epistola impressas videmus. Præstat tamen Annæbergensi Bibliothecæ *Cygnea*, quæ Christiani Daumii complectitur thesauros & multis abundat Mstis.

§. XXVII.

Budissensis Gymnasii Bibliotheca Gregorium Mættigium Medicinæ Doctorem auctorem habet, qui Bibliothecam suam, præsertim Medicam, & præterea triginta Ioachimicos annuos ad eam supplendam legauit. In hunc finem emta est anno 1673 Bibliotheca Ioannis Rosæ, Syndici Vratislauiensis. Sic etiam habetur ibidem Bibliotheca Gersdorfiana, quæ selectissimis libris & variis instrumentis Mathematicis est refertissima. Sic etiam *Zittauiense* Gymnasium suam habet Bibliothecam.

§. XXVIII.

Nec reticenda est bibliotheca Senatoria *Halensis*, quæ iam prioribus temporibus nota. Quippe testatur Zeilerus de X. circulis Imperii p. 887. quod Fridlandus Dux, siue Wallensteinius, illius potiorem partem iam asportauerit, illamque mago suo, Binnouio, donauerit. Hodie non inter præcipuas quidem numeranda, libros tamen quos-

dam

dam exterorum ſelectiores, ex legato Oelhafeni Scabini poſſidet, indeque laudem ſuam habet, atque deſtinata ſumma annua adhuc adaugetur.

§. XXIX.

Ad bibliothecas Germaniæ referimus etiam Sileſiacas. Vratislauienſes binis præcipue ſuperbiunt. *Maria Magdalenea* eſt altera, quæ ex tenui origine per varia legata creuit, atque libris maxime iuridicis referta eſt. Fridericus Lichtſtern diſcurſu X de Sileſia pag. 329. eandem ad ordinem Bibliothecæ Vaticanæ diſpoſitam atque acceſſionibus bibliothecæ Comitis Zerotinenſis & Wirbenſis auctam dicit. Alia augmenta ex libris Schillingianis, Cretſchmerianis, Dœringianis & Colerianis cepit. Sub eius introitum videntur ſeptem Sapientes forma humana, qui ad ornatum faciunt. Anno 1644 demum vſibus publicis fuit deſtinata. Hanc oratione auſpicali deſcribit CHRISTOPHORVS COLERVS, *Vratislauia 1646. 12* edita. Altera eſt, quæ a loco dicitur *Eliſabethana*, alias quoque *Rhedigeriana* a Thoma Rhedigero de Schliſa fundatore, quam ex ultima voluntate familia publico conceſſit hac conditione, vt ſemper Rhedigeriana audiret. Reperitur in eadem, quidquid immenſis ſumtibes Rhedigerus in longinquis ſuis per Galliam, Belgium, Angliam, Germaniam, Heluetiam & Italiam iti-

neri

neribus nec minore labore collegerat, & quidem librorum, Mstorum, Nummorum & Picturararum copia. In immensum fuit locupletata anno 1689. per accessionem Bibliothecæ Sebisianæ: hic enim duplicata fere librorum, aliarumque rerum curiosarum copia, quorum numerus ad quatuor millia adscendit. Hanc illustrauit IANVS GEBHARDVS bibliothecarius, *Vratislauiæ 1661. 4.* & nouiter GOTTLOB KRANTZ, qui edidit *Memorabilia bibliothecæ Elisabethanæ, Vratislauiæ 1699. 4.*

§. XXX.

Binæ hæ Bibliothecæ, quas descripsimus, reliquis præstant. Ast, reperiuntur præter easdem adhuc aliæ, quas describit Nicolaus Henelius Silesiographia renouata cap. VI p. 706 atque Noua Litteraria Hamburgensia anni 1703 p. 166. *Bernhardiana* Bibliotheca diu situ & tenebris obruta iacuit, sed primum luculenta accessione Bibliothecæ Rhenisianæ & non ita pridem anno 1697 longe maiori Rampuschianæ locupletata innotuit. Bibliotheca *ecclesiæ Cathedralis in insula D. Ioannis prope templum S. Ægidii* adseruatur. Antiqua illa est ab Vrbano I, episcopo cœpta, a Lucilio episcopo ordinata, sed a Suecis anno 1632 dissipata, restituta tamen postmodum episcoporum recentiorum munificentia fuit, atque vsibus publicis quoque destinata. Alia est *ad S. Adalbertum Domini-*

minuianorum, in qua perplures adſeruantur Codices Mſti, quæ tamen amplius non adaugetur. Sic etiam reperitur talis apud *eccleſiam Corporis Chriſti, equitum Melitenſium. Hoſpitale S. Matthiæ Ordinis Crucigerorum* Bibliothecam habet non contemnendam, quæ ab aliquot iam ſeculis Magiſtrorum & fratrum ſtudio fuit collecta, qui iam ante artis typographicæ inuentionem, exquiſitiſſimorum librorum copiam manu ſua exararunt. Incrementa cepit ex Bibliotheca Iacobi Monauii, Ioannis Scheffleri, Martini Mohrholzii, Ioannis Woykovvsky & Ioannis Georgii Frölichii. Immo per ipſos magiſtros, & qui nunc Ordini præeſt, Michaelem Ioſephum Fibigerum, plurimum fuit locupletata. Reliquæ *Ieſuitarum in Burgo Cæſareo, Franciſcanorum ad S. Dorotheam, ad S. Antonium & ad S. Hedwigen* ab aliquot demum annis cœperunt, nec adeo ſunt inſtructæ.

§. XXXI.

Inter academiarum bibliothecas noſtram præmittimus, quæ librorum impreſſorum & numero & ſelectu, academicas reliquas antecellit. Cœperat iſta Witteberge, introducta ibidem anno 1502 academia, Friderico Sapiente electore, qui etiam ad comparandos libros rariores, conſilio Conradi Mutiani fuit vſus, quam Ioannes frater & ſucceſſor inſigniter auxit, huius vero filius Ioannes Fri-

dericus,

dericus, maiora adhuc incrementa dedit. Georgius Spalatinus erat, cuius cura vtebatur Elector, ad conquirendos vndique libros, qui etiam teste Hortledero tom. I de causis belli Germanici libro IV c. XXXIII Venetias mittebatur ad coëmendos libros, varii ordinis, nulla habita sumtuum ratione. Quantum ille Bibliothecæ locupletandæ curam habuerit, testatur Christianus Schlegelius in Historia vitæ Spalatini §. XXXI. pag. 181. Ex quibus locupletabatur indies bibliotheca. Sed, cum infelix Elector, ipostquam ad Mühlbergam captus esset, Wittebergam Imperatori dedere cogeretur, ipsius filii ab imperatore impetrarunt, vt bibliothecam Wittebergæ collectam, tanquam patrimonium alio transferrent. Et cum Musarum sedes Ienam iamdum esset destinata, eo anno 1548 translata fuit, in doliis ibidem, adseruata, vsque dum ipsa academia anno 1558 inauguraretur, tum enim primum hæc Bibliotheca aperta. Sagittarius in vita Ioannis Friderici, electoris §. XXIII. p. 60. Hæc basis bibliothecæ publicæ Salanæ, quæ dein ex munificentia Principum, Academiæ Nutritorum Serenissimorum, accessione instructissimæ Bosianæ, legato Arumææ atque Sagittarianæ ita creuit, vt academicis reliquis palmam præriperet. Inter cimelia alia sunt numismata Bosiana, quæ seriem familiarum Imperatorumque Romanorum

norum complectuntur. Inter Codices manu exaratos aliquot habemus. qui satis sunt insignes. Horum aliquem catalogum iam olim exhibuit Tentzelius *in Monatlichen Vnterredungen* ad annum 1692. *p. 870.* nec tamen ex selectis etiam perfectum. Vt taceamus *codices* quosdam obuios *Bibliorum latinorum* & quorundam patrum, inter quos præcipue *Bernhardi epistolæ*, *Augustinus in psalmos*, *Militho in apocalypsin*, *Richardus super XII Patriarchas & psalmos*, *Glossa super epistolas Pauli*, *Petri Lombbardi textus sententiarum*, *Vitæ quorundam sanctorum*, *Hugolinus super librum sententiarum*; *Petri Rigensis aurora V. & N. T. Augustinus de Ancona de agnitione animæ*, *Rabani Mauri glossa in epistolas & euangelia*, *Missæ Mysteria*, *Augustinus de verbis Domini*, *Augustinus de Trinitate*; *Alberti M. summa*, *Stephanus Riccius in prouerbia Salomonis*, *Ioannis de Chartusio expositio quadruplex super Deuteronomium*, *Leuiticum*, *Tobiam & Esther*, *Ægidii de Roma Quodlibetum*; *Ei. orationes de primo principio*, *prædestinatione & præstantia paradisi.* *Petrus de Palade super tres libros sententiarum*, *Holceoth super librum Sapientiæ*, *Lyra de incarnatione DEI*, *Thomas de vita Christi*, *Bernhardus super sermone Domini de Cœna. Ei. super missas est*; *Stephanus Parisiensis super regulam S. Benedicti de Dobelin*, *Ægidius in IV. libros sententiarum*, *Alani sermones*, *Io. Capistrani sermones*, *Hugo de claustralibus*, *Decreta summorum*

morum Pontificum de fide, Innocentii sermones, Innocentius de miseria vitæ humanæ. Augustinus de opere Monachorum, Nicolaus de Cusa de docta ignorantia, cum Glossa, Testamentum XII. Patriarcharum, Libellus Chrysagogias Augustini, Laurentii episcopi decretum contra Hussitas & Georgium de Podiebrand. de mystica vestimentorum sacerdotalium significatione, Beda super epistolas Canonicas, Iuonis Carnotensis epistolæ, Bulli innocentii, Bertoldi de Ratisbona sermones de sanctis. Inter Iuridicos habentur *Io. Andreæ Lectura in Clementinas, Distinctiones Gratiani, Decretum Gratiani cum Glossa. Quinque Decretalium libri, Digestum nouum. Institutiones, Speculum Saxonicum* & alia, codices membranacei continentur. Inter Medicos, *Auicenna* latine in membrana elegantissime scriptus, *Rupecissæ, Arnoldi de Villanoua* & aliorum Chymica. Inter præcipua Manuscriptorum cimelia numerandus est antiquissimus *Codex euangelicorum*, litteris Longobardicis insignis, cum canonibus Eusebianis. Præterea *Pars secunda Bibliorum Ebræorum* nitidissime scripta, cum duplici Masora, *Martyrologium Bedæ latinum*, idemque Germanicum cum figuris, quibus species martyriorum expressæ, *Bini codices euangeliorum atque epistolarum* variegatis coloribus, & in ligatura cælaturis argenteis insignes, qui Friderico Sapienti olim missi dicuntur a Leone X. Adparet in exteriori

M 3 parte

parte figura Christi ad descriptionem Lentuli. *Chronicon Ottonis Frisingensis* & *Conradi Vrspergensis*, id quidem bis, prout de iisdem egi Obseruationum Halensium Tomo I obs. XIX *Martini Poloni Chronicon, Iuonis epistolæ. Dictamina Magistri de Vineis*, *Euclides de vita & morte Elisabethæ*, *Baptistæ Guarini libellus* ad nobilem adolescentem Maffeum Gambaram de ordine docendi ac studendi, qui liber pars olim fuit bibliothecæ Coruinianæ Budensis, quod insignia Regis elegantissime picta testantur. *Poëta anonymus de vita Friderici Vrbinatis*, adhuc ineditus. *Diplomata ad Monasterium Doberlucense* spectantia, & elegantissimus *Codex der Meistersänger*, forma augusta scriptus. *Codex de rerum proprietatibus* figuris egregiis exornatus, in quo comprehenduntur mysteria alchymiæ, & quampluresCodices Gallici Membranacei, *Valerii Maximi, Curtii, Xenophontis* & alias translationes continentes, quos Spalatinus etiam partim ex Bibliotheca Philippi Cliuiæ Ducis, partim Caroli Croyiaci adeptus fuisse videtur, quod horum & nomina inscripta testantur & insignia. Singuli hi codices sunt membranacei plerumque nitidi. Inter Chartaceos alios habemus. Aliud *Manuscriptum der Meistersänger, Epiphanium aduersus hæreses, Nicephori Chronographiam, Sophoclis Aiacem & Electram cum scholiis Græcis adhuc ineditis. Thomæ Cam-*

panellæ

panellæ Atheismum triumfatum, quod pro auctoris autographo plerumque habent, de quo fasciculo secundo actorum Litterariorum fuit dictum. *Bohuslai antithesin Christi & antichristi*, qua pontificiorum corruptelas & vitia per figuras argute ludit, paullo post tempora Hussi confictam, de qua egi Tomo IV. obseruationum Halens. obs. X. Inde *Geographus Nubiensis* manu celeberrimi medici Augustani, Georgii Hieronymi Velschii descriptus, *Alcorani*, *Chronica Turcica*, *Chronicon Bernense a Conrado Aistingero* anno 1420 conscriptum. *Chronicon ordinis Teutonici anni 1496. Chronica varia Thuringica, Kentmanni Isenacense, Erfurtensia, Noribergensia, Hennebergicum, Saltzburgicum* & alia, de quibus aliquando speciatim differemus. Adseruat præterea Bibliothaca nostra *Biblia Germanica V. T. de anno 1539.* quæ in omnibus paginis Lutheri emendationes propria eius manu scriptas continent, atque N. T. de anno 1540, aliaque Lutheri, Melanchthonis, Spalatini & coæuorum Msta. Præterea *Biblia Germanica* in membrana impressa de anno 1541, Lucæ Cranachii arte egregie picta, quibus olim Ioannes Fridericus Elector fuit vsus, aliaque *Lutheri*, *Melanchthonis*, *Spalatini &* coæuorum *Msta*, *Codex Chymicus* cum multis rerum naturalium figuris, atque reliqua minoris commatis. In secunda Schmidtii col-

lectione reperitur CASPARIS SAGITTARII *oratio* de hac Bibliotheca, in tertia vero meum ſchediaſma, in quo *hiſtoria & memorabilia Bibliothecæ* breuiter deſcribuntur, quod rogante ipſo venerabili Schmidtio, compoſui. Situm eiusdem & præfectos breuiter deſcripſit Adrianus Beyerus in architecto Ienenſi cap. LV.

§. XXXII.

Lipſienſis *Paulina*, Dominicanorum olim, originem habet dubiam. Tempore vero reformationis, ex cœnobiis Misnicis, Pegauienſi inprimis, Pirnenſi atque Cellenſi cepit incrementa. Inde per Hülſemannianæ acceſſionem maxime fuit adaucta. Hæc Manuſcriptorum copia ſuperbit. Horum vero *Codicum catalogum* exhibuit IOACHIMVS FELLERVS, addita oratione panegyrica in memoriam Caſparis Börneri, primi academiæ Bibliothecarii, *Lipſiæ 1676. 4.* auctius & emendatius *Lipſiæ 1686. 12.* Potiores ac ſelectiores deſcribit Iacobus Tollius epiſtola Itin. III. p. 64. his verbis: *In his Homerus erat, cum exegeſi & ſcholiis Ioannis Tzetzæ Græcis ineditis, ſed præter notarum ſeu litterarum compendia lectu perdifficilis. Hermogenes, Aphthonius, Syneſii epiſtolæ: Item Ioſephus de bello Iudaico, græce; Porphyrius de abſtinentia animalium, græce, Geneſii hiſtoria Byzantina, inedita, græce a Leone Armeno usque ad exceſſum Baſilii Macedonis: Theodori Studitæ Teſtamentum, græce.*

Eius-

Eiusdem catecheses ad discipulos; Naucratii de Studitæ morte epistola ad fideles, græce Macarii cuiusdam narratiuncula, græce, de excessu animarum & hos quidem tres postremos descripsi partim, partim describendos dictaui, ea mente, vt ederem. Inter alia ibidem vidi *Iuonis Codicem Membranaceum*, cui Andreas Riuinus inscripsit:

Vltima non laus est, Pandectas si quis Hetruscas
Viderit: haut minor est, si quis Iuonis Opus

Valerium Maximum membranaceum, *Manilium* membranaceum, *Monotessaron*, siue Harmoniam quatuor euangeliorum, iussu Ludouici Pii conscriptum, Varios *scriptores rerum Germanicarum*, *rythmos veteres*, Acta *Concilii Constantiensis* & plura alia. Elegantissimus est *Codex epistolarum*, a Puffendorffio bibliothecæ donatus, qui aliquot centum epistolas autographas ab Heinsio, Barthio, Lipsio, Scaligero, Schotto, Casaubono, Frehero aliisque eruditissimis viris ad Meursium scriptas continet, dignæ vt edantur, cum multam lucem rei litterariæ possint præbere. *Wittebergensis* academia recentior est, transportata in hunc locum, quæ ante ibi lecta erat bibliotheca, Opera tamen quædam præstantiora continet.

Catalogum huius *Bibliothecæ* edidit ANDREAS SENNERTVS, *Wittebergæ 1679. 4.*

§. XXXIII.

Heidelbergensis academiæ bibliotheca statim cum ipsa academia fuit erecta, ac bibliothecis primi Cancellarii Conradi de Gelnhausen, primi Rectoris Marsilii ab Ingen, Matthæi item Wormatiensis episcopi, aliisque id genus legatis mire fuit locupletata. Hæc vero postmodum Electorali iuncta, idem cum eadem fatum experta. *Habet tamen*, inquit Hottingerus Bibliothecario p. 23. *academia Bibliothecam iam non contemnendam ex Parcena. Freheriana, veteri item instauratam: nouasque non ita pridem Serenissimi Electoris liberalitate ditatam, quin & ipse Princeps, Elector. vt litterarum Mæcenas est liberalissimus, ita eam augendæ rei litterariæ impendit curam, vt, quod numero Bibliothecæ iam eius deesse videatur, selectus facile compenset. Habet Bibliotheca Academica Msta adhuc quædam latina, quorum nonnulla citauimus in Collegio nostro Sapientiæ.* Haud ita pridem insigne cepit incrementum per accessionem Græuianæ, quam academia munificentiæ sui debet electoris.

§. XXXIV.

Iuliæ academiæ bibliotheca Ducum Brunsuicensium munificentia cœpit, aliorum vero donis auctior facta. Ista librorum numero

mero non tam clara, quam Mstis quibusdam ad historiam Francicam, Germanicam facientibus, quorum a Madero quædam atque Conringio fuerunt edita. Rarissimos codices, qui in ea adseruantur, recenset Meibomius addit. ad Vogleri introductionem *p.161.* Vetustissimum *historicum Paderbornensem, qui Annales Caroli M. versibus scripsit*, quem primus edidit Reineccius, eumque toto alias orbe non extare dicit. *Leonis III epistolas ad Carolum M.* ipsi Romæ incognitas, quas ex membranis antiquissimis primus edidit Conringius. *Reginonem de disciplina ecclesiastica*, *Geruasii Tilberiensis fragmentum & Alberti Stadensis Manuscriptum* cum auctario. Eiusdem *historiam* habet CHRISTOPHORVS HEIDMANNVS, Prof. eloquentiæ *Helmstadti 1703. 4.* Noua superiori anno ibidem erecta est bibliotheca a Serenissimo conditore *Rudolphea* dicta, cuius memorabilia in solenni panegyri designauit HERMANNVS von der HARDT, Professor Linguarum, cuius memorabilia vna cum Heidmanni oratione in altera collectione Schmidtiana reperiuntur. Hæc autem præter picturas elegantissimas Lutheri, Melanchthonis aliorumque a Luca de Cronach potissimum effictas, continet apparatum manuscriptorum litterarium rarissimum. Præter quatuordecim volumina epistolarum, quas Augustus Princeps propria manu ad Ioannem Valentinum Andreæ Theologum Witebergensem

scripsit,

ſcripſit, Lutheri, Melanchtonis & Bugenhagii epiſtolas manu ſcriptas, Philothecas multas Principium, Magnatum & virorum celebriorum, volumina Mſta Politicorum & Iẽtorum, Chronicorum atque relationum hiſtoricarum, quinquaginta ferme volumina autographorum Iacobi Böhmii, Valentini Weigelii & ſodalium, & multas effigies rariſſimas, libros impreſſos, qui iuſto ordine collocati, deſcribit Hardtius, elegantiam & raritatem, ac præcipue theſaurum egregium autographorum ſeculi decimi ſexti.

§. XXXV.

Francofurtana ad *Viadrum* bibliotheca, a librorum potius multitudine, quam ſelectu, eſt commendanda. Huius catalogum cum Wolffgangi Iuſti Chronico vrbis edidit IOANNES CHRISTOPHORVS BECMANNVS, *Francofurti ad Viadrum 1676. 4. Altorfenſis* academiæ bibliotheca primordia ſua cepit anno 1598 ex legato Georgii Sigelii, Profeſſoris olin: incrementa vero ex Vogelii, Schmidmayeri aliorumque legatis, atque adaugetur quotidie. Inter Manuſcripta, Syriaca quædam poſſidet atque Ebraica. Eius notitiam dedit MAGNVS DANIEL OMEIS in gloria academiæ Altdorffinæ p. 150. Non ita inſtructæ ſunt, *Erfurtenſis*, *Tubingenſis*, *Argentoratenſis*, *Gieſſenſis*, *Halenſis* aliarumque academiarum bibliothecæ, cum haud reperiatur

aca-

academia, vel Gymnasium, quæ thesaurum librarium non possideat. *Argentinensis* quidem collecta primum ab Vthone episcopo, ex illustri Franconiæ Comitum familia. Geilerus quoque, eius vrbis Theologus, bibliothecam suam poetis, historicis, aliisque, maxime vero Theologis refertissimam in eam legauit, vti testatur Melchior Adami in vita, creuit postmodum ex aliis monasteriorum. *Halensis* academicæ fundamenta recens iacta ex munificentia Regia, legato bibliothecæ Simonianæ & liberalitate aliorum.

§. XXXVI.

Erfurtensis academia binas habet Bibliothecas, ex quibus illa Collegii Amploniani Catholicorum plura quidem possidet Msta, sed obscuro loco sine ordine disiecta potius quam disposita, & puluerulento situ negligentius habita: impressorum librorum in eadem neque numerus, nec ordo est, nec selectus. Altera est Euangelicorum, quæ haut ita pridem instructa, potissimum libris recentioribus constans, licet etiam inter hæc aliqua reperiantur Msta antiqua. Inter hæc *Codex Orationum Ciceronis, Pauli Burgensis Scrutinuim Scripturarum, Lectura Benedicti Stendal de Hallis in Pentateuchum, Volumen Sermonum in Concilio Constantiensi, Henrici de Frimaria tractatus de exposi-*

poſitione miſſæ & myſteriorum in ea contentorum.

§. XXXVII.

Inter pontificiorum academias præcipuæ mihi videntur *Ingolſtadtienſis* bibliotheca, cuius catalogum edidit CHRISTOPHORVS FERS, *Ingolſtadti 1606. f* atque *Colonienſis*; quæ multa manuſcripta, eademque egregia poſſidet. De bibliothecis *Moguntinis* teſtatur Serarius Rerum Moguntinarum lib. I. c. XXXV, licet ex ipſo ſtatim pateat, eas non adeo eſſe inſtructas. De *Herbipolenſibus* teſtatur Ludouicus Iacobi Traitté des Bibliotheques *p. 203.* ex Sandero, quod Iulius, Herbipolenſium præſul, ſibi ſuisque tres inſignes bibliothecas adornauerit. Vt taceam Fuldenſem, aliasque Bibliothecas, quæ tamen tricennali potiſſimum bello perierunt. Taceo iam bibliothecas varias, quæ hinc inde in monaſteriis cuſtodiuntur, in quibus multa continentur Manuſcripta rariora. Sed pro blattis & tineis potius adſeruantur, quam eruditis. Tam inuidi enim ſunt Monachi, vt corrumpi codices malint, quam ad vſum eos exhibere.

§. XXXVIII.

Habent etiam collegia quædam ſuas bibliothecas, vti Cathedralis Canonicorum ſedes, quæ *Magdeburgi* eſt, ſuam habet

Mau-

Mauritianam, & impressis libris, præcipue vero codicibus Mstis refertam, atque præter Patrum quorundam codices, aliqua possidet, quæ rara. Adseruatur enim ibidem *Philobiblon de conseruatione librorum, cum Vincentii Bellouacensis libro gratiæ. Masei Regii, Laudensis, Datarii apostolici educatione librorum & eorum claris moribus libri sex. Conradi de Halberstadt tripartitum morale iuxta alphabeti seriem. Iacobi Carthusiensis tractatus de sanctificatione sabbati præcipue circa opera molendini, Historia Troiana Guidonis de Columna, Chronicon archiepiscoporum Magdeburgensium, Opusculum aduersus doctrinam cuiusdam medici in Montepessulano, sculpentis in numismate figuram leonis cum certis caracteribus pro curatione renum, Pauli Constantii liber de caussa Bohemica, s. historia Hussitica, Tractatus de ite, missa est. Tractatus de modo studendi, vna cum inuectiua Æneæ Syluii, in Scholarem vagum & epistola Thomæ de salubri modo studendi, Lucianus, i. e. glossarium vocum difficiliorum, Principia & fines librorum doctorum originalium, Liber de itineribus & mansionibus, Diuersa vocabularia Theologica, Hebraica, Græca, Botanica,*

nica, Chymica, de re veſtiaria, auctore Antonio Haſen, fabulæ Deorum, Dearumque gentilium in ſenſum ſpiritualem pertractæ, Simonis Ianuenſis ſynonyma ſ. lexicon medicum.

§. XXXIX.

In eccleſia Erfurtenſium *Auguſtinianâ*; quæ Lutheranorum eſt, videntur aliquot Codices Manuſcripti Ebraici, qui, Iudæis Erfurto pulſis, in illum locum delati. Præcipuus eſt Codex Bibliorum membranaceus forma auguſta, cum Maſora in variis animalium figuris occultata, de quo videatur Tentzelius Colloquiis menſtruis ad ann. 1692. In templo *Gerano* bibliotheca adſeruatur, quæ non quidem librorum multitudine pollet; aliqua tamen Manuſcripta continet, quæ non contemnenda: vtpote *Mſtum Nicolai Schmidtii*: vulgo Cüntzels von Rodenacker varia alphabeta linguarum continens; de quo in actis litterariis egi. *Henrici Khunrathi Mſtum Chymicum* variegatis coloribus egregie pictum; *Nouum Teſtamentum* in codice membranaceo antiquiſſimo, atque ſimilia. In templo *Vinarienſi* adſeruatur bibliotheca, quam Antonius Probus, Superintendens ibidem legauit & ex patribus potiſſimum conſiſtit. In noſtro templo ad D. Michaelis bibliothecam fuiſſe quorundam Codicum membranaceorum;

rum, ſed, neſcio quo fato, venditos iſtos bibliopegæ, teſtatur Adrianus Beyerus in architecto Ienenſi p. m. 511.

§. XL.

Arcana bibliotheca Thomanæ Lipſienſis ſacra nuper deſcripſit HENRICVS PIPPINGIVS, *Lipſiæ 1703. 8*, in quibus originem & hiſtoriam iſtius bibliothecæ, quæ Manuſcripta quædam Theologica recentiora Michaelis Stiefelii & Nicolai Selnecceri continet, deſcribit. Monaſterium *Heilbrunnenſe* ex multitudine Codicum Manuſcriptorum ſatis eſt notum, qui curiæ viri eruditiſſimi, Ioannis Friderici Krebſii fuere commiſſi. Singularem de iisdem cognitionem non habeo, pro certo tamen relatum, aliquot centum volumina Mſtorum varii ordinis ibidem adſeruari.

§. XLI.

Illuſtre *Schleuſingenſium* gymnaſium habet quoque ſuam bibliothecam, pro gymnaſii curis ſane haut male inſtructam. Initium illa habet a Comitibus Hennebergicis, qui una cum gymnaſio etiam de bibliotheca ſolliciti fuerunt. Acceſſiones inſignes cepit ex Ioachimi & Samuelis Seberi, atque Wolffgangi Zehneri bibliothecis. Inter Manuſcripta Græca numerat *Ioſephi aliquot libros antiquitatum & contra Apionem*, *Nicetam in aliquot Nazianzeni orationes*, *Gregorii Nyſſeni homilias in*

N *Can-*

Canticum Canticorum, *Eiusdem homilias in orationem dominicam & octo beatitudines*, *Scholia Græca in Hesiodum*, *Iulii Pollucis historiam Physicam*, *ad Codicem Bibliothecæ Augustanæ emendatam*, *Iulii Pollucis onomasticum cum notis Iungermanni*, quo in editione sua vsus fuerat Kühnius. Omnes codices Manuscriptos, sed chartaceos. Præterea possident *Legenda de sanctis*, *historiam von S. Hedwig Herzogin zu Sachsen*, *Marggraff Wilhelms von Orleans historiam* atque alia, quam sibi singulari epistola describere sumsit CHRISTIANVS IVNCKERVS, quæ inserta est Nouis Litterariis Hamburgensium anni 1703 *p. 304.* Nec dubitandum, superesse adhuc in monasteriis variis varios thesauros rei litterariæ impressorum & manuscriptorum codicum, qui tamen communiter ab harum ignaris, tineis cedunt & vetustati, magno cum damno eruditorum.

CAPVT QVINTVM.

DE VSV BIBLIOTHECARVM ET DELECTV SCRIPTORVM.

§. I Bibliothecæ qua ratione adeundæ. §. II. Quid in libris inspiciendis obseruandum. §. III. Quomodo de scriptis iudicandum. Primum criterium

rium si de auctoris doctrinæ præstantia in eo studiorum genere constet. §. IV. Alterum criterium, si auctor instructa bibliotheca vtendi occasionem habuit, vbi de adlegatis nimiis agitur. § V Tertium iudicium ex tempore, quod auctor tractatui insumsit. §. VI. Quartum iudicium ex auctoris ætate. §. VII. Quintum iudicium ex scriptoris patria, vbi de Hispanis. §. VIII Gallorum ingenia in quo consistant. §. IX. De Anglis. §. X. De Italis. §. XI. De Belgis. §. XII. De Suecis, Danis & Polonis. §. XIII. De Germanis. §. XIV. Sextum criterium præbent typographi, bibliopolæ, & editiones. §. XV. Septimum criterium ex scriptoris statu. §. XVI. Octauum criterium sumitur ex adplausu eruditorum. §. XVII. Nonum criterium sumitur ex editionibus variis & translationibus in linguas peregrinas. §. XIIX. Decimum criterium præbet auctoris ætas. §. XIX. Vndecimum criterium præbet ordinata & methodica libri tractatio. §. XX. Duodecimum criterium sumitur ex libri raritate. §. XXI. Ssriptores, qui hac de re plenius egerunt. §. XXII. Quid in bibliothecis frequentandis porro obseruandum. §. XXIII. Quænam excerpta ad manus esse debeant. §. XXIV. Bibliothecis qua ratione vtendum in peregrinando.

§. I.

POſt recenſionem bibliothecarum, proximum erit, vt aliqua proponamus de modo, quo cum fructu iis vtamur. Duplex autem eſt vſus bibliothecarum, aliter vtimur bibliothecis, vbi liber nobis conceditur acceſſus, & occaſio datur, bibliotheca per tempus aliquod continuum vtendi: aliter vtimur in peregrinando. Quando facilior aditus conceditur ad bibliothecas, occaſionem minime prætermittamus, vel ſingulis horis, quibus iſta patet, eam frequentandi, ita tamen, vt obſeruemus, quæ neceſſaria. Præcipuo loco eſſe debet, vt conciliemus nobis bibliothecæ præfectum, quod, vbi mores eiusdem uouerimus, facile erit. Facile autem ipſius adquirimus amicitiam, ſi pii, ſi modeſti, ſtudiorum amantes & induſtrii. Curemus igitur, vt genio eius ſatisfaciamus officiis quibuscunque, ad eiusdemque mores nos accommodemus, quo eidem fiamus familiares. Vitemus autem, ne vel vagabundi hinc inde diſcurramus, vel tempus fabulando perdamus, vel librorum ordinem immutemus, vel ſimile quid agamus, quod animum bibliothecæ præfecti a nobis alienemus, & ne grauemur eundem nimis, vel alias ſimus ingrati.

§. II.

Parato hoc modo aditu, ordinem bibliothecæ eiusdemque diſpoſitionem nobis imprimamus, quo eo facilius quosque libros ad vſus noſtros poſſimus reperire. Inde catalogi nobis expetamus copiam, eaque, quæ vſibus noſtris apta, leuiter excerpamus. Ipſos inde libros percurramus pro inſtituto noſtro, eosdemque, quos in repoſitoriis reperimus, ſingulos, quo ipſo librorum adipiſcimur copiam. In eo tamen ſeruemus delectum, vt notiores, vel minus raros, & qui parui ſunt momenti, non tanta perluſtremus induſtria, atque eos, qui vel a raritate, vel ſingulari præſtantia commendatur. Omnem autem rem litterariam, eam maxime, quæ ad noſtrum ſcopum facit, in certos titulos habeamus redactam, prout infra excerpta rei litterariæ adornare docebimus, & in bibliothecis hucusque editis tale quid exhibuimus, vt ſub ſuis titulis adnotemus ſuo ordine libros potiores. In ipſis libris inſpiciendis hunc ſervemus ordinem. Inſpiciamus primo titulum libri, eiusdemque ſub excerptis noſtris adnotemus non ſingula verba, ſed potiora, tantum, quæ ad ſcopum libri faciunt, addito auctore vel editore, editionis vice, loco & anno impreſſionis, quæ in editionibus antiquis quandoque in calce libri reperiuntur, ſæpe etiam, ſi celebrior fuerit, typographo.

Post titulum pergamus ad praefationem, in eademque vel scopum scripti vel circumstantias quaeramus, quae etiam simul breuiter adnotemus. Animaduertamus ad patriam scriptoris, atque ad personam, ad quam, vel cuius iussu auctor scripserit, inde enim adfectum auctoris iuste licebit expendere, id quod ex dedicatione quandoque patebit. Vitam auctoris, vbi adnexam videmus, eandem percurramus, notantes ex ea, cuiusnam nationis fuerit & dignitatis, fata vitae praecipua, & si quid inter ea singulare circa studiorum incrementa, conuersationem auctoris & commercium cum eruditis, scripta reliqua & casus singulares reperiamus, adnotemus sollerter. Nec praetereunda sunt elogia, si quae sub initium plerumque libri addita videmus, & vel ea, vel aliunde quaesita adnotanda. Neque tamen ea conquirenda, quae in sola scriptoris laude consistunt, sed in quibus neruus aliquis & iudicium de eo, eiusque scripto latet, maxime, si tale iudicium a viro quopiam celebri profectum. Quod si nec vita adiecta fuerit, nec praefatio, illam quaeramus in vitarum scriptoribus, vel si necdum facti certiores, adeamus de eo virum eruditum. Praefatione vero operis tractationem non exponente, dispositionem eiusdem breuiter percurramus, eandemque notemus, quasnam materias pertractauerit auctor, an

vulgaria

vulgaria tantum ſint, quæ ſcribit, & proletaria, an vero ſolide quæſita. Facile illud patebit, ſi materiam alias nobis cognitam euoluamus, eandemque examinemus, an bene ſit elaborata. Ex hoc enim de reliquis quoque licebit iudicare. Aduertamus etiam, an communi incedat via, an vero nouator ſit, & ſingularibus vtatur principiis. Videamus, quam methodum ſeruet, dichotomicam, ſecundum cauſſarum genera, vel aliam, quæ materiæ eſt propior. Si quæ autem in ipſa tractatione reperiamus ad ſcopum noſtrum facientia, perluſtremus, excerpamus, adnotemus, quæ digna & nobis neceſſaria. Singula hæc ſi fuerint probe examinata, ipſi libro in excerptis addendum, quæ eius breuis ſit ſciagraphia, vbi incipiat, vbi deſinat auctor, quæ materiæ præ aliis pertractatæ, in quo neruus conſiſtat, & quid in eo vel commendandum vel vituperandum.

§. III.

Sunt autem quædam criteria, ſecundum quæ de libris poterimus diiudicare: Iſta quidem non adeo certa, vt nunquam aberrent, ſed tamen nobis aditum parant ad iudicium accuratius.

Primum eſt, ſi ab auctore celebri liber fuerit profectus, cuius doctrinæ præſtantia in eo ſtudiorum genere ſatis eſt nota. Sic belli artes melius nos docebit Iulius Cæſar,

ac Petrus Ramus. Agriculturam melius Varro, Cato, Palladius, Columella, ac Ariſtoteles. Oratoriam melius Cicero, quam M. Terentius Varro. Nominis quidem celebritas ad libri præſtantiam non ſufficit, ſed requiritur etiam doctrinæ præſtantia. Multi multa ſcripſerunt, non tamen excellent in ſingulis. Multi excellent in iure ciuili, ſecus de iure publico. Exemplo nobis ſit Benedictus Carpzouius, quem patrem adpellant Iureconſulti Saxonici, in rebus, quæ ad iuris deciſionem faciunt. Leuioris momenti ſcriptum eſt Lege Regia. Salmaſius elegantem Criticum ſe præſtitit in exercitationibus Plinianis, in defenſione regia, Miltono multum ceſſit & peſſimum egit politicum: nec enim ad ſtatum Reipublicæ Romanæ Regnum Anglicanum eſt examinandum. Conringius melior erat in ſcriptis hiſtoricis & politicis, quam in Medicis & Theologicis.

§. IV.

Alterum criterium, ex quo facilius de libri præſtantia iudicari poterit, eſt, ſi auctor vel ipſe inſtructus ſit inſigni bibliotheca, vel tali eundem vti licuit. Commune tamen hoc eſt vitium multorum, qui eruditi eſſe volunt, vt in adlegatis ſint nimii. Hiſpanis hoc eſt frequentiſſimum, neque tamen ab eodem alieni ſunt Germani. Iureconſultis hoc fere proprium videtur, qui cum auctoritate prudentum

dentum & communibus opinionibus sæpissime regantur, decisiones, consilia, aliaque scripta sua tot adlegatis munire solent, quæ tamen plerumque vnus ex altero haurit, vt fere ne quarta pars incidat. Pruritus hic est sane non laudandus, cuius finis potior hic est, vt quis videatur, quasi instructus sit insigni bibliotheca, & multæ lectionis, cum tamen vix centenam quandoque librorum possideat, vix mille viderit. Quare non sufficit multos adlegasse scriptores; sed tales potius, qui ad selectum & neruum faciunt. Exemplo nobis sit Augustinus Barbosa, de quo ita loquitur Ianus Nicius Erythræus Pinacotheca altera p. m. 18. *Qvidquid est in vrbe bibliopolarum, arcta sibi familiaritate deuinxerat, non alio vinculo, nisi vitæ probitate atque innocentia, morumque suauitate; quibus facile se in hominum gratiam insinuabat. Itaque quotidie, modo in hac, modo in illa, bibliopolæ cuiuspiam taberna, a mane vsque ad vesperam sedens, totum se librorum, quibus sibi maxime esset opus, lectioni tradebat, quæque legebat, memoriæ custodienda mandabat: cuius tanta erat vis, vt domum rediens, non solum eorum, quæ legisset, fixas in animo sententias, verum etiam versuum ordinem numerumque re-*

ferret, litterisque mandaret. Miramur ergo memoriam in hoc Barbosâ, quæ tamen iudicio erat destituta. In Commentariis enim eiusdem molem adlegatorum reperimus sine selectu consarcinatorum, parum vero tractationis, ita vt eiusdem scripta instar Locorum Communium potius habere debeamus, quibus ad auctores remittitur. Aliud exemplum occurrit in Dorschæi Bibliis Numeratis, in quibus, si ipsum Dorschæi laborem, prout illum in calamum dedit auditoribus suis, consideremus, quale exemplar Mstum adhuc seruat bibliotheca nostra, egregium quid præstitit. Seruauit enim selectum probatissimorum auctorum, ad quos videmus remitti. Quæ vero postea per Gambsium in edito exemplari fuere addita, nullius sunt momenti, cum adlegata potissimum in quisquiliis scriptorum consistant, ita vt melius omnino fuisset, si solus Dorschæi labor fuisset impressus.

§. V.

Tertio ex tempore, quod auctor tractatui insumsit, erit iudicandum. Vbi enim plus temporis insumtum, facilius erit iudicare de libri præstantia. Quadraginta annorum opus est Io. Baptistæ Villalpandi in Ezechielem. De annalibus suis ipse testatur Baronius in dedicatione Tomi I Annalium, se triginta circiter annis in his insudasse.

la-

Iacobus Gusserius in Commentariis suis linguæ Ebrææ testatur, quod huic labori triginta annos insumserit. Paulus Æmylius in historia sua adornanda triginta annos impendit: totidem in Curtii versione Vaugelas. Lundius, quod in edendis antiquitatibus Iudaicis octo annis insudauerit. Licet enim auctores, si iudicio destituti, etsi plurium annorum labores insumserint, non adeo ordinate singula disponant, ob materiæ tamen varietatem, quæ temporis tractu melius colligitur, præualent. Hispanis illud solenne esse solet, vt pro ingenio libros suos non præcipitent, sed cum iudicio elaboratos per plures annos tanquam pullos foueant, elaborata expoliant, emendent, immutent vel adaugeant. Qui fit, vt pleraque opera posthuma edantur, quibus, antequam vbique expolita, auctores immoriuntur. Quantum vero in excessu peccant Hispani, tantum in defectu Germani, qui precipiti pruritu ruunt in editionem librorum, quem iam reprehendit auctor Obs. I Tomi II Halensium, ita vt optandum omnino esset, maiorem curam adhiberi in scribendis libris a Germanis. Huc faciunt, quæ Grotius ad Scriuerium scribit, cum ipsi auctores de re militari mitteret: *quo rependam, non habeo, ex quo tandem resipiscere cœpi ab ea insania, quæ mihi cum aliis nonnullis communis fuit, vt cæca quadam*

dam innotescendi libidine nihil nisi infamiam meam publicarem, daremque ea mundo spectanda, quæ nunc ne solus quidem apud me sine magno pudore & acri doloris sensu conspicio. Tu vero (dicam, non ut blandiar, sed ut raram animi fortitudinem, quam, si possim, imitari velim, sane, quod possum, probem atque commendem) in annos non doctrinæ tantum, sed & sapientiæ capaces, tibi te & publico seruasti; & quo nullum maturæ mentis certius esse signum potest, ausus es ita vtilitati aliorum studere, vt adpareret priorem sibi huius esse, quam gloriæ tuæ, rationem. Attendant, quorum pruritus est nimius. Damnanda tamen est nimia scrupulositas, qualis erat Pauli Manutii, qui tanta cura conscripsit epistolas suas, vt sæpe menses aliquot vni epistolæ interdum impenderit, vti testatur Morhofius polyhist. *p. 285.* De Isocrate Plutarchus, quod tres fere Olympiades in vna scribenda Panegyrica consumserit. Reprehendenda æque est arrogantia quorundam, qui vt felicis ingenii esse habeantur, sæpe breue tantum tempus memorant, quo scripta sua composuerint. Talis erat Franciscus ab Amaya, qui in libro obseruationum suarum, vbi materiam quandam singularem finit, addit: hæc

se

ſe apis inſtar intra viginti quatuor horarum ſpatium ex ſcriptoribus delibaſſe. Hoc enim minime honori eſſe putem. Reperiuntur tamen, qui, vt negligentiam excuſent, ſe, niſi prouectioris ætatis, nihil eſſe edituros proponunt. Media ſunt tenenda, nec præcipiti more ruamus in ſcripta, nec vel ex ambitione vel negligentia differamus.

§. VI.

Quare iudicare licebit ex ætate. Maiori plerumque cura elaborantur ſcripta illa, quæ multum laborem requirunt, ætate adhuc vegeta, quam in ſenecta, ſenſim deficiente & ardore & viribus. Maiorem ſpiritum reperimus in ſcriptis Lutheri, quæ ætate adhuc firma fuerunt compoſita, paullo poſt reformationis initia, quam quæ pauco ante mortem tempore fuere ſcripta. Deficiunt vires, augentur negotia, corpori plus indulgemus, iudicio nimis fidimus, ita vt, vbi ſenos facti, in rebus inquirendis non ita ſimus ſcrupuloſi. Cum tamen iudicium requiritur, bene aduertendum eſt ad ſcripta iuuenilia, vbi iudicium nondum eſt ſubactum, atque ad ea potiſſimum eſt conſiderandum, quæ ætate & iudicio firmo fuerunt elaborata. Vrget quandoque impetus quidam & ſcribendi pruritus, vt quæ nondum ſatis præmeditata, elaboremus: ex quo oriuntur poſtea curæ ſecundæ, libri retractationum, emendationum, additionum & ſimiles,

similes. Mouerunt hæc Nicolaum Leonicum Thomæum, vt iuueniles libros de Varia Historia non nisi senex ederet. Rationem huius habes in epistola dedicatoria ad episcopum Tonstallum præfixa, dum ita loquitur: *commentariolos de Varia Historia, quos alias iuuenis admodum multiplici cum Græcorum tum Latinorum lectione confeceram seposueramque, nunc edendos excudendosue curaui: vt quando maturioris ætatis pleraque iam a me de omnimoda philosophia exierunt opera, ex academicorum peripateticorumque fontibus hausta, hæc quoque iuuenilia studia nostra sua aliquando mercede non defraudarentur.* Iuuenilem itaque partum non prius edidit, quam famam sibi aliis parauerat. Verum, hoc est famæ scribere, non vtilitati, quod æque vituperandum. Dantur tamen ingenia præcocia, quæ iam scriptis suis prima adhuc ætate elaboratis eruditorum admirationem subeunt. Magnum illud litteratorum lumen, Daniel Heinsius, anno iamdum decimo octauo ætatis publice primum latinos, deinde Græcos auctores interpretatus est. Claudius Salmasius, cum vix quatuordecim annorum esset, Nilum & Barlaamum de primatu papæ recensuit. Decimo quinto ætatis anno Florum edidit, una cum notis, & Ioanni Grutero dedicauit. De

Hugone

Hugone Grotio narrant vitæ Professorum Leydensium, quod iamdum anno ætatis decimo septimo versus fundere cœperit, & notas in Martiani Capellæ satyricon conscripserit, licet non desint, qui ab alio has notas elaboratas velint. Petrus Lambecius prodromum lucubrationum criticarum in Auli Gellii noctes Atticas decimo octauo ætatis anno composuit. Extat enim in bibliotheca nostra iste prodromus, cui sua manu sequentia inscripsit Lambecius: *egregiæ indolis & optimarum artium studiosissimo iuueni, Ioanni Plocio primum hunc ingenii fœtum decimo octauo ætatis anno a se editum donauit Petrus Lambecius, Hamburgensis IVL. cIɔ Iɔc LI.* De Ioanne Meursio testantur vitæ Professorum Leydensium, quod ad Græcæ linguæ studium natura pronior, vix tredecennis carmen Græcum scripserit, anno ætatis XVI in Lycophronem, XVII vero in Theocriti idyllia fuerit commentatus. Quare etiam Gillotius in epistola ad Meursium ita scribit: *nec te nec Grotium sileo, portentosi iuuenes ingenii, quod de Scaligero tunc iuuene, magnum Turnebum dicentem iuuenis audiui.* De hisce, immo etiam puerorum ingeniis, qui scriptis claruerunt, specialem tractatum edidit ADRIANVS BAILLETVS

des

des enfans deuenus celebres par leurs etudes, où par leurs ecrits traité historique à Paris 1688. 8. In quo plura exempla illustria adducit. Addidit quoque exempla eorum, qui exacta demum ætate ad studia litterarum se adplicuerunt. Quorum cum multa exempla prætermiserit, SEBASTIANVS KORTHOLTVS in academia Kiloniensi poeseos professor, *de studio senili* dissertationem euulgauit *Kiloni 1701. 4*; in qua viginti exempla & vltra, eorum adducit, aliamque dissertationem de pueris doctis æque promittit. Interim DAVID SCVLTETVS in dissertatione sua *de doctis præcocibus*, *Witteberga 1702. 4.* duos & quinquaginta profert a Bailleto prætermissos.

§. VII.

Quintum iudicium dabit scriptoris patria. Non omnia ingenia omnis fert tellus. Belle de his Bartholinus de libris legendis diss. II. p. 56. *In historiis satyrisque scribendis nonnulli felicius versantur. Alii artes mechanicas, bellandique gloriam præferunt. Mathematica hi sectantur genii quadem inclinatione, illi sacra, medicinam isti, plures amœniora studia, alii per experimenta naturam venantur, alii ratione; singulæ rationes suo modo Palladi procantur. Cuiusque*

au-

auctoris genium, si in uniuersum consideremus, seculum & pathia prodit. HISPANI ad moralem disciplinam ex mente, potissimum scholasticorum, potiores partes gerunt, ideoque ad illas materias iuris ciuilis, quæ eo tendunt, plurimum faciunt. Nec desunt in historia conciliorum, qui aliqua præstiterunt. In reliqua historia & elegantioribus plane deficiunt. In Theologicis nimis sunt creduli, rarius polemici, casibus tamen indulgent. adlegatis sunt nimii, & his tantum scriptorum Hispanorum, cum Germanos tanquam hæreticos plerumque odio habeant; hinc nisi instructi simus insigni bibliotheca, tantam vtilitatem eorum scripta non semper præbent.

§. VIII.

Apud GALLOS vltra seculum florent litteræ, cum regali munificentia promoueantur, ita, vt qaucæ restent disciplinæ, in quibus non singulare quidpiam præstiterint. Licet iam apud eos decrescere incipiat eruditorum numerus. Excelluerunt isti hucusque in doctrina elegantiori, editis scriptis quibusdam magni vsus. Quantum ad eruendas antiquitates Francicas contulerint Pithœorum, Balutzii & Mabillonii, aliorumque labores, in propatulo est. Editiones scriptorum classicorum, quæ in vsum Delphini factæ, satis sunt splendidæ. De hisce tamen

dicendum, quod editores ſplendorem potius addiderint, quam notas. Has enim pleraſque Germani ſcriptores ſibi vindicabunt, vel Belgæ, ſi Harduini Plinium excipias, qui tamen maioris adhuc plagii eſt accuſandus, cum pleraque ex Coſſarti Mſto, cui per plures annos inſudauerat, deſumſerit. Excellente quæ poeſi latina, non æque in ſtyli elegantia: cum linguæ patriæ Maieſtatem evehentes, non ita curent latini ſermonis venuſtatem. In iure, critica potius amant, quam practica. Id quod teſtantur ſcripta Pithœorum, Mornacii, Cuiacii; erudita tamen ſunt, quæ ad ſolidam textùs explicationem multum faciunt. In experimentis chymicis, mathematicis & anatomicis præſertim, nullis cedunt. In Theologia, non tam ſcholaſticorum more agunt, ſed potius textum enodant, eundemque variis obſeruationibus criticis illuſtrant. Ingenioſi homines ſunt, quorum ſcripta minora, quæ quotidie eduntur, multum delectant, maxime horum *Reflexions*, *Raiſonnemens* &c. quæ ad ſtatum legendi faciunt atque ad conuerſationem quotidianam. Caueamus tamen ab eorum libris amatoriis, qui corrumpunt mores. In hiſtoria eccleſiaſtica, edendis conciliorum Tomis, Scriptoribus Byzantinis, aliisque multum præſtiterunt. Notum etiam, quantum iam in aliis ſcriptis, Papæ auctoritati derogauerint; &

Gallica-

Gallicanæ ecclesiæ libertatem adseruerint. Alias nimii sunt in defendendis scriptoribus suppositiriis. In profana historia, iustiores sunt in antiquiori, quam recentiori. In hac enim illud potissimum agunt, vt posthabitis reliquis, suum regnum, tanquam reliquis leges præscribens in immensum euehant. Adulatores ergo potius agunt, quam veros historicos, qui facta regum suorum exaltant, vitia occultant, alios omnes, præcipue Germanos, de quibus semper in ore est *Les Allemands sont touiours Allemands*, contemnunt. Scripta historica minora, qualia apud eos fere quotidie eduntur, multum sæpe habent ingenii, quæ lectorem delectant; sed parum iudicii, nec adeo sunt accurata, vt iis semper inniti possimus.

§. IX.

Raros fuisse scriptores in ANGLIA, fertur communiter ante Baconis Verulamii tempora, sed frequentes admodum fuisse testatur Balei, & qui hunc exscripsit, Pitsei catalogus scriptorum Anglorum. Eminent autem reliquis in historia atque antiquitatibus ecclesiasticis, in vtroque enim insigne quidpiam iam præstiterunt. In Theologia moralem præ reliquis excolunt. In Iurisprudentia eadem cum Gallis amant. In Medica arte egregii, & satis notum, quantum debeamus societati regiæ, cuius membra variis iam

experimentis interiora naturæ indagarunt. In philoſophia ſunt acuti, & nouatores, eandem plerumque experimentis Mathematicis declarantes. In promouenda re litteraria plurimum ſtudentes, edentes ex theatro ſuo Scheldoniano ſcriptores, egregios, Græcos præſertim. Hiſtoriæ ciuili non æquæ curas impendunt ac eccleſiaſticæ, nec deſunt tamen Camdeni, Miltoni, Verulamii & ſimiles, ita vt pauci licet ſint, plerumque vero accurati. Stylo vtuntur prolixiori, qui diffundit ſæpe lectorem.

§. X.

ITALORVM ingenium in iurisprudentia potiſſimum ſe exercet. Excellent enim in iure Ciuili, atque Criminali, in quo Germani quoque horum inſtituta ſequuntur. Tot vero eorundem Rotæ Deciſiones, cum ad particulares quasdam conſtitutiones directæ, ſæpius minus recte accommodantur ad iudicia Germaniæ. In Theologia ad extremum vsque ſuperſtitioſi ſunt. Hiſtoriam eorundem eccleſiaſticam, fictorum potius miraculorum dixeris hiſtoriam. In reliqua hiſtoria parum præſtant, nec adeo magnæ fidei, quod teſtantur ſcripta Bulengeri, Palatii, Natalis Comitis, Iouii aliorumque. Nimios enim vel agunt præcones, vel calamum habent venalem. In elegantiori doctrina plane degenerarunt a priori tempore. Si enim excipias paucos,

qui

qui cimeliarchiis principum præſunt, raros habent hodie antiquitatum indagatores, licet iſti, quos habent, ſæpe non ſint contemnendi.

§. XI.

BELGÆ vix a duobus ſeculis eruditioni indulſerunt, cum antea ſub iugo Hiſpanorum ob Academias longe diſſitas rei familiari potius intenti. Hodie in iure ciuili atque elegantioribus præſtant. Ex horum enim ſcriptis vera ratio iuris Iuſtinianei addiſcitur. In arte Medica faciunt potiſſimum ad Chirurgica & Botanica, ita vt ab iis multa hauſerint Germani. In Theologia varia habent ingenia. Scripta enim, quæ in academiis proponuntur, ad mentem ſynodi Dordracenæ ſunt elaborata. Extra eas multa eduntur, quæ videntur paradoxa, ab iis præſertim, qui vulgo dicuntur myſtici, cum libertas religionis liberum faciat de rebus ſacris iudicium. Neque tamen deſunt inter hoſce, qui ſuam habent commendationem. Facile enim flectuntur Belgarum ingenia ad quamuis in religione opinionem, ſi modo pontificiis dogmatibus contraria. Ad elegantiora fere nati videantur. Quot enim excellentes criticos atque antiquarios non tulit Belgica tellus? Licet, ſi verum fateri velimus, plures, quos Belgæ ſibi vindicant, ortu fuerint Germani. Vt alios taceam, ſufficient nobis Gronouius pater & Græuius ὁ πάνυ.

Hoc tamen adhuc de Belgis notandum, quod in conferendis lectionibus variantibus vltra modum ſæpe ſint ſcrupuloſi. In hiſtoriis, Belgæ quoque ſuos Grotios, Reidanos, Meurſios, Meteranos habent, quos aliis anteferre vel æquiparare poſſunt, ita vt in nullo elegantioris litteraturæ ſtudio deficiant. Ludicra alias ſunt ingenia & libera, quæ actionibus etiam Principum virorum per inſcriptiones ſuas & numiſmata ſolent illudere.

§. XII.

Rariores dantur in terris Septentrionalibus eruditi, tales autem vbi fuerint, reliquis gentibus minime cedunt. Induſtrii ſunt SVECI in perueſtigandis patriæ antiquitatibus, & ſane in hiſce eorum curæ debemus plurimum, licet non ita curent res aliarum gentium. In Theologicis Germanos ſequuntur, orthodoxiæ dediti. In iure nihil fere edunt, cum multitudinem ſcriptorum multum ad lites promouendas prodeſſe norint. Naturalibus & Mathematicis haut parum indulgent. Licet autem multitudine ſcriptorum non adeo noti ſint, accurata tamen eſſe pleraque, quæ ediderunt, certum eſt: alias in rebus tum ciuilibus tum militaribus prudentiam teſtantur ſingularem. Ad Germanorum ſtatum propiores DANI, illos potiſſimum imitantur. Horum ſequuntur Theologiam, Iura vero illorum multa librorum farragine

ragine non indigent. In Medicis quantum sint curiosi, Bartholini testantur. Patriæ magis historiæ sunt amatores quam alienæ. Elegantiori litteraturæ atque rei nummariæ multum concedunt. Apud POLONOS rariores sunt eruditi, pauci enim in patria historia ingenium exercuerunt. Corrupta tamen eorum plerumque est latinitas.

§. XIII.

Sed quid de nostris dicam GERMANIS? Stupida fere natio ab exteris habetur Germanorum, ita, vt Cardinalis Perronius & Pater Bouhours quæstionem mouerint, an Germanus possit esse *vn bel esprit.* Fuerunt tamen inter recentiores Gallos, qui saperent, neque hoc de Germanis negarent. Bailletus quidem, sinisterius iudicat de Germanis, sed Vrbanus Cheurau in Cheuræanis *p. 92.* hanc quæstionem ita decidit, vbique terrarum dari homines prudentes atque ineptos, quod de Germanis æque dicendum. Præ cæteris vero DOMINICVS BOVHVRSIVS scripsit, *Entretiens d' Ariste & d' Eugene, à Amsterdam. 1671. 12 & 1703 12* quibus, maxime vero dialogo quanto, rem esse singularem existimat, si quæ in Septentrionalibus populis, præsertim Germanis, quos Moschorum ingeniis sociat, nascantur ingenia feliciora. Huic autem obuiam iuit CLEANTHES, scriptor personatus, Bouhursii popularis, qui edidit

sentimens sur les entretiens d' Ariste & d' Eugene. Egregiæ hac in parte sunt IOANNIS FRIDERICI CRAMERI *vindiciæ nominis Germanici, contra quosdam obtrectatores Gallos, Berolini 1694. 8.* quia ad Bouhursii, Perronii, Perralti aliorumque criminationes ita respondet, vt per plura exempla demonstret, Germanorum ingenia nullis concedere. Sic etiam *Gallorum quorundam de Germanorum ingeniis iudicia* speciali programmate iniquitatis conuicit MICHAEL RICHEY, *Stadæ 1705. 4.* Ad omnia nati sunt, in multis tamen deficiunt. Potissima ratio nimia est moles eorum, qui litteris incumbunt. Agnouit illud auctor quidam anonymus in tractatu suo, cui titulus: *Germania milite suo destituta & litteratis ceu mole laborans*, qui prodiit 1677. 12. Vitium hoc est patriæ, inde fit, vt, dum plures studiis incumbant, plerique de pane lucrando cogitent, nec solidam eruditionem quærant. Accedit & hoc, quod de selectu ingeniorum minus solliciti Germani. Sunt, qui fere nati ad singularem quandam disciplinam, sed, vel in puluere scholastico desudare coguntur, vel aliis rebus tractandis præficiuntur, quas superficiarie tantum perceperunt. Alii docendi muneri adplicantur, qui ad hoc minime idonei, in scribendo essent egregii. Ad illud se cogentes, tempus consumunt, vt alia posthabere necessum habeant. Vt taceam sa-

laria

laria tam exigua, vt vel curis ſæpe, vel œconomicis, vel quibuscunque aliis tempus perdere cogantur, qui egregia alias præſtarent, ſi ab omnibus hiſce ſoluti. Nec etiam tali ardore promouentur ſtudia & artes, patent bibliothecæ atque archiua, ac apud exteros, vel Mæcenates etiam reperiuntur inter perſonas Principes. Sane, ſi hæc omnia perpenderemus, facile erit diiudicare, Germanos non quidem eruditione, ſcriptis tamen ceſſiſſe certis. Habent tamen ipſi quoque, ex quo commendentur. In Theologicis tot habemus Theologias poſitiuas, tot methodos concionandi, conciones annuas, quot Logicas & Metaphyſicas, ita vt ex iis ſelectum facere fere difficile ſit. Noſtro tempore reperiuntur, qui abdicatis, quæ hominum ſenſus corrumpunt, opinionibus præconceptis, ſaniora præſcribunt. Scilicet, Germanorum ingenia non tam expedita ſunt ac Gallorum, bene tamen ſua præmeditantur, atque dum iudicio plerumque vtuntur accurato. Talis vero apud noſtros eſt ſcribendi pruritus, vt eius finis non ſit. De plerisque melius eſſet iudicandum, ſi non ita præcipites in ſcriptorum editiones ruerent. In hiſtoria atque antiquitatibus eccleſiaſticis paucos quidem habemus ſcriptores, ſed eos plerumque accuratos atque ſolidos. In iure, ad patrias prouinciæ cuiuslibet conſtitutiones ſcripta diriguntur,

quare exteris non ita probantur. Nulla vero gens auctoritate prudentum ita ducitur ac Germana. In medicis, Germani scriptores vltra Galenum quidem sapiunt, nouandi tamen studio parum capiuntur, quin potius præceptorum institutis gnauiter inhærent, nisi forsan quis ambitione ductus, alia proponat. In Philosophicis plerique cum Aristotele ambulant: Dantur tamen nostro tempore, qui iustiorem ad veram philosophiam viam præscribunt. Euehuntur nunc ad elegantiora Germani, ita vt sperandum facile sit, pessundatum iri priorem barbariem, quæ tantopere adflixit Germaniam nostram. Certum enim est, si talia nobis essent adminicula ac exteris, nos eos longe esse superaturos. Excellent magis ingenia in re litteraria, quam apud alios, & licet quidem ad Gallorum præsertim imitationem huic magis adhuc se adplicuerint Germani, dicendum tamen est, hosce plura præstitisse, quam illos, ita vt nunc Galli alia cogitare iam incipiant de Germanis, quam olim. Dantur tamen æque, qui necessariis adminiculis destituti, male præparato animo accedunt. In historiis veraces quidem sunt Germani, proceres tamen veritatem tolerare non possunt. Vbi enim veritatis ratio habetur, & opprobria domus deteguntur, vel alias præiudicium inde sequi videatur, supprimuntur talia scripta, prohibentur atque interdi-

cuntur

cuntur, quo ipso historica veritas multum detrimenti capit. Nota sunt scripta historica, quæ antequam edantur, censuræ sanctioris Principum Senatus ex iussu exhibita, ex iisdemque deleta, quæ ad præiudicium domus vergere videbantur. Satius tamen puto, nihil edere, quam ea, quæ eduntur, non iuste proponere. Exemplo nobis sint, vt Germanos relinquam, Cambdeni annales, de quibus testator Burnetus in replicat. ad Varillasium *p.59.* Cambdenum Thuano confessum esse, Regem Iacobum annales suos necessario reuisere voluisse, eosdemque postea tradidisse in manus Comitis Northamptoni, & plurima ex iisdem fuisse erasa, plurimaque alterata. Laudanda itaque est Georgii Buchanani constantia, ab hoc enim Iacobus Scotiæ Rex, discipulus olim, petierat, quæ de Maria Scotica matre, probrosa essent, omitteret, sed nullis precibus induci poterat. Idem Rex per Casaubonum cum Thuano egit, vt eadem omitteret, sed neque hic flecti potuit. Veritas enim historiæ mater. Generalia hæc sunt, quæ non quidem ita comparata, vt nihil excipi possit, ducunt tamen nos ad aliqualem Criteriorum rationem. Ducit quodammodo ad hanc cognitionam Franciscus de la Mothe le Vayer de moribus populorum. Cognitis enim populi moribus, de eiusdem studiis quoque erit iudicandum.

§. VIV.

§. XIV.

Sextum generale criterium dabunt typographi & bibliopolæ, quorum cura ſcriptum aliquod prodiit, & editiones. Neque enim rudes erant priores typographi, ſed vel eruditiſſimi viri, qui cum profeſſoribus noſtræ ætatis celeberrimis de fama atque eruditione decertare poſſent. Gallia novit ſuos Stephanos, Italia Manutios, Belgium Plantinos, Germania Wæchelios, de quibus infra ſpeciatim. De his autem & ſimilibus erit dicendum, quod horum cura in lucem protracta ſcripta laudem ſuam mereantur, non tantum quod emendatius edita, ſed quod ob ſingularem præſtantiam præ cæteris commendanda. Noſtro tempore typographi vix litteras latinas norunt iungere, bibliopolæ eas vix legere. Qui fit, vt tot ludicra, ſcriptorum quisquiliæ, librorum excrementa edantur. Sufficere enim putant bibliopolæ, ſi modo titulus ſit ſpecioſus, vel figura quadam ænea ornatus: hæc hedera eſt. Vbi ingredimur bibliopolia, tot pro genio ſeculi reperimus poſtillas, tot libros amatorios, tot logicas, tot præcepta homiletica, tot iuris compendia, quæ locum aliis præripiunt: vix vnus atque alter interiectus eſt, qui ad eruditionem faciat. Ruditas hoc facit bibliopolarum, qui de pretio potius ſolliciti, quo carius vendant libros ſuos, quam vt de libri

præ-

præſtantia iudicare poſſint. Quantum ad editiones, notandum, quod antiquiſſimæ Romanæ, Venetæ & præcipue Aldinæ, Manuſcriptorum fere fidem habeant. Ita Plinius, *Romæ 1470, Parmæ 1476, Venetiis 1469* Celſus, *Florentiæ 1478* Liuius, *Mediolani 1480* Lucanus, *Romæ 1469* Silius Italicus, *Romæ 1471* editus cum Mſtis fere certant, quia ex collatione Mſtorum antiquiſſimorum editi. Editiones antiquioros plerumque recentioribus, ſi in illis nihil additum, ſunt præferendæ: Splendidæ plerumque eſſe ſolent editiones Gallorum, Anglorum, Belgorumque. Germanorum neque caracteris nitore, neque cartæ munditie ſplendent, ſi paucas academias locaue excipiamus, plerumque etiam parum accuratæ. Imitantur tamen exteros in editionum elegantia atque accurata ratione ab aliquo tempore Lipſienſes, & quandoque Halenſes. Geneuenſes editiones quod non ſatis correctæ, plerumque ſunt peſſimæ. In eo tamen nobis profuere Geneuenſes, quod libros quosdam egregios ſumtuoſiores recudi fecerunt, vt nunc tanti non veneant.

§. XV.

Septimum iudicium fieri poterit ex ſcriptoris ſtatu. In Hiſtoricis quippe melius ſtatim de eorum ſcriptis erit iudicandum, qui oculati teſtes fuere, qui negotiis publicis adhibiti, quibus archiua patuerunt, vel ſimiles

ſunt

ſunt circumſtantiæ, ex quibus de pleniori rerum, quæ ſcripſerunt, notitia iudicium poſſit capi. Nefandas Catilinæ artes Salluſtius & Cicero accurate ſcripſerunt, quod ipſi negotio præſentes. Ludouicus ab Auila, Philippus Cominæus & Franciſcus Guicciardinus bellis ipſis præſentes interfuerunt, quæ deſcripſerunt. Xenophon ipſe in publicis Lacedæmoniorum verſatus, belle egit de eorundem Republica. Diutius apud Venetos verſatus Amelot de la Houſſaye horum arcana penitus retexit. Camdenus annales rerum ſuo tempore geſtarum ſcripſit. Thuanus cum ſcriptoribus optimis vbiuis terrarum commercia habuit litteraria. Puffendorfio patuerunt archiua. Quare tantum argumentum ſumitur ex ſcriptoribus, qui coæui, quibus haut facile fides denegatur. Sic etiam ex aliis circumſtantiis de auctore melius erit iudicandum, vbi patuerunt archiua, vbi ſcriptor iuſtis relationibus fuit vſus, & quæ ſunt ſimilia. Sic in proceſſu Camerali fidimus magis Cameralibus, quam aliis, ipſa experientia edoctis. In Theologia Practica potius illis credimus, qui ipſi officia paſtoralia gerunt, quam aliis. In re litteraria illi præferendi, qui vel bibliothecis præſunt, vel iisdem vtendi occaſionem habent, & ſic porro de aliis. Scripta Principum & doctarum mulierum licet non ſummam eruditionem

præ-

præferant, ob exemplorum tamen raritatem suam æstimationem habere debent. Ita Roma suum M. Antonium, Græcia numerat suum Cantacuzenum, Constantinum Porphyrogenitum & Mauritium, Imperatores scriptis claros, Germania de suo Maximiliano I gloriatur. Anglia Iacobum I. nouit. Et quis ignorat Gustaui Seleni, principis sapientissimi, Antonii Vlrici, Ducis Brunsuicensis & Ferdinandi Fürstenbergii, Paderbornensis episcopi doctos labores. Plura exempla docuit VALENTINVS ERNESTVS LOESCHERVS in *bibliotheca* sua *purpurata*, seu *de scriptis principum, præsertim Germanorum, Wittebergæ 1698. 4.* Sequior sexus quoque litterarum monumentis clarus est. Notæ sunt Anna Maria Schurmannia, Anna, Tanaquilli Fabri filia, & Cornelia Vossia, Carola Catharina Patina, & ex seculo decimo sexto, Olympia Fuluia Morata, Elisabetha Ioanna Westonia, aliæque. Notum ea de re scriptum est IOANNIS MATTHÆI *de claris mulieribus, Parisiis 1520. 8.* IOANNIS BOCCATII *de claris mulieribus, Bernæ 1539. f,* licet hic potissimum fœminas artibus heroicis claras exponat, & rarissimum FRANCISCI AVGVSTINI *Theatrum mulierum litteratum*, quod italice prodiit *Monte reguli 1620. 8.* IO. PERESIVS MOYA de claris Hispaniæ mulieribus egit *Madriti 1583.* GVILIELMVS IGNATIVS

TIVS SCHVTZIVS librum ſcripſit cum titulo: *Ehrenpreis des hochlöbichen Frauen-Zimmers Francofurti 1673. 12.* quo ſaltim illam examinat quæſtionem, an ſequior ſexus viros prudentia adæquet. MARTINVS a BALDHOFEN Catalogum ſuum *doctarum virginum & fœminarum* ſubiecit Parthenico Eliſabethæ Ioannæ Weſtoniæ, *Pragæ.* Apud nos iam imprimitur IO. CASPARIS EBERTI *eröffnetes Cabinet des gelehrten Frauen-Zimmers*, quod ex aliis, qui de hac ſcripſerunt materia, congeſſit. Plenius olim opus meditabatur OTTO SPERLINGIVS, quod tamen editum non eſt. IOANNES PASCHIVS in *Gynæcæo docto, Witteberga 1686. 4.* edito, recuſo *1701.4*; ordine alphabethico fœminas & ſcriptis & eruditione claras deſcribit; licet breuis ſit admodum & imperfectus. Idem ante illum egerunt IOANNES SAVERBREY duabus diſſertationibus *Lipſiæ 1671* habitis & CHRISTOPHORVS CHRISTIANVS HäNDELIVS, *Altdorfi 1688. 4.* Elegantiſſimum ſcriptum ſcriptum eſt *hiſtoria mulierum Philoſopharum* ÆGIDII MENAGII, *Lugduni 1690. 12.* In quo e priſcis hiſtoriis congeſſit mulieres, quæ diſciplinæ philoſophicæ ſe dederant, de iisdemque erudite agit. Mentionem etiam facit p. 66. Iacobi Carmelitæ, qui grandi volumine nomina ac opera mulierum doctarum congeſſerit, quod tamen nondum eſt editum.

editum. Centuriam quoque fœminarum, eruditione & ſcriptis illuſtrium ſchediasmati ſuo hiſtorico de diariis eruditorum addidit CHRISTIANVS IVNCKERVS, *Lipſiæ 1692. 12.* Hunc ſecutus eſt DAVID SCVLTETVS, qui ſpeciali diſſertatione *de fœminis prima ætate, eruditione ac ſcriptis illuſtribus & nobilibus, Witteberga 1702. 4*, aliqua adhuc ſuperaddidit. CHRISTIANVS FRANCISCVS PAVLLINI edidit *das hoch- und wohlgelahrte Frauen-Zimmer*, quod ex iterata, eademque auctiori editione *Francofurti 1705. 8.* prodiit, quo ſcripto Germanas mulieres ſtudiis & ſcriptis claras ordine alphabetico perſequitur. Idem etiam in præfatione monet, anonymum edidiſſe *die lobwürdige Geſellſchafft gelahrter Weiber, 1631* atque ERASMVM FRANCISCI anno 1691 edere voluiſſe *das tapfere und gelahrte Frauen Zimmer*. Sic etiam LVDOVICVS-IACOBI promiſit *bibliotheque de femmes ſcavantes*, neque tamen editam.

§. XVI.

Octauum iudicium dabit applauſus non communis & vulgi, ſed eruditorum. Sedulo ergo animaduertendum erit ad iudicia virorum celebriorum, eorum præſertim, qui nihil adfectibus indulgent. Quare & ipſos, bibliothecas, & bibliopolia, in quibus confluxus eruditorum, frequentemus ſedulo, horum iudicia notemus, atque inde proficiamus.

mus. Non autem omnia iudicia ſtatim ſunt certa, ſed ad perſonam reſpiciamus, ex qua iudicia profluxerunt. Singulare quid præſtitit in egregio hiſtoriarum opere Thuanus, hic enim ſub finem cuiuslibet libri de litteratis agit, qui in quouis ſeculo claruere. Certe etiam vbi iudicat, egregie id facit. Conringiana iudicia omnia ſunt accurata, quibus facile licet inniti. Gallorum vero de Germanorum ſcriptoribus ſunt iniqua, niſi quod ex parte, noſtro tempore rectius de Germanis ſentiant.

§. XVII.

Nonum criterium dabunt editiones, ſi variæ, & translationis in linguas peregrinas. Thomæ Kempiſii tractatus de imitatione Chriſti in præcipuas linguas occidentales aliasque orientales translatus, ſatis de eiusdem præſtantia docet. Tentzelius me reprehendit, putans in vniuerſas Europæ linguas translatum eſſe, prouocans ad Noua litteraria anni 1703 p. 202 ſed perperam, neque enim ibidem mentio fit translationis Sclauonicæ, Ruſſicæ, Bohemicæ, vt alias linguas taceam, de quibus Geſnerus in Mithridate. Gallorum Anglorumque potiora in latinum Germanicumque ſermonem fuere translata. Inter Germanorum ſcripta perpauca ſunt in linguas peregrinas translata. Puffendorffii introdu-

troductio in historiam regnorum gallice nunc extat & latine, vt alia taceam.

§. XVIII.

Decimum criterium dabit auctorum ætas, cum, teste Barclaio, omnia secula genium suum habeant, qui in certa studia animos mortalium soleat inflectere. Multum sane disceptatum semper fuit, quinam scriptores, vel antiqui vel recentiores sint præferendi. Tractat hanc quæstionem CLAVDIVS PERRALTVS, academiæ regiæ scientiarum apud Gallos socius, qui scripsit *parallele des anciens & des modernes, en ce qui regarde les arts & les sciens*, quorum prior tomus prodiit *Parisiis 1688. 12.* Scripserat Perraltus *vn poëme du siecle de Louis le Grand*, in quo demonstrauerat, nostræ ætatis homines antiquis vel pares esse, vel adhuc excellentiores. Contra quod anonymus quidam scripserat *la defense des anciens contre le poëme du siecle de Louis le Grand*, in quo poëma illud potius pro lusu ingenii habet, & vix credere se dicit, Perraltium, ob paradoxa, quæ poëma contineat, singula pro veris habere. In his igitur parallelis Perraltus demonstrat, non nisi seria se scripsisse, & duobus dialogis probat, res nostri æui antiquioribus adhuc esse præferendas. Primo dicit dari quosdam, qui in id, quod antiquum est, ruant, tanto zelo, vt vel locos obscurissimos tanquam oracula considerent & in iis eno-

dandis plane desudent. Horum igitur pruritum ridet. In altero dialogo colloquentes inducit in hortum regium, ibi admirantes singularem architecturæ, sculpturæ & picturæ artem, probans exinde, singula hæc antiquorum etiam mirandis operibus esse præferenda. Continuare hæc parallela promiserat circa astronomiam, nauticam artem, & physicam, sed mutato proposito, primum hæc parallela instituit circa eloquentiam in tractatu, quem inscripsit *parallele des anciens, & des modernes, en ce qui regarde l' eloquence, à Paris 1690. 12.* Tres ibi inducit collocutores, Præsidem, abbatem & nobilem, vbi ipse Abbatis personam præ se ferens, contendit, antiquos in omni eloquentiæ parte inferiores esse recentibus scriptoribus. Ciceronem interim & Lucianum pro præcipuis habet, quibus nihilominus opponit præter alios e Gallis, Paschasii litteras prouinciales. Nec inter Oratores eloquentissimos antiquorum quis est, cui non opponat vnum ex recentioribus Gallis. Referri huc quoque possunt *Pensées ingenieuses des anciens & des modernes, à Paris 1692. 12,* quarum auctor est DOMINICVS BOVHOVRS, haut ita pridem demortuus. Continuatio hæc est alius scripti, quod sub titulo: *la maniere de bien penser dans les ouvrages d' esprit, Amstelodami 1688. 12* prodierat, in quo varia exempla ingeniosarum cogitationum,

nullo

nullo seruato ordine exhibet, ex quibus æquæ antiquorum ac recentiorum exempla conferre licebit. Addi possunt WILHELMI WOTTONI *reflexions vpon ancient and modern Learning, London 1694. 8.* Vt fatear, quod res est, habent priora secula, de quibus glorientur, habet etiam nostra ætas: ita, vt in mechanicis aliisque artificiosis cedant antiqui nostratibus; quantum vero ad ingenii monumenta, vtrique suam laudem habent, ita, ut nullos certe præferam. Hoc tamen bene notandum, quod quælibet tempora sua seruarint studia. Eleganter ea de re edisserit Bartholinus de legendis libris dissert. II. p.m.m.48. Quis ignorat ætates linguæ latinæ, ita, vt quantum ad venustatem sermonis, melius iudicari possit de scriptoribus iis, qui seculo Augusteo claruerunt, quam qui sub Hadriano & successoribus. Ita a seculo XV post renatas litteras, maior linguæ latinæ adparet nitor, quam barbaris istis seculis scholasticis. In Philosophia inualuerunt primum dogmata Platonis, patribus ecclesiæ communia; a seculo quarto magis inualuit Aristotelica, hæc seculo XII. corrupta per Scholasticorum barbariem, restituta seculo XIV. sub finem seculi decimi sexti labefactata per Petrum Ramum. Seculo superiori Cartesii valebat subtilitas, quæ ab aliquo tempore cum philosophia eclectica commutata fuit. Ingenia

nia igitur & ſcriptores cum philoſophia mutati. Iureconſulti prioribus ſeculis ſolum occupabantur in reſponſis: poſt, reſtituta per Irnerium iurisprudentia, ſubtiles legum explicationes cœperunt. Seculum decimum ſextum in conciliandis antinomiis totum erat. Superiori ſeculo primum nugari deſierunt Iureconſulti. Dum enim maiori cum pondere iudicii cauſſas in iure controuerſas deciderent, alias præter ius ciuile partes adgreſſi fuerunt, & ad ipſos fontes recurrerunt, ita, vt ius Iuſtinianeum ex ratione iuris Romani interpretari doceant, atque hiſtoricis, iure naturæ, morali & politica, diſciplina, iure publico, aliisque adminiculis ingenia excolant. Quantum artis Medicæ ſtudium fuerit immutatum, omnibus ſatis patet. Quanta olim maieſtas Galeni, quæ nunc, vbi Chymiæ locus datus eſt, fere decreuit? Quæ non noua inuenta ſuperiori ſeculo facta in anatomicis, ita, vt pauciſſimi ex ſcriptoribus prioris ætatis vſum adhuc præbeant. Scripta Theologica quantum per ſecula fuerint immutata, docent ſcriptores Theologiæ hiſtoricæ. Quam pius zelus & feruor in ſcriptis patrum Apoſtolicorum, e quibus tamen, ſi Clementis primam ad Corinthios, Barnabæ catholicam, Ignatii & Polycarpi epiſtolas excipias, nihil fere erit reliqui. Quam adfectata ſæpe eruditio in patribus ſeculi quarti &

quinti

quinti. Quam peruersa sæpe sunt dogmata patrum sequioris ætatis. Vt taceam seculum scholasticum, quod in tantum corrupit Theologiam, per immixtos suos terminos Philosophicos, vt vera ista atque infucata vix adhuc caput efferre audeat.

§. XIX.

Vndecimum criterium dabit ordinata & methodica libri tractatio & materia scriptore digna. Speciosi sæpe sunt scriptores in titulis, rariores in tractando. Alii quippe perfunctorie rem tractant, alii a proposito aberrant, alii diuagantur & multa intermiscent aliena. Vitium hoc est eorum, qui eruditionem ostentantes, quidquid locorum communium habent, in vnum volumen congerere sibi proposuerunt. Exemplo nobis sint Salmasii exercitationes Plinianæ, quæ multum quidem habent eruditionis criticæ, attamen, cum non vni rei inhæreat, sed varia tractet & multa intermisceat aliena, lectionem facit minus iucundam. Admodum placet iudicium Menagii parte prima Menagianorum p. 262. *M. de Saumaise etoit l' homme du monde le plus agreable dans la conuersation: mais il avoit ce defaut en ecrivant, qu' vn passage en attiroit vn autre, & qu' il ne pouvoit finir a force de citer des passages.* Eadem quoque ratione varia eruditio est in Vossii libro de idololatria, qui de eruditione quidem auctoris

ſatis teſtatur, ſed de eodem dicendum erit, quod de Salmaſio. Quare etiam ſcriptores aduerſariorum, variarum lectionum & ſimilium tanti non æſtimo, cum in vno capite plures tractent materias & adpetitum potius moueant, vbi vero deuentum eſt ad materiæ tractationem, deſinant. Aeque vituperanda in Scriptore eſt nimia prolixitas, quaam adfectata breuitas. Maxime reprehendes in ſcriptoribus, ſi otioſum tractent ſcribendi argumentum. Tot enim habemus nugas venales, ioco-ſeria, ſcriptores Mileſiorum & ſimiles, qui laudem aſini, vmbræ, pediculi, pulicis & ſimilia tractarunt. Plura ſcripta talia congeſſit Caſpar Dornauius in amphitheatro ſapientiæ ioco-ſeriæ Socraticæ. Scilicet, ingenium oſtentant tales, non vbique iudicium, quod in iis tantum occupatur, quæ grauia ſunt atque ad vſum conducunt. Neque tamen omnes plane ſunt contemnendi, quidam enim ſub eiusmodi titulis, qui videri poſſint otioſi, corruptos ſeculi mores tangunt. Quo facit nauis ſtultitiæ Geileri a Keiſersberg, encomium Moriæ Eraſmi, Vlrici Hutteni dialogi feſtiui, febris, Nemo, Captiuus & ſimiles. Facilius etiam condonantur tales luſus poëtis, qui furore quodam poëtio abrepti, vel fabulantur vel diuagantur ac ludunt. Celebris iſte Morhofius leſſum ſcripſerat in Ciconiam Adrianam, Carmen iuuenile, quo

obitum

obitum luget Ciconiæ Laurentii Bodocks, quo ipse multum eruditionis præ se tulit, ita, vt ad eius commendationem multum faceret. Quot poëtarum Gallorum eruditissimorum in psittacum Scuderianam paucos ante annos demortuam extant poëmata? Quot in Lipsii aliorumque caniculos epitaphia adducit Dornauius in amphitheatro p. 525. Sed quid dicam de iis, qui aliud scribendi argumentum otiosum sibi sumunt, qui de arte amandi, potandi, volandi, ditescendi & similibus agunt. Sane eos otia abundare certum est, & melius eos agere puto, qui nihil agunt. Otiosus est labor AGNI BENIGNI SANREY, qui integrum tractatum scripsit *de recta nominis paracleti pronuntiatione*, *Parisiis 1650. 8.* Intermiscuit quidem aliqua, quæ ad rationem accentuum Græcorum faciunt, sed de vera vnius vocis pronuntiatione tractatum scribere otiosum est. Miror itaque, quod non de controuersia ista, quæ fuit inter Doctores Sorbonicos & Petrum Ramum, de pronuntiatione vocis Q, quæ per arrestum Parlamenti demum fuit decisa, non singularis tractatus fuerit publicatus. Facit ad hæc SAMVELIS WERENFELSII *dissertatio de logomachiis eruditorum*, quæ *Amstelodami 1702. 8.* recusa, vbi non solum varias logomachiæ species atque grauitatem designat, sed etiam de causis, signis, remediis

atque præseruatiuis aduersus illas elegantissime differit, singulis per exempla illustratis. Simile quibusdam inhæret vitium, qui studio esse volunt difficiles, ne cuiuis statim pateat aditus ad argumenti intellectum: sed eiusmodi scriptores negligendi potius, quam legendi, & nullum maiorem in scriptore adgnosco defectum, quam si fides desit. De his autem idem dicendum erit, quod de Paulo ICto Fulgosius ad l. 17. π de inofficioso testamento: *si bene non intellexistis textum, eum legetis ter & quater & sonabit vobis. sic enim est mos Pauli, & si haberem eum in manibus, eum per capillos interrogarem*, & paullo post: *iste maledictus Paulus ita obscure loquitur, vt non possit intelligi.* Innouandi prurigine alii capiuntur; alii non nisi antiquis inhærent, vti de Labeone dicitur, quod ex ingenio multa innouauerit: de Capitone vero, quod antiquarum legum vestigiis presse institerit. Vtrumque hoc vitium est. Taceo iam Petronii, Apuleii, Satyricorum veterum, Aloysiæ Sigææ & similes libros plane inanes & scandalosos. Libros item Milesiorum & fabularum Romanensium, si paucos, Octaviam inprimis, excipias, detestandos, ad corumpendum potius vtiles, quam ad sermonis venustatem: digni vt flammis absumantur. Hi enim Christianum hominem non decent. Sed hic genius est seculi, maiori cum adplausu tales recip untur, quam qui ad veram ducunt eruditionem.

§. XX.

§. XX.

Duodecimum criterium dabit libri raritas. Hanc autem vel fatum facit, vel paucitas impressorum exemplarium, vel quod libri sint prohibiti. Sic rarus est Atlas Maior, eo quod typographia Blaeuiana, quinque myriadibus æstimata, cum omnibus tabulis æneis fuit exusta. Simile fatum experti fuerunt Critici sacri Londinenses, de quibus aliquot centum exemplaria magno Londinensium incendio fuere exusta, ita, vt pretium operis in immensum augeretur. Paucitas exemplarium impressorum Gerardi de Roo Annales Austriacos, Ehingeri catalogum bibliothecæ Augustanæ, quorum non nisi centum exemplaria impressa, raros facit. Valerii Chimentelli Marmor Pisanum de honore bisellii, tantum quinquaginta vicibus antea impressum fuerat. Aucupium famæ quærunt aliqui in eo, vt scriptorum suorum non nisi pauca exemplaria imprimi faciant, sperantes scripto maiorem auctoritatem conciliare raritate. Sed peruersus hic est modus inclarescendi, illis communis, qui suam potius gloriam quærunt, quam publicam vtilitatem. Tunc autem certum ex raritate fit criterium, si iustus impressus sit exemplarium numerus, & nihilominus rarius habeantur. Libri prohibiti, eo quod fisco & flammis addicti, vel vendi alias prohibiti,

admo-

admodum rari ſunt, ſed eo maius excitant, deſiderium. Huc faciunt ſcripta quædam, Bodini, Vannini, Pomponatii, aliorumque, de quibus alio loco ſeparatim agemus. Inter politica enim, ob nefaria contra domum Auſtriacam conſilia damnabatur Hippoliti a Lapide ſcriptum de ratione Status, Conſtantini Germanici itinerarium Germaniæ, eo quod libere nimis ſentiret de aulis Germaniæ, & ſcripta ſimilia, quæ tamen hodie liberius venduntur. Non poſſumus non recenſere vanitatem quæſtuoſorum quorundam hominum, qui tamen eruditi videri voluerunt. Hi enim, vt vel ſcripta ſua maiori cum deſiderio quærantur, vel etiam maiori pretio diuendantur, ipſi procurarunt, vt libri ſui fiſco addicantur. Sed pruritum hunc reſpuunt omnes, qui bonæ mentis. Alii ſeipſos refutarunt, vt in ora hominum eruditorum veniant, ſed nec horum curamus inſaniem.

§. XXI.

Inter ſcriptores, qui plenius hac in parte egerunt, adire quis poterit IOANNIS CLERICI *artem Criticam, Amſtelodami 1698. 8* editam, vbi plerumque occupatus eſt, vt doceat, qua ratione veri ſcriptores a ſuppoſititiis diſtinguendi, & THOMÆ BARTHOLINI *de libris legendis diſſertationes ſeptem*, quæ *Hafniæ* prodierunt *1676. 7.* Quippe iſtæ ſunt elegantiſſimæ, & non ſolum quomodo de libris ſit iudican-

iudicandum perhibent, ſed etiam quid in legendis libris obſeruandum. IO. FRIDERICI HODANNI diſſertatio *de libris legendis*, *Hanouerae 1705. 8.* edita, paucis pagellis conſtat, & leuiſſima eſt. FRANCISCI SACCHINI libellus *de ratione libros cum fructu legendi*, qui *Herbipoli 1639. 12* prodiit, ſed parum vtilis, rarior eſt. CLAVDIVS VERDIERIVS cenſuram generalem ſcripſit, hoc titulo: *Cenſio auctorum omnium veterum & recentiorum.* Hac libros cenſura dignos perſequitur, & rationem cenſendi monſtrare conatur. Verum, non niſi peruerſa & iniqua eſt cenſura, cuius iniquitatem iam monſtrauit Morhofius polyhiſtore p. 179. Aduerſus cenſuram illam ſcripſit CASPAR SCIOPPIVS, quam adiecit Catulli caſtis carminibus ſelectis a Raphaële Eglino Iconio, *Francofurti 1606. 12.* Multa tamen ex Verderii libro ſumſit LEO ALLATIVS in diſceptatione ſua *de erroribus magnorum virorum in dicendo*, *Romae 1636 8.* edita. Allegatur a Maruille Melange d'Hiſtoire & de Litterature Tom. II. pag. 205. IACOBI-BOILEAV *Colloquium Criticum de ſphalmatis virorum in re litteraria illuſtrium*, cuius etiam contenta recenſet breuiter. Multos errores arguit, quos viri etiam ſummi in ſcriptis ſuis fecerunt, ex quo, quam commune ſit hominibus errare, facile patebit. Quibus addi poteſt ADRIANI BAILLETTI tracta-

tractatus, qui inſcribitur *iugemens de ſçavans ſur les principaux ouvrages des autheurs*, cuius iam tredecim, ni fallor, partes ſunt editæ *Pariſiis 1685. 1686. 12*. Hic enim omnium, qui hac in parte egerunt, eſt perfectiſſimus. Primus præſertim tomus totus occupatur in iudicandi de ſcriptoribus ratione, in quo virtus conſiſtat iudicis litterarii, quomodo a vitiis, animo præcipiti, pedantiſmo, odio & ſimilibus ſit cauendum. Qua ratione ex auctoris moribus, ætate, circumſtantiis tituli, pretii & raritate ſit iudicandum, & quæ alia ſunt egregia. Licet etiam ipſe odii in Germanos & animi præcipitis non ſit expers. Tres Tomi ſequentes de Critica Hiſtoricorum, Lexicographorum, typographorum, translatorum & ſimilibus agunt. Reliqui de ſpecialibus agunt materiis, de quibus infra. Commendat hac in parte Marville Melanges d' hiſtoire & de litterature p. II. p. 317. HENRICI STEPHANI tractatum *de origine mendorum*, de quo dicit, quod non ſatis æſtimari poſſit, dignus vt iterum imprimatur, ob nimiam raritatem. Vtiliſſimum autem eſſe dicit iis, qui incipiant legere auctorem. Sed fateor, librum me nunquam vidiſſe, immo plane dubitare, an vnquam editus ſit. Nec enim in bibliothecarum catalogis, nec etiam in catalogo librorum excuſorum Henrici Stephani continetur. Immo Almelouen de vitis Stephanorum

phanorum p. 93. ait: *libros de mendorum origine & encomium artis equestris, quod composuerat, vel ipso fatente, non euulgauit.* Ipse Stephanus in dedicatione ad Thomam Rhedigerum, commentario de idiomate linguæ Atticæ præfixa, cum dixisset, quam periculosa sit dialectorum ignoratio, tandem addit: *sed de his latius in meo de mendorum origine opere, cuius specimen aliquod iam pridem exhibui.* Specimen itaque saltim se edidisse dixit, quod nullum aliud esse puto, quam ipsius *dialogum de bene instituendis Græcæ linguæ studiis, 1587. 4,* in quo multorum errorum in græcis litteris originem arguit. Liceat ergo hoc inter Marullii errores numerare, vsque dum aliud demonstratum fuerit.

§. XXII.

In ipsis vero bibliothecis frequentandis hæc præ cæteris sunt obseruanda, vt, si fieri poterit, horis potius continuis, quam interruptis iis vtamur. In bibliotheca autem eos tantum libros percurramus, qui non multum requirunt temporis, in quo vero plura occurrunt, quæ vsibus nostris esse possunt, mutuo sumamus, si concedatur, quo ipso facilius bibliothecis poterimus vti. Optimum duco, si duo vel tres, qui eadem studia, eosdemque profectus habent, societate quasi inita, coniunctim vtantur bibliotheca eadem, iuste inter se partiti operas, vt vnusquisque certam

certam librorum præ se sumat partem, quam modo superius monstrato percurrat atque adnotet, illique singulis septimanis symbolas conferant secum inuicem communicantes, quod quisque per hebdomadem excerpserat. Integrum inde & nobis erit, libros a socio adnotatos leuiter percurrere, quo exteriorem eorundem adipiscamur cognitionem.

§. XXIII.

Excerpta autem nobis ad manus sint vel litteraria, vel si ea non commode nobiscum ferre liceat, præter ea quoque liber quotidianus, in quem scribamus sine ordine, quæcunque nobis obueniunt notatu digna, ita tamen, vt excerpta cuiuslibet libri separatim extent, neque intermisceantur excerpta ex aliis desumta. Hæc domi sub suis quæque classibus, prout libros in bibliothecis nostris selectis disponere docemus, iuste notemus, librum tamen quotidianum, cum sæpe excerpti cuiusdam in bibliotheca facti reminiscamur, æque seruantes.

§. XXIV.

In peregrinando, vbi nobis aditus datus est ad bibliothecam, circa eius dispositionem & ordinem primum erimus solliciti: dein eius memorabilia, præfecti ductu, percurramus breuiter. Attentius inprimis perlustremus manuscripta, circa hæc potius occupati, quam circa libros impressos. Horum

autem

autem nobis expetamus catalogum, ex quo potiora seligamus, Manuscriptos codices accuratius secundum antiquitatem, ornatum aliasque regulas examinemus, singula bene adnotantes, Quod si etiam ipse Mstorum catalogus nobis ad describendum concedatur, facile adripiamus occasionem; cum bibliothecarum Msta non minima res sint in re litteraria. Lustratis Mstis, ad reliqua pergamus bibliothecæ cimelia, nummos, antiquitates, aliaque rariora, in quibus vel hæreamus diutius, pro merito subiecti, vel leuiter tantum attingamus ea, horum etiam potiora adnotemus in pugillares, qui semper ad manus sint. Inde pergamus ad libros, quos cum ob temporis rationem habendam percurrere semper non licet, rariores, qui in ea continentur, vt indicentur, petamus, & si qui inter hosce obueniant, de quibus nondum nobis constat, vt monstretur liber, petamus. Libros etiam quosdam rariores, quos vel maxime videre desideramus, habeamus præmeditatos, in catalogo inquirentes, an ibi reperiantur, eos dein expetentes. Quod si per plures dies vel hebdomades hæremus in loco quopiam, bibliothecæ vsum nunquam negligamus, quo ipso non noua solum indagamus semper, quæ nondum vidimus, sed etiam, cum bibliothecæ conuentus esse soleant eruditorum, facilior nobis orietur occasio,

eruditos noſcendi, cum iisdemque conuerſandi. Inter prima vero duco, ſi cui datum fuerit, bibliothecam peregrinam cum viro erudito inuiſere, qui accuratiorem habeat rei litterariæ notitiam. Hic enim bibliothecæ arcana, quæ ipſi ſæpe ignorant præfecti, melius nouerit elicere. Quod ſi autem præfectus talis ſit, qualis eſſe debet, ex vtrorumque discurſibus multa hauriemus, quæ nobis vſui eſſe poſſunt, quæ ſi non vbiuis obuia, non pudeat nos in pugillaribus noſtris adnotare. Inter præcipuos etiam peregrinationis vſus referenda eſt conuerſatio cum eruditis cuiuslibet loci, quam non negligamus, ex his enim ſtatum rei litterariæ recentiorem optime ſemper habebimus compertum. Quantum autem ad ipſam peregrinandi rationem, optimus eſt tractatus *de l' vtilité des voyages & de l' avantage que la recherche des antiquités procure aux ſcauans, par Monſ. BAUDELOT de DAIRVAL, à Paris 1686. 12*, qui, quidquid ad ſtatuas, aliaque antiquitatis monumenta, numiſmata, Mſta, aliaque noſcenda facit, multa cura expoſuit.

CAPVT SEXTVM.

DE EPHEMERIDIBVS ERVDITORVM.

§. I. *Ad notitiam rei litterariæ faciunt ephemerides diuerſis in locis editæ, quæ vtilitatem eximiam habent*

habent. §. II. Photius an inter Ephemeridum scriptores sit numerandus. §. III. Galli auctores ephemeridum, inter quas primæ Iournal Sçavant. §. IV. Sunt præterea Gallorum Mercure Galant, & Mercure Sçavant. §. V. Pauli Colomesii Bibliotheca selecta. §. VI. Gallorum Iournal ecclesiastique & Memoires de l' eglise, Abbatis de la Roque. §. VII. P. Hommey Fasti anni §. VIII. Nouuelles decouuertes de Blegny, Iournaux de Medicine, potius in variis obseruationibus consistunt. §. IX Memoires de Trevoux. §. X. Parisiensium essais de litteraure. §. XI. Nouum Gallorum Diarium an editum. §. XII. Anglorum Philosophicæ Translationes & Memoriæ Ingeniosorum. §. XIII. Nouum Londinensium diarium. §. XIV. Francisci Natzarii Giornali de letterati Romanum. §. XV. Venetorum Giornali de letterati. §. XVI. Parmensium Giornali de Letterati Mutinæ continuatum. §. XVII. Ferrariensium ephemerides. §. XVIII. Parmensium nouum diarium. §. XIX. Brixiensium & Florentinorum ephemerides. §. XX. Apud Germanos Acta eruditorum præcipua. §. XXI. Ephemerides Hamburgensium. §. XXII. Lubecensium noua litteraria. §. XXIII. Hamburgensium noua Litteraria. §. XXIV. Obseruationes ad rem litterariam Halensium. §. XXV. Acta lit-

litteraria ex Manuſcriptis edita. §. XXVI. Bibliotheca antiqua. § XXVII. Miſcellanea Naturæ Curioſorum. §. XXVIII. Chriſtiani Thomaſii Monatliche Gedancken. § XXIX. Wilhelmi Erneſti Tentzelii Monatliche Vnterredungen. § XXX. Tentzels Curieuſe Bibliothec. §. XXXI. Monatlicher Gedancken Auguſtus. §. XXXII. Gottfried Zenners Nouellen aus der gelahrten Welt, und Parnaſſus. §. XXXIII. Riſti & Franciſci Monatliche Vnterredungen, Monatliche Erzehlungen allerhand curioſitäten, die aufgefangene Briefe, hiſtoriſcher und politiſcher Staats-Mercurius & eiusmodi ephemerides. §. XXXIV. Talanders Monatliche Helicons-Früchte. §. XXXV. Eccards Monatliche Auszüge. §. XXXVI. Die gelahrte Welt oder ohnpartheyliche Conferentien. §. XXXVII. Valentini Erneſti Löſcheri altes und neues. §. XXXVIII. Neue Vnterredungen zu Halle. §. XXXIX Petri Ambroſii Lehmanns hiſtoriſche Remarquen. §. XL. Nouueau Iournal de Berlin. §. XLI. Acta medica Hafnienſia. §. XLII. Apud Belgas primum prodiit Mercure Scauan. §. XLIII. Petri Bælii nouuelles de la republique des lettres. §. XLIV. Iacobi Bernhardi Nouuelles de la Republique des lettres. §. XLV. Basnage hiſtoire des ouurages des Sçauans § XLVI. Bibliotheca vniuerſalis & hiſtorica. § XLVII.

Petri

Petri Rabi Boeckzaal von Europa. §. XLVIII. Ludolphi Neocori Bibliotheca librorum nouorum. §. XLIX. Clerici Bibliotheque choisie. §. L. Scheuchzeri noua litteraria Heluetica. §. LI. Cornelii a Beughem adparatus ad rem litterariam.

§. I.

RES litteraria inexhausta est, nec in tanta librorum, quæ hodienum est, multitudine sufficienter excoli poterit. Potior autem res in eo consistit, vt de selectu librorum seruando simus solliciti. Hunc quidem non ex Bibliothecis solum & præceptis, sed variis etiam eruditorum ephemeridibus addiscimus. Elegantissimum est de hisce CHRISTIANI IVNCKERI *schediasma historicum de ephemeridibus siue diariis eruditorum in nobilioribus Europæ partibus hactenus publicatis*, quod *Lipsiæ* prodiit *1692. 12*, quo singula eruditorum diaria ad suam vsque ætatem persequitur, eodemque in sequentibus sæpius vsi fuimus. Controvertitur a multis, an etiam vsum præstent eiusmodi ephemerides. Sunt enim, qui adserere non dubitent, obrui per eas animum lectoris potius librorum multitudine, non tamen liberari a præiudiciis, quod melius fiat ipso libro perlustrato, quam huius nuda recensione. Auctores autem ephemeridum

vanitatis arguunt, cum, si parum sint docti, publicæ eruditorum expectationi non satisfaciant: si vero doctrina polleant, eam longe vtilius collocare possint. Verum, cum nobis non detur, singulos libros introspicere, immo etiam multum temporis requiratur, singulos, quotquot occurrunt, perlustrare, eo nos ducunt tales ephemerides, vt in compendio sciamus, quid in singulis libris tractetur, quo eo facilius perspiciamus, quosnam ex iis ad nostrum institutum studiaue seligere debeamus. Ex iisdem autem addiscimus non solum excerpta librorum, rarissimorum sæpe, quos vix vnquam introspicere nobis datur, sed etiam nouas opiniones, noua inuenta, controuersias & bella eruditorum, horum fata & singularia quæuis, quæ alias non tam facile cognoscuntur. Ita, vt satis pateat, vsum eas habere eximium.

§. II.

Inter ephemeridum scriptores primus habetur PHOTIVS, Constantinopolitanus Patriarcha, cuius *Myriobiblon* seu *Bibliothecam* librorum, quos legit & censuit, græce edidit *David Hœschelius*, *Augustæ 1602. f.* græce & latine cum notis suis *Andreas Schottus*, *Rothomagi 1653. f.* Huc eundem retulit CONSTANTINVS WOLFFIVS dissertatione sua *de Photio Ephemeridum eruditorum inuentore*, *Witteberga*

tebergæ 1689. 4. Retulit eo etiam Iunckerus. Verum, ſi penitius conſideremus, excerpta ſunt, non recenſiones librorum, licet ad hoc vtilia, vt inde diuerſa deperditorum auctorum hauriamus fragmenta. Licet hoc non negandum, quod de auctoribus iudicia quædam adiecerit.

§. III.

Primi Ephemeridum auctores ſine dubio fuerunt Galli, quos ſecuti Angli, Italique; hos Germani & Dani, & demum Bataui. Primæ ephemerides Gallicanæ dictæ IOVRNAL DES SCAVANS, quæ primum Pariſiis editæ, recuſæ ſtatim Amſtelodami. Auctor harum ephemeridum eſt HEDOVILLIVS, Dominus de SALLO, Parlamenti Pariſienſis conſiliarius. Hic, vti tradit Maruille in Melanges tome I. p. 290. compoſuit tantum tredecim ephemerides a 5. Ianuarii vsque ad 30. Martii, quo annus 1665. deſiniti, cum eodem anno moreretur Sallo ex mœrore, quod centum millia thalerorum ludo perdiderat. Hic autem non ipſe has ephemerides compoſuit, ſed vti ex præfatione Tomi primi patet, excerpta librorum a variis elaborata tantum digeſſit. Exinde continuandas haſce ephemerides ſuſcepit IOANNES GALLESIVS, qui a Ianuario 1666 incipit, quare tomo ſecundo præfixum eſt, *par le Sieur G. P. Gallois Pretre.* Cum vero ab anno

1668 parcius ederentur hæ ephemerides, supplere hunc defectum voluit IO. BAPTISTA DIONYSIVS libro suo, quem inscripsit *Recueil des Memoires & conferences sur les arts & les sciences presenté à Monseigneur le Dauphin pendant les années 1672. 1673. & 1674.* Potissimum autem eius curæ consistunt in variis experimentis anatomicis atque Mathematicis, quibus tamen intermiscentur etiam excerpta librorum. Verum cum anno 1674. desiit hoc institutum, immo eiusdem anni binæ saltim prodierunt sectiones, atque ab illo tempore & anno 1675. sedulo hæ eruditorum ephemerides (*Iournal des Scauans*) fuerunt continuatæ. Gallesius igitur ephemerides easdem continuauit vsque ad septimum Tomum. Licet non solus nunc susceperit laborem, sed eundem adminiculatus fuerit *Claudius de Comiers*, vti nos docet Mercurius Politus anni 1681. Testatur illud quoque Titulus Tomi IV & V. de annis 1675, 1676 & 1677. vbi hæc verba *Par le Sieur G. P. A. D. C. Gallois Pretre, Abbatem de Comiers.* Tomus VI. vero solum litteras *G. P.* præfert. Tomus VIII. monstrat has litteras *A. D. L. R. Abbas de* la *Roque*, qui etiam in præfatione Tomi XIII & XIV. nomen suum exprimit, ita vt credendum facile sit, hunc Abbatem eo vsque laborem suum perduixsse. Reliquos vero tomos adscribunt Cusino, Præsidi curiæ Mone-

Monetariæ, licet etiam ex præfatione Tomi XV. verbis, *ceux qui travaillent a ce journal* pateat, plures symbolas contulisse, Anno 1702. de maiori cura promouendis hisce ephemeridibus certus ordo factus, sex constitutis viris eruditis, qui laborem susciperent. Fuerunt isti in physicis & medicis *Andry*, in Mathematicis *de Fontenelle, du Pin* in Theologicis, *de Vertot* in Historicis in Iurisprudentia *Razicot*, in linguis *Bourchard Cousino* etiam operas collocaturos. Inter hos Du Pin exuli, substitutus Mons. Bigre, atque continuantur adhuc sub protectione Cancellarii regni Galliæ, dirigente Abbate Bignonio. Hinc etiam Tomo trigesimo, sine ephemeridibus anni 1702 noua præfixa est præfatio, quæ de nouo hoc ordine atque instituto docebit, & quod nouimus, continuantur adhuc hodie. Singulare est iudicium, quod de auctoribus ephemeridum harum habet Marville T. 1. p. 269. *M. Sallo a vne critique fine & vne grande delicatesse de iugement. M. Gallois, qui lui a succedé, nous auroit fait plaisir de ne pas quitter la partie. L' abbé de la Roque s' est tué de bien faire; & quelques loüanges, qu' il ait affecté de donner à de certains Auteurs plutost qu' à d' autres, il est mort sans recompense. Mr. Cousin fait parfaitement sa langue: mais depuis peu il affecte vne mechante orthographie.* Singuli Tomi habent suum indicem librorum & materiarum, editæque ephemerides

 sunt

ſunt vel quolibet octiduo vel die decimo quinto. Inſtitutum conſiſtit non ſolum in recenſendis libris, ſed etiam vitis, elogiis & controuerſiis eruditorum, nouis inuentis, experimentis Chymicis, aliisque nouis litterariis. Et quidem dicendum eſt, quod in librorum recenſionibus ob diuerſitatem auctorum, imparem ſæpe in iis animaduertere liceat induſtriam. Egregia plerumque continent problemata mathematica, quæ reſoluuntur, experimenta phyſica, anatomica & chymica, quæ proponuntur, & multa, quæ ad antiquitates & rem nummariam faciunt. Hæ ephemerides ab initio tanto adplauſu ſuſcipiebantur, vt priores etiam duo Tomi in latinum ſermonem transferentur a FRIDERICO NITSCHIO, *Lipſiæ 1667. & 1671. 8.* licet non vbique ſatis accurate. Sic etiam in Anglicum atque Italicum ſermonem harum Ephemeridum initia ſunt translata. Alii quoque multa ex iisdem, ea maxime, quæ noua concernunt inuenta, tranſcripſerunt. Nihilominus tamen, cum aliquando minus æque de ſcriptis quorundam ſentirent, varios nactæ fuerunt aduerſarios, vtpote Carolum Patinum, Tanaquillum Fabrum, Ægidium Menagium, Ioannem Claudium, Ioannem Harduinum, Samuelem Puffendorfium, Fridericum Böckelmannum & Thomam Bartholinum. CORNELIVS a BEVGHEM

edidit posthæc *La France Scavante*, siue *Galliam eruditam, criticam, experimentalem nouissimam, Amstelodami 1681. 12*, quam indicem esse voluit vniuersalem in omnes hasce ephemerides, sed nil egit, nisi vt summaria & titulos ephemeridum digereret, ita, vt parui sit vsus.

§. IV.

Habemus præterea apud Gallos duos adhuc Mercurios: alterum dictum MERCVRE GALANT, alterum MERCVRE SCAVANT, licet hic Gallum quidem auctorem habeat, in Belgio tamen excusus. Quantum ad priorem, auctor illius esse dicitur IOANNES DANNEAV eques, *Dominus de* VIZE, licet iam antea sex volumina huius Mercurii prodiisse dicat mense Martio 1677. p. 11. Eius titulus est: *Le noueau Mercure Galant, contenant tout ce, qui s' est passé de curieux, depuis le premier de Ianvier iusq' au dernier Mars 1677, Tome I. à Paris 1677. 12.* Quouis igitur mense prodiit integer tomus, & quandoque duo, præter quatuor ordinarios, cuiuis trimestri additos, in quibus ea, quæ in ordinariis locum non habebant, collocantur. Continuatur hic Mercurius adhuc hodierno die. Statim autem ac apud Gallos Mercurii huius pars prodierat, Belgæ illam recudi faciunt, aliqua quandoque vel immutando, vel addendo, vel decerpendo, de quo vero aucto-

auctores conqueruntur. Referuntur in hoc Mercurio varia, quæ non solum ad statum litterarium, sed etiam publicum faciunt. Recensiones librorum, inscriptiones, numismata, carmina, descriptiones & expugnationes vrbium, natiuitates & mortes Principum, introductiones legatorum & alia solennia in aulis Principum & similia, quæ quotidie occurrunt. Varia vero iudicia hic Mercurius fuit expertus. Quippe auctor libri *les caracteres des moeurs de ce sicle*, de hoc ita: *Le Mercure Galant est immediatement au dessous du rien.* Acta Eruditorum Lipsiensium mense Augusto anni 1689. p. 403. notant, non nisi farraginem esse citra boni & mali, veri & falsi discrimen. Quidquid sit, licet selectum non adeo obseruauerit auctor, multa tamen congessit curiosa & notatu digna, licet inspersis quibusdam nullius momenti. De altero siue MERCVRE SCAVANT, infra sub Belgis.

§. V.

PAVLVS COLOMESIVS Bibliothecam selectam Gallice conscripsit, sub titulo: *Bibliotheque choisie*, atque edi curauit, *Rupellæ 1681. 12.* In hac centum librorum antiquiorum, recentiorum, breuem refert historiam & recensionem, nullo seruato ordine vel selectu materiarum. Adcurate iudicat, sine vllis adfectibus, errores tamen extantiores notat. Neque tamen hunc laborem, vtilissimum

mum licet, postea nouimus esse continuatum.

§. VI.

Taceo iam ephemerides ad Historiam ecclesiasticam facientes, seu *Iournal ecclesiastique où memoires de l'eglise*, quas *Abbas de la* ROQVE cœpit anno 1681. easque singulis mensibus continuandas. In quo de viris religiosis, missionibus pontificiis, nouis templis, miraculis & similibus agere constituerat. Exhibuerat labores primum Petro Seguierio, Galliæ Cancellario, cui displicebant: illo tamen mortuo, Regis indultu editionem obtinuit. Sed, cum speratos successus non haberet hoc institutum, tantum, quæ in statu ecclesiastico 1685 & 1686. euenerant, sex libris comprehendit, sub titulo: *Memoires de l'eglise, à Paris 1690. 4*, in quibus aliquando iniquus est in Protestantes. Instinctu Cleri Gallicani has scripsit, in quibus de viris & fœminis conuersis, nouis sanctis, repertis sanctorum reliquiis, harumque translationibus, nouis institutis scriptorum, statu ecclesiarum, edictis ecclesiasticis, & similibus agit. Summam habent Acta Eruditorum mensis Aprilis 1691, quæ etiam varios eiusdem errores in rebus Germanicis adnotarunt.

§. VII.

De P. HOMMEY, Augustiniano, testantur Acta Eruditorum anno 1701. p. 144, quod

quod editurus dicatur nouum diarium latine & gallice hoc titulo: *Fasti annui, in quibus res politicæ insigniores. ecclesiasticæ, litterariæque, per vniuersum orbem, primo seculi decimi octaui anno 1701 breuiter narrantur.* Neque tamen de iisdem, quod editi sint, constat.

§. VIII.

Taceo Nicolai de Blegny *Nouuelles decouuertes sur toues les parties de la Medicine anno 1679*, singulis mensibus editas. Taceo *Iournaux de Medicine, ou obseruations de plus fameux medicins, Chirurgiens & Anatomistes de l' Europe tirées des iournaux des pais etrangers & des memoires particuliers enuoyes a Mr. l' abbé de la Roque, a Paris 1683. 12*, quæ singulis mensibus continuare instituerat, vix quatuor mensibus perfectis, & similia, quæ solum in obseruationibus, non vero librorum recensione consistunt.

§. IX.

Paucos ante annos cœperunt apud Gallos edi *Memoires pour l' histoire des sciences & des beaux arts, à Treuoux & Amsterdam 1701. 8.* Cœpit hoc institutum iussu atque auctoritate Ducis Cenomanensis, anno 1701, qui erecta in territorio suo apud Treuoltienses typographia, voluit, vt singulis mensibus tales ederentur ephemerides. Auctores sunt viri eruditi, RICHARDVS SIMON, aliique Societatis Iesu, tales præcipue, qui multum habent,

habent etiam cum exteris litterarum commercium. Institutum horum est, vt hæ ephemerides contineant excerpta omnium librorum, vbicunque terrarum impressorum, & quidem promittunt, se omnes librorum recensiones ad ipsos transmissas inserturos. Inseruntur hinc inde variæ explicationes locorum difficiliorum Sacræ Scripturæ, explicationes numismatum noua reperta physica, medica, atque mathematica, eandemque ob causam integræ sepe epistolæ, vel si longiores fuerint, ex iisdem excerpta. Neque solum hæc veniunt æstimanda, sed etiam quod multa de illustribus eruditorum controuersiis, apud Gallos maxime, proponant, harum originem, rationem & capita potiora recensentes, quod non inter minima est habendum. Dolendum tamen est, quod, cum ex Societate Iesu sint collectores, non solum in horum scriptis vltra modum extollendis studeant, sed etiam multa ex odio contra scripta Protestantium proponant, ita, vt Belga quidam Nobilis in censura sua de hisce ephemeridibus, quæ continetur mense Iulio 1701. *Belg. p. 134.* ita iudicet: *en fin, si ceux pour l' execution de son deßein, n' adoucissent leur Critique, ils sont allumer vne guerre dans la republique des lettres. qui repandra bien de l' ancre & barbouillera bien du Papier.* Hæ autem ephemerides, quam primum apud Gallos editæ, statim

impri-

imprimuntur iterata vice apud Belgas Amstelodami, eædemque augentur obſeruationibus quibusdam IOANNIS CLERICI, maxime vbi durius quodammodo locuti auctores contra Proteſtantes. Adduntur quandoque noui articuli aſteriſco notati, qui tamen plerumque in refutationibus eorum conſiſtunt, quæ in ipſis ephemeridibus propoſita. Adnectunt etiam Belgæ in ſua editione noua litteraria, in quibus rariores continentur obſeruationes vel de controuerſiis, ſcriptis edendis, mortibus eruditorum, aliisque egregiis, quæ ſcitu maxime ſunt neceſſaria. Inuitat autem editor Belga omnes eruditos, vt, ſi quæ habeant, quæ velint inſeri, ad bibliopolam transmittant, promittens illa ſe inſerturum. Cum autem illa communicata, e quibus noui ſemper adnexi ſunt articuli, nimis excreſcerent, conſultius iudicarunt, ſupplementa addere, quæ etiam prodierunt, ſub titulo: *Supplemens des Memoires pour l' hiſtoire des ſciences & des beaux arts, à Amſterdam 1702 8. Tomus II.* In hoc ſupplementorum tomo potiſſimum continentur *Secreta monita Societatis Ieſu*, aliaque, quæ horum artes & varias inter ſe controuerſias, quas in China habent, detegunt, quæ cum prolixiora ſint, ſingulari tomo reſeruauit editor. Continuatas has Memorias nouimus vsque ad finem anni 1703. Primum quidem editor

tor Belga sub initium mensis Iulii lectorem aduertit, se, prohibitum licet sit cum Gallis commercium litterarum, nihilominus esse continuaturum iteratam impressionem vsque ad finem anni. Præstitit etiam illud & cum eodem anno desinit, vbi in fine Nouembris lectorem ita aduertit: *l' impossibilité où ie suis de receVoir la suite de ces Memoires, outre à l' avis que i' ay eu de Geneve, qu' on etoit sur le point de les discontinuer à TreVoux, faute de matire, m' oblige aussi a les discontinuer.* Adiectus interim Decembri index in singulos priores sex tomos. An postea Triuoltii fuerint continuatæ, ob difficilius cum Gallis commercium plane non constat.

§. X.

Annos ante aliquot, nouum prodiit institutum sub titulo: *Esais de litterature, à Paris 1702. 12.* Cœpit illud mense Iulio istius anni, & continuatum per duodecim ephemerides vsque ad Iunium 1703. Nouum esse voluit auctor, & separatum ab aliis. Ipse enim sibi se proposuisse dicit, *de ne traiter precisement que certains liures recommendables par leur antiquité, par leur rareté, aù par leur singularité; de discerner les meilleures editions, qui en ont fait supprimer quelquel vns, & ceux qu' on a retranchés ou aioutés à d' autres & de ren-*

dre sur tout au public la connoissance de certains liures curieux & secrets que le temps a fait perir, où a fait deuenir si rares, qu'ils sont entierement inconnus même à la pluspart des gens de lettres, qui ont le plus d'erudition. Scilicet, non tam libros recentiores sibi proposuit auctor, quam alios, qui vel antiquitate vel raritate sunt insignes. Certe, laude dignus esset labor, si hæc seruasset semper, quæ promiserat. Negliguntur enim communiter libri antiquiores, nec nisi recentiores in omnium ore sunt, cum tamen ex hisce solis non sapiamus, nisi antiquiores quoque addamus. Sufficit autem nobis hic adducere, quid auctor articuli VI Memoires de Trevoux mensis Ianuarii 1703, qui ab editore Belga adiectus est, de hoc examine censeat. *Ce qu' il a donné* inquit, *qui se raporte à son plan est tres-bon & tres-curieux: mais ces endroits-la sont si peu en nombre, qu' au lieu de faire principal de l' ouurage, comme la raison le demandoit, ils n' en sont qu' a peine l' accessoire. La plûspart des livres, dont il a parlé dans son premier Essai, ne sont point rares & les choses, qu' il en dit, le sont encor moins: elles se trouuent où dans les lettres de Mr. Simon,*

ou

ou dans la Bibliotheque de Mr. du Pin, où dans les Melanges de Vigneul-Maruille, où dans le Iournal des Sçauans, où dans le Dictionaire de Moreri, où dans le Dictionaire Historique & Critique, où dans d'autres livres noueaux, & connus de tout le monde. Les essais suiuans n'ont eté guere moins exposés au méme reproche, si vous exceptés celuy de mois de Nouembre, qui contient vn peu plus de choses proportionées au premier proiet. Pergit censor, additque, quid obseruare debeat auctor, si proposito respondens esse velit suum examen: vt non nisi libros raros tractet, horum materiam, obiectum, occasionem, proprietates, editiones proponat, de auctore, non quæ vbiuis obuia, sed singularia tradat, nihil sine auctoritate relinquat, in laudando non sit nimius. Notauit etiam censor aliquos errores, quos auctor commiserat, qui plerumque chronologici sunt, quandoque etiam typographici.

§. XI.

De nouo Gallorum Diario nobis promittit Iacobus Bernardus, Nouuelles de la Republique des lettres mense Ianuario 1705. p. 97. dum ait: *Quatre des Auteurs du Iournal de Sçavans, ont entrepris de publier vn*

nouveau Iournal, qui sera vn abregé de tous ceux, qui s' impriment actuellement dans les Pays etrangers, & de tems en tems ils en donneront vn autre des années precedentes, en commençant par celle, où ils ont eté publies pour la premiere fois. Institutum itaque hoc est, vt excerpta præstantiorum materiarum ex omnibus huc vsque editis diariis eruditorum, publice exhiberent, quo ipso non solum sumtibus parcerent, sed etiam tempori, quod in lectionem tot ephemeridum impendendum. Neque tamen ob prohibitum commercium litterarum constat, an de hoc quidpiam editum.

§. XII.

Angli proximi sunt, qui Gallos imitati. Nota enim horum est SOCIETAS REGIA, cui Baco Verulamius prima dedit fundamenta, post eius mortem vero demum stabilita 1663. Historiam illius scripsit THOMAS SPRAT, anglico idiomate primum editam, post gallice versam *Geneuæ 1669. 8.* nuper etiam anglice *Londini 1702. 4.* recusam. Refert in ea Spratus occasionem, originem, diplomata, statuta & dispositionem totius instituti, de Præside, Consiliariis & membris collegii agit, noua inuenta refert, & quæ sunt similia. Huius societatis acta, non iussu societatis, sed proprio nomine & motu

edidit

edidit HENRICVS OLDENBVRGIVS, vti ipſe teſtatur in admonitione ad lectorem *vol. I. p. 160.* Prodierunt autem ſub titulo: *Philoſophical transactions-Giving ſome accompt of the præſent vndertakings, Studies and Labours of the Ingenious in many conſiderable parts of the World Vol. I. For. anno 1665. and 1666,* ſiue *Philoſophicæ transactiones, exhibentes relationem modernorum ſtudiorum, actorum & laborum ingenioſorum hominum in omnibus mundi partibus.* Ipſe collector in dedicatione voluminis primi ad Societatem regiam, nomen ſuum ſubſcripſit. Hic autem XII volumina edidit, quorum vltimum *Londini 1676* prodiit. Horum etiam aliquæ partes in latinum ſermonem fuerunt translatæ. Anonymus quidem edidit *Acta Philoſophica Societatis Regiæ in Anglia anni 1665, 66, 67, 68, 69, auctore Henrico Oldenburgio, Soc. Reg. Secretario anglice conſcripta & in latinum verſa a Ioanne Sterpino, Francofurti 1671. 8. & Lipſiæ 1675. 4.* Hanc tamen verſionem tanquam non adeo accurate factam ipſe arguit Oldenburgius, ita, vt teſte Morhofio Polyhiſtore *lib. I. cap. XVI. p. m. 181.* ipſe auctor integram verſionem nouam in animo habuerit. Mortuo Oldenburgio, has ephemerides continuauit D. HOOCK

 no-

nomine tamen non expreſſo, mutato titulo, ſubſtituendo: *Philoſophical Collections.* Hic ab anno 1679, vsque ad Aprilem anni 1682, opus continuauit, ſpartam poſtea ſuſcipiente NEHEMIA GREW, qui volumen XIII abſoluit. Voluminis XIV auctor eſt ROBERTVS PLOT, Director experimentorum in Societate Philoſophica Oxonienſi & Secretarius Societatis Regiæ. Volumen decimum quintum edidit WILHELMVS MVSGRAVE, decimum ſextum EDMVNDVS HALLEY, ſequentes duos RICHARDVS WALLER, & reliquos IOANNES SLOANE edidit, qui tamen & ipſe ante annum mortuus. Continent autem iſtæ non ſolas relationes & experimenta naturalia, medica, chymica & mathematica, ſed recenſiones etiam variorum librorum recens editorum, tum naturalis, tum moralis Philoſophiæ, & nouimus, reliquos Scriptores ephemeridum in ſuis ephemeridibus potiora excerpta ex transactionibus adducere. Haut ita pridem prodierunt *Miſcellanea curioſa*, quibus inſeruntur ſaltim obſeruationes rariores & magis curioſæ, quorum continuatio promittitur. Aliud quoque ſibi propoſuerunt, ſcilicet *epitomen Transactionum Philoſophicarum*, in quam ſaltim excerpta potiorum obſeruationum redigenda.

§. XIII.

§. XIII.

Sexennium est, cum singulare diarium adgrederentur Angli, quod sub titulo prodiit *The History of the Works of the Learned*, *Londini 1699*. Plures habet auctores, per menses singulos prodit atque continuatur.

§. XIV.

In Italia primum edi cœptum est diarium, quod inscribitur: *Giornali de Letterati, dall' anno 1668, fine all' anno 1675, dedicati Eminent e Reu. Signor Cardinal Camillo Massimi. In Roma 1678, per Nicolo Angelo Tinassi.* Auctorem huius diarii ipse se professus est FRANCISCVS NAZARIVS, nomine præfixo ad annum 1674. Cœpit anno 1668, desiit anno 1681, ita, vt per menses ederetur, præter aliquos annos, qui vel plures vel pauciores continent ephemerides. In hoc autem, non solum potiora continentur excerpta ex ephemeridibus Gallicis atque Anglicis, sed etiam Italorum obseruata Astronomica, Mechanica, physica & medica, quandoque etiam physiologica. Immo, recensiones variorum librorum, de quibus ita iudicat Caspar Bartholinus, in præfatione libri sui de tibiis veterum: *Francisci Nazarii ephemerides*, inquit, *tantum librorum cuiuscunque scientiæ & linguæ*

varietatem, tamque distinctam notitiam complectuntur, vt singularia eorundem, quæ ipse laboriose solus perstringit, clarius & solidius ab ipsis seorsim auctoribus haberi nequeant. Optimum etiam est elogium, quod ephemeridibus hisce tribuit Gallesius Iournal des Scavans 68. p. 158.

§. XV.

Secuti Romanos Veneti, qui ediderunt *Il giornale de Letterati in Venetia, 1671. 4*, per certas annorum mensiumque vices, vnica semper plagula. Cœpit illud d. 15. Februarii 1671, & continuatum fuit vsque ad 1681. Auctores sunt PETRVS MORETTI & FRANCISCVS MILETTI, qui nomen suum in certis diariis subscripserunt: ille quidem in diario VI, VIII, X, XI, XIII, XIV, XVII, XVIII & XIX, hic in nono, nec dubitandum, anteriores æque Moretti esse. Occasionem componendi has ephemerides dedisse ipsis adserunt, ephemerides Romanas & Transmontanas, vt vocant, seu Anglicas & Gallicas. Argumentum earum esse dicunt Excerpta ex ephemeridibus aliis, notitiam experimentorum, recitationes seu relationes academicas & compendia librorum, qui quandoque breuius, quandoque prolixius recensentur, additis nonnunquam elogiis. Obseruationes etiam physicæ, anatomicæ & mathematicæ

ticæ cum ab Italis transmissæ, tum ex diariis excerptæ, potiora faciunt. Præcipue vero ab auctoribus exponitur, quid in academia Theologica atque historica, Venetiis eo tempore actum fuerit.

§. XVI.

Post hasce, ephemerides aliæ Parmæ prodierunt, sub titulo: *il giornale de Letterati per tutti l' anno 1686, in Parma, per Giuseppe dall' Oglio, & Ippolti Rosati 4.* Auctores noti sunt eruditis, GAVDENTIVS ROBERTVS & BENEDICTVS BACCHINVS, ex aliis scriptis clari. Cœperunt autem 1686, & continuatæ vsque ad finem anni 1690. Singuli anni constant duodecim ephemeridibus, vsque ad vltimum, qui nouem tantum ephemerides continet. Caussam sibi fuisse dicunt, quod Romanum ac Venetum desierint, quare ipsi has symbolas contulerint, vt inuenta Italiæ cæteris doctis, & horum opera Italis mutuo commercio innotescerent. Inde, non in nuda solum recensione subsistunt, sed contrarias sæpe fouent opiniones, ita tamen, vt ab acri censura abstineant. Non solum autem libri recensentur, sed integri etiam discursus ab academicis Italicis habiti inseruntur, de multis antiquitatibus nouiter repertis agitur, eædemque explicantur, variæ quoque obseruationes physicæ, medicæ, astronomicæ atque mathematicæ inspergun-

tur, de virorum eruditorum, qui obierunt, vita, & libris quædam adiiciuntur, & similia, quæ ad vsum faciunt egregie. Certe, multam laudem apud omnes eruditos promeruerunt hæ ephemerides, vnum saltim nactæ aduersarium, abbatam Michaëlem Benuengam, cuius Proteo Secretario recensetur, 1690. p. 223, vbi inter alia eius scripta, de eius *Viaggio di Leuante* dicitur, quod hocce Itinerarium stylo non satis conuenienti sit exaratum. Quare singulari apologia se defendere conatus fuit Abbas, quæ integra inseritur anno eidem, nihil regerentibus auctoribus diarii. Anno 1691 nihil quidem publici iuris est factum, ast redintegratus labor anno 1692 non Parmæ, sed Mutinæ, de quo acta Eruditorum nos docent anni 1693. p. 45: *redintegrarunt laborem illum anno superiori 1692, nouumque orsi sunt volumen, cuius sectiones septem iam ad nos peruenerunt, non Parmæ tamen, sed Mutinæ excusæ, qua in vrbe absolutum illud iam esse, aut absolutum certe iri propediem non dubitamus. Deinceps vero, vt ex illustris Magliabechii litteris accepimus, Diarium istud Bononiæ continuabitur, postquam in academiam illam ad lecturam, quam vocant, seu professionem S. Scripturæ P. Bacchinus vocatus est,* pro-

proditurum, vt verosimile est, multo locupletius, quandoquidem P. Bacchinus, quod vniuerso operi per nouam functionem haud fideret parem se futurum, laboris sibi socios Dominicum Guilielminum, Bernardinum Ramazzinum, clarosque forte viros alios adsciscere constituit.

§. XVII.

Post hæc, prodiit *Il Giornale de Ferrara, 1691. 8*, cuius Ianuarium & Februarium tantum se vidisse dicit Iunckerus p. 273, atque sibi compertum, auctorem esse *Canonicum della* TORRE. *Varii* autem inquit, *ab illo recensentur libri, neque admodum prolixe, ac nec frequenter etiam censuræ alicuius vestigium adparet. Sed in calce vtriusque mensium adiectus est index librorum aliquot nouissime editorum.*

§. XVIII.

Nouum postea apud *Parmenses* cœpit Diarium eruditorum, quod latino sermone auspicatus dicitur PETRVS PAVLVS MANZANI, vti nos Acta eruditorum docent anni 1693. p. 45, neque tamen plura nouimus.

§. XIX.

Binæ adhuc memorandæ sunt Italorum ephemerides, quæ tamen ad physica & Mathematica saltim faciunt. Prima sunt *acta philexoticorum Brixiensia*, a Brixia Venetorum

aca-

academia ſic dicta. Philo-exoticorum nomen hæc adſumſit ſocietas, quia, vti ipſi in præfatione dicunt, *ſapidioribus exterarum nationum fructibus inhiant, atque id propter, ea, quæ in Italico ſolo naſcuntur, proferunt.* Nomina collegarum ex ipſis actis quædam eruit Iuncckerus p. 66. *Hippolytum Fenarolum, Carolum Masperonum, Leonardum Cominellum, Bernardinum Tombinum, Bernardinum de Bonis, Iulium Antonium Auerol-dum, Franciſcum Tertium de Lanis.* Edidit hæc acta HERMES FRANCISCVS LANTANA, patricius Brixianus, academiæ a ſecretis, hoc titulo: *Acta nouæ academiæ Philoexoticorum naturæ & artis, 1686, Celſiſſimo Principi Ioanni Franciſco Gonzagæ Duci Sabionedæ dicata, Brixiæ 1687. 8.* Cœperunt autem Martio menſe 1686, & continuatæ per LXVII. obſeruationes phyſico-medico, Mathematico-Aſtronomicas vsque ad Februarium 1687. In fine cuiuslibet menſis libri aliquot in Italia nouiter impreſſi recenſentur. *Alteræ Ephemerides Florentinæ,* ſub titulo: *Saggi di naturali eſperienze fatte nell' academia del Cimento ſotto la Protezzione del Sereniſſimo Prencipe Leopoldo di Toſcana in Firenze 1667. f.* nos, cum in obſeruationibus phyſicis & mathematicis conſiſtant, adeo non tangunt.

§. XX.

Germani nos vocant, qui Gallorum, Anglorum Italorumque exemplis moti, idem

tentarunt.

tentarunt. Cogitauerat de eo iam Morhofius, qui polyhistore libro I. cap. XVI. *p. 180.* ipse ita loquitur: *Iam XX. propemodum anni sunt, cum consilium non nemini suppeditarem, vt singulis saltem mensibus (vt in rebus politicis fieri solet) varias de rebus litterariis ex tota Europa conquisitas relationes publicaret, vsu eorum opera, quibus magnum est cum viris celebribus litterarum commercium: quod non ad libros tantum, sed & omnia cogitata & inuenta aliasque historias litterarias extendi vellem.* Tandem vero operam suscepit celeberrimus vir, OTTO MENCKENIVS, Adfinis atque Fautor meus Honoratissimus, obstetricante inprimis Friderico Benedicto Carpzouio, Ioachimo Fellero, aliisque Lipsiensium viris eruditissimis, quibus postea alii accesserunt, dum ex hac vel aliis academiis, qui vel inuitati, vel vltro, symbolas suas contulerunt. Ex horum collatione prodierunt atque adhuc prodeunt *Acta eruditorum*, quæ Lipsiæ singulis mensibus publicantur & cœperunt anno 1682. Auctores communi nomine se adpellant actorum collectores, qui symbolas suas ad Directorem mittunt, ab eo in ordinem redigendas. Prodierunt autem iamdum XXIV. Tomi integri, pro numero annorum, quibus hoc institutum continuatum, quolibet tomo continente XII ephemerides. Plerisque præmissa est dedicatio, atque adiectus est index au-

ctorum

ctorum, qui fuerunt recensiti, ad calcem quoque ephemeridum singularum addita, quandoque nouorum librorum intimatio, & ab Ianuario anni 1691, accesserunt ad exemplum aliarum ephemeridum noua litteraria ex diuersis terris, quibus varia, tum de edendis libris, tum de diebus emortualibus, vita & scriptis virorum celebrium, tum de aliis, quæ ad statum rei litterariæ faciunt, continentur, quod etiam ad hæc vsque tempora ita continuatur. Cum autem sæpe libri aliqui, qui tardius in Germaniam perlati, præterirentur, nec recensio illorum in ipsis actis, tardius solito fieret, addiderunt Supplementa, quorum iam tres Tomi integri extant; vnusquisque duodecim ephemerides continens. Cum autem excresceret indies ephemeridum numerus, & multiuaria in iisdem tractarentur, visum fuit Collectoribus, indices generales auctorum & rerum primi decennii & supplementorum Tomi primi componere, qui etiam per IOANNEM IACOBVM STüBELIVM & alios adornati, prodierunt *Lipsiæ 1693. 4.* eo potissimum consilio, vt, qui contenti esse hoc actorum decennio velint, habeant quasi opus integrum, nec necesse habeant, etiam reliqua, quæ post annum 1691 fuerunt edita, redimere; qui vero recentioribus maxime ducantur, compendium faciant sumtuum, eaque demum, quæ ab anno 1692 fuerunt edita, sibi comparent.
Hunc

Hunc insecutus nuper est *Index Generalis in alterum decennium & supplementorum Tomos duos posteriores, Lipsiæ 1705. 4.* In recensendis libris titulus adducitur, auctor, locus, annus editionis & bibliopola, additis etiam ab anno 1689. Alphabetis & plagulis, quot liber contineat. Recensent autem libros omnium disciplinarum & idiomatum, libros etiam Polonica & Suecica lingua scriptos, quot in aliis haut facile licet animaduertere. Potius tamen solliciti sunt in recensendis libris, id quod accurate faciunt, quam iisdem censendis, licet quandoque vel singularem adplausum, vel etiam dissensum suum testentur, idque pro genio eius, qui recensionis auctor est, quare diuersum animaduertere licet stylum. Noua inuenta Mathematica, Physica, Medica, aliaque curiosa, non solum ex ephemeridibus exterorum excerpunt, sed varias etiam obseruationes per litteras ad collectores missas inserunt, ita, vt nulla sit inter ephemerides, quæ non etiam obseruationes curiosas contineat. Tanto autem adplausu apud eruditos recepta fuerunt hæc Acta, vt etiam in gallicum sermonem versus Annus 1682, *Hagæ Comitum* prodiret *1685. 12*, & varii exterorum ephemeridum collectores excerperent ex iis, quæ meliora. Fuerunt tamen, qui scriptis singularibus eruditorum actis se opponerent. Inter hos est Ioannes Hen-

Henricus Eggelingius, qui myſteria ſua Cereris & Bacchi, Petrus Poiretus, qui Antoniam Burignoniam, Elias Snegas, qui abſurda dogmata ſua, Carola Catharina Patina, quæ patrem ſuum defendere conata fuit, contra cenſuras in actis propoſitas, & Io. Iacobus Gronouius, qui epiſtola Felleriana commotus, iram ſuam in Actorum Collectores, ipſamque academiam & vrbem Lipſienſem euomuit. Ipſi tamen, quid de eo eiusque ingenio ſentiant, ingenue fuerunt profeſſi Actis Eruditorum menſis Ianuarii 1703. p. 25. Quidquid tamen ſit, adplauſum meruere communem apud omnes. Vnicum ſaltim eſt, quod in iis deſiderauit Vigneul-Maruille in Melanges de l' Hiſtoire & de Litterature, Tome I. *p. 298*, vbi ait: *Les iournaux de Lipſic ont touiours eu de la reputation & bien des gens pretendent, que ce ſont ceux de tous, qui approchent de plus pres de la methode & du ſtile, qu' il faut garder dans ces ſortes d' ecrits. On en pourroit retrancher pluſieur prefaces, qui ſe trouuent ſans neceſſite à la tête des queſtions, ne peuuent paſſer que pour des pieces hors hors d' oeure.*

§. XXI.

Poſt hæc eruditorum acta, Hamburgi cœperunt Ephemerides litterariæ, gallice etiam ſub titulo: *Ephemerides Sçauantes* editæ *1686. 4.* Sed harum ſex tantum plagulæ prodierunt, in

in quibus non tam libri recensentur, sed solum noua litteraria, quæ ex diuersis orbis partibus acceperunt auctores, ipsis plerumque retentis scriptorum verbis. Hæ autem, cum in ipso ortu suo statim suppressæ, parum cognitæ ab eruditis, restitutæ tamen quodammodo per noua litteraria, quæ nunc ibidem eduntur. Postea quoque Ephemeridum eruditorum quatuor Tomi prodierunt gallice de anno 1694 & 1695, a Dno d' ARTIS publicatæ.

§. XXII.

Paucos ante annos cœperunt *Noua litteraria maris Balthici & Septentrionis*, edita *Lubecæ 1698. 4.* Primi horum nouorum litterariorum auctores sunt ACHILLES DANIEL LEOPOLDI, I. V. D. & IACOBVS a MELLEN, ecclesiastes apud Lubecenses, & quos habet socios varios. Institutum est, vt quid in re litteraria agatur per Ducatum Mecklenburgicum, in Pomerania, Prussia, Liuonia, Suecia, Dania & Holsatia commemorent. Præcipuum quod in hisce nouis litterariis, est index rerum, quæ geruntur vel eduntur in academia, Kiloniensi, Rostochiensi, Dorpatensi, & sane, cum alias notitia ex terris Septentrionis apud nos rara sit, in eo vsum præstat, si modo melior adhibitus fuisset selectus, cum inutilia sæpe, disputationes aliaque nullius momenti recenseantur. Singu-

lis autem mensibus duæ publicantur plagulæ, in quibus vel nummus quidam recentior, vel curiosa aliqua naturalia referuntur, atque adhuc continuantur.

§. XXIII.

Secuti hoc institutum fuerunt eruditi quidam apud Hamburgenses viri, qui anno 1703. *Noua* sua *litteraria* cœperunt, & hucusque continuarunt. Directores sunt PETRVS AMBROSIVS LEHMANNVS & GODOFREDVS STRASBVRG. Institutum est, vt quid per omnem Germaniam agatur, exceptis prouinciis versus Septentrionem sitis, quas Lubecensibus relinquunt, indicent. Æque hæc singulis mensibus, quorum vnusquisque quinque vel sex plagulis constat, prodeunt, ita, vt quid ad ipsos ex diuersis academiis, Ienensi, Lipsiensi, Halensi, Wittebergensi &c. aliisque locis perscribatur, vel de promotionibus, scriptis, disputationibus, morte viri cuiusdam celebris & similibus, nouis hisce litterariis inseri curent. Idque ipsis solenne est, vt breuem quoque adnectant scripti cuiusdam vel dissertationis recensionem. Non ipsi igitur singula exponunt, sed ea sæpius, quæ cum ipsis communicantur, digerunt. Addunt quandoque naturalia quædam, exponunt præsentem academiarum statum, Professores cuiuslibet Ordinis, Ministros in hac vel illa dioe-

diœcesi, etiam si de aliquo Scriptore agunt, eiusdem vitam, aliaque insimul eiusdem scripta indicant. Certe, institutum est laude dignum, neque laus sua deneganda est ipsi tractationi: intermiscentur tamen quædam, quæ nouorum litterariorum cupido partim sunt odiosa, cum non omnes curent, quæ nomina sint magistrorum Wittebergensium nouiter creatorum, nec quæ nomina pastorum in hac vel illa diœcesi degentium, vel Consulum & præfectorum in vrbibus municipalibus, & similia. Sed hæc forsan, quo eo citius diuendantur, fuerunt adiecta. Tres iam Tomi prodierunt integri, singulis annis subiectis est index auctorum atque rerum.

§. XXIV.

Quinquennium est, cum apud Halenses nouum, sub *Obseruationum selectarum ad rem Litterariam spectantium* titulo, inciperet institutum. Leges instituti erant, vt historiam sibi litterariam proponerent, communes refellerent errores, fabulas vulgo receptas exploderent, viros falso inculpatos defenderent, illustrium vitas exponerent, atque alia demonstrarent, quæ digna. Primi auctores erant CHRISTIANVS THOMASIVS & IOANNES FRANCISCVS BVDDEVS, celeberrimi viri, quibus se iungebant viri alias clarissimi, diuersis in

locis & academiis. Semeſtri ſpatio primum Tomi prodibant, & quidem Tomus primus & ſecundus, *Halæ 1700. 8*, tertius & quartus, *Halæ 1701. 8*, quintus & ſextus, *Halæ 1702. 8*, ſeptimus, *Halæ 1703. 8*, octauus & nonus, *Halæ 1704. 8*, decimus, *Halæ 1705. 8*. Magno applauſu primum opus recipiebatur, ad inſtituti leges probe accommodatum. Cum vero primi auctores, aliique, qui horum veſtigia ſequebantur, maioribus curis diſtenti, nihil amplius conferrent, non ſolum ſerius exhibebantur Tomi poſteriores, ſed etiam intermiſcebantur ab aliis obſervationes quædam, quæ ipſæ limam egerent. Ad prioris tamen imitationem germanico idiomate prodierunt *auserleſene Anmerckungen über allerhand wichtige Materien vnd Schrifften* erſter Theil, *Halle 1704. 8*, anderer und dritter Theil, *1705. 8*, licet non eadem ſemper induſtria, quantum ad priorem tomum maxime, qui potiſſimum translationes aliquas ex latino factas continet, licet poſteriores varia contineant curioſa & notatu digna.

§. XXV.

Ipſe quoque haut ita pridem inſtitutum cœpi, non noua quidem, antiqua tamen litteraria in modum ephemeridum conſarcinandi

nandi. Prodierunt enim *Acta litteraria ex Mstis eruta*, anno 1703. 8. Tot in omnibus terris iam editæ ſunt ephemerides, vt plane incongruum putauerim, easdem augere, alia igitur ingreſſus ſum via, ita, vt non editos, ſed ineditos plane recenſerem. Præmiſi quædam de manuſcriptorum criteriis, prout ſecundum ætates diſtinguantur, inde in primo faſciculo *Geſta Dagoberti Regis* inſeri curaui, ex Mſto Bibliothecæ Salanæ deprompta, quibus hinc inde varias ex antiquitate & hiſtoria Francica deſumtas notas adieci. Succedit recenſio Manuſcripti, quod vltra centum diuerſarum linguarum alphabetha continet, atque a ruſtico quodam, Nicolao Schmidtio apud Variſcos, dicto *dem gelehrten Bauer* eſt compoſitum, vbi ſimul de doctis ruſticis agitur. Quarto loco exhibetur recenſio quorundam notorum *Thomæ Müntzeri ad librum de viſionibus*, & concludit demum *compendium Vitæ Vicelini*, addito rerum indice. Alter faſciculus *Ioannis Alberti Portneri elogia Iacobi Puteani, Thomæ Campanellæ Atheiſmum triumphatum, Hiſtoriam certaminis Reuchliniani, Vitam Ioannis Loniceri & epiſtolam Friderici Benedicti Carpzouii ad Caſparem Sagittarium* continet: prodiit *Ienæ 1705. 8.* Tertius faſciculus *vitam Io. Chriſtiani L. B. de Boineburg, Excerpta epiſtolarum mutuarum Boineburgii & Prüſchenckii atque Conclaue Adriani VI*

 com-

comprehendit. Quartum fasciculum proximis nundinis dabimus. Singulos autem eruditos denuo officiose rogo, vt, si quæ habeant de Manuscriptis, quæ inseri velint, eadem mecum beneuole communicent, de quo gratum semper testabor animum.

§. XXVI.

Sub initium superioris anni 1705 cœpimus nouum laborem, incitantibus viris eruditis, vt sub *Bibliothecæ antiquæ* nomine excerpta daremus librorum antiquorum, seculi potissimum decimi sexti. Primus annus, auxiliante Deo, est absolutus, ita, vt per menses singulos ederetur nouum specimen, secuti in omnibus Celeberrimos Actorum Lipsiensium Collectores, si modo eadem semper industria atque eruditione. Leuia mihi tribuo, præstantiora eruditissimis Bibliothecæ Collectoribus, laboris sociis, qui mea ope in dirigenda eadem vti voluerunt. Iudicet Beneuolus Lector, quod par est. Continuationem promittimus, quantum fata vel tempus permittent, neque tamen hærebimus saltim in scriptoribus seculi XVI, sed etiam alios, si modo antiquiores, percensebimus imposterum, & quantum fieri licebit, conabimur, vt Mathematicos quasdam & physicas obseruationes intermisceamus, de re numma-

maria quoque solliciti, Omnes rogamus eruditos, vt, si qui symbolas conferre velint, easdem libere transmittant, quod grato semper adgnoscemus animo.

§. XXVII.

Elegantissimum est institutum virorum illustrium atque celeberrimorum, qui *miscellanea academiæ Curiosorum* ab anno 1670 collegerunt. Cum tamen horum cura potius consistat in obseruationibus medico-curiosis, quam in recensendis libris, non tam nostri est instituti, de iisdem agere. Sufficiat nobis indicasse, illustrem nostrum GEORGIVM WOLFGANGVM WEDELIVM *Historiam & progressum* huius Collegii descripsisse.

§. XXVIII.

Exceperunt hasce aliquot ephemerides Germanicæ, inter quas primæ sunt CHRISTIANI THOMASII, viri celeberrimi, *Monatliche Gedancken*, quæ *Halæ 1688 & 1689. 8.* publicatæ. Menstruatim hæ cogitationes prodierunt primo sub nomine *der Gesellschafft der Müssigen*, præmisso tandem anno 1686 nomine proprio: & modo titulum habent *lustiger und ernsthaffter Monath-Gespräche*, modo *schertz und*

ernſthaffte, vernünfftige vnd einfältige Gedancken, modo *ernſthaffte Gedancken, modo freymüthige, ledoch Vernunfft-und geſetzmäſſige Gedancken*. Cuiuis menſi præfixa eſt figura ænea, hiſtoriam aliam, aut certam rem, cuius in ipſa recenſione facta fuit mentio, indigitans. Anni vero 89 figuræ repræſentant aliquod ænigma, cuius explicatio ab ipſo auctore facta in appendice, in qua etiam ea, quæ minus accurate fuerant dicta, emendantur vel illuſtriora magis redduntur. Has autem cogitationes Thomaſius non tam librorum recenſendorum cauſſa ſuſcepit, quam alio potius inſtituto. Scilicet, animus erat Thomaſio, præconceptas, quæ ipſi putantur, opiniones, quæ a tam longo tempore homines deceperunt, confutare, pedantiſmum viuis coloribus depingere, ſingulosque de vitando eodem hortari, & ſi qui ſpecioſis librorum titulis fallunt eruditos, horum inſaniem demonſtrare & communem ſcribendi pruritum paullatim perſtringere. Ad hæc autem nullam methodum aptiorem iudicauit, quam hanc per dialogos, in quibus collocutores cogitata libere exponunt. Sane, liberius ſentit auctor celeberrimus, multa quoque expoſuit haut vbivis obvia, & quod ſibi propoſuit inſtitutum, ſtrenue perſecutus fuit. De inſtituto ſuo ipſe quodammodo agit in præfatione anni 1689. p. 28, vbi ait: *Aber mein Vorhaben iſt nicht dahin gerichtet*

tet, daß ich über Bücher aus allen Facultäten raisonniren wolte, sondern ich bin nur gesonnen über etliche Schrifften, die entweder auf eine indifferente Belustigung des Gemüths, oder auf rechtschaffene Erbauung des Verstandes ihr Absehen gerichtet haben; oder die unter dem Deckmantel einer scheinbahren Gelahrheit und Gottes Furcht, Ungelahrheit und scheinheiliges Wesen zu verbergen und zu vertheidigen gesucht, meine unmaßgeblichen Gedancken dem Leser mitzutheilen; und zwar dieselben eintzig und allein nach meinem Gefallen auskiesen, und mich disfals zu keines Sclaven zumachen. Diuersa autem hæ cogitationes experta fuerunt iudicia, dum laudarentur ab his, culparentur ab illis Plerique nimiam iudicandi libertatem & satyricam scribendi rationem reprehendebant: Sed, contra hanc reprehensionem ipse se defendit in præf. anni 1680. p. 16 communem hominum barbariem tali strictura indigere. Controuersias æque multas habuit vir celeberrimus cum Ioanne Ludouico Praschio, Hectore Gothofredo Masio, Ioanne Friderico Mayero, Wilhelmo Ernesto Tentzelio, aliisque, quibus & in his cogitationibus & in aliis scriptis respondet. Acerrimum contra has co-

gitationes eſt ſcriptum, quod ſub titulo: *Bedencken über die ſchertz- vnd ernſthaffte alberne vnd vnuernünfftige Gedancken einer ſeltzamen neuen Geſellſchafft derer Müſſigen, gedruckt nach der erſten Edition zu Aböe in Finland 8.* Sed, hæc cenſura potius eſt modum excedens, quam vt laudem vel ſtylo acuto, vel eruditione mereatur. Abrupit autem hunc laborem altero anno finito, eiusdemque rationes in appendice anni 1689 ipſe exponit. Continuauit, eundem anonymus quidam ſub titulo: *freymüthiger iedoch Vernünfft- und geſetzmäßiger Gedancken über allerhand, fürnehmlich aber neue Bücher, Halle 1690. 8.* Auctorem litteris initialibus indicat Iunckerus p. 257, qui, ni fallor, eſt IOANNES IACOBVS a RYSSEL, atque ipſe in præfatione p. 6. teſtatur, ſe proprio motu hanc continuationem ſuſcepiſſe. Auctor autem non quoscunque libros recenſere ſibi propoſuit, ſed illos ſaltim, qui ad vitam ciuilem eſſe poſſint vtiles, ita vt librorum contenta breuiter exhibeat & ſuas deinceps adiiciat obſeruationes. Aduerſarium nactæ hæ cogitationes Andream Petermannum, qui ſub nomine Iani Ariſtophili contra easdem ſcripſit, ſed cum iſtæ vltra Aprilem menſem non fuerint continuatæ, his nihil fuit repoſitum.

§. XXIX.

§ XXIX.

Sed pergimus ad alias ephemerides Germanicas, quæ prodierunt ſub titulo: *Monatliche Vnterredungen einiger guten Freunde von allerhand Büchern vnd andern annehmlichen Geſchichten, allen Liebhabern der Curioſitäten zur Ergötzlichkeit vnd Nachſinnen heraus gegeben von A. B ſine cenſura & approbatione autoris, Leipzig 1689. 8.* Auctorem habent hæc colloquia menſtrua WILHELMVM ERNESTVM TENTZELIVM, qui ſingulis menſibus tale colloquium publicauit, nomen autem reticuit, dum ipſe teſtatur, ſe nolle obligari ad defendendum laborem ſuum. Per modum colloquii virorum quorundam, qui ſtatis diebus conueniant, libros proponit, horum titulum & contenta recenſet, & quæſtiones quasdam, quæ in iisdem continentur, notatu dignas examinat. Inſeruit etiam integras quasdam relationes, epiſtolas eruditorum, inſcriptiones, nummorum explicationes, deſcriptiones vitarum virorum celebrium, noua litteraria & ſimilia, quæ & ſcitu iucunda & neceſſaria. Singulis menſibus præfecit tabulam æneam, quæ vel nummum, vel curioſum quid continet, atque explicatur in ipſo colloquio. Sane, multum eruditionis colloquiis hiſce teſtatus fuit auctor celeberrimus, atque

que eo præcipue, quod non in nuda ſolum librorum recenſione perſtiterit, ſed vbique rariores obſeruationes alias, quæ multum illuſtrant, immiſcuerit, & hac ratione multum profuerit rei litterariæ. Aduerſarios tamen nactus fuit Ioannem Reiskium, occaſione oraculorum Sibyllinorum, Caſparem Heuniſchium, occaſione recenſionis antichiliasmi, Ioannem Chriſtophorum Holtzhauſen, occaſione epiſtolæ Ioannis Arndii, Eraſmum Franciſci, occaſione Chronologiæ Ducum Carinthiæ, Danielem Hartnaccium atque alios anonymos, quibus tamen ſingulis reſpondet etiam Tentzelius. Continuauit hunc laborem per decennium, quo finito labori finem impoſuit. Haut ita pridem SIMON de VRIES aliqua ex Tentzelii Colloquiis, atque ea potiſſimum, quæ iucunda ſunt & curioſa, in Belgicum ſermonem transtulit, atque obſeruationibus quibusdam adauxit.

§. XXX.

Biennium eſt, cum de nouo opus adgrederetur Tentzelius, quo continuaret quidem menſtrua ſua colloquia, inſtituto tamen parumper immutato, Titulus eſt: *Curieuſe Bibliothec, oder Fortſetzung der Monatlichen Unterredungen einiger guten Freunde, von allerhand Büchern, und andern*

dern annehmlichen Geschichten, allen Libhabern der Curiositäten zur Ergötzlichkeit und Nachsinnen vormahls heraus gegeben durch WILHELM ERNST TENTZELN, *Franckfurt und Leipzig 9.* Non dialogorum more incedit, vt antea, ſed prout in ephemeridibus ſolet, poſt libri titulum, ad ipſius ſtatim progreditur recenſionem, ita tamen, vt ſubinde obſeruationes alias intermiſceat, rem nummariam hinc inde illuſtret, inſcriptiones atque alia percenſeat, quandoque etiam cenſorem agat. In repoſitoria hanc Bibliothecam diuidit, ita, vt cuilibet anno repoſitorium deſtinaret, hoc in duodecim loculos, ſecundum menſes diuideret, atque iam ſeptimus ſecundi repoſitorii loculus prodiit. Neque tamen tantum hæc Bibliotheca Curioſa æſtimatur ac colloquia menſtrua, cum non tanto librorum præſtantiorum adparatu ſit inſtructa, nec etiam tot eruditas contineat obſeruationes, prout colloquia menſtrua anteriora.

§. XXXI.

Prodiit poſthæc Anonymi cuiusdam *Monatlicher iedoch unmasgeblicher Gedancken über allerhand vorkommende Sachen in der gelehrten Welt, Auguſtus des 1691 Jahres, von unterſchiedlichen Büchern in allerhand Profeſſionen, gedruckt im Thal 1691. 8.*

Sed

Sed vnicus hic mensis saltim, duabus plagulis constans, fuit editus, facile enim patet ex libris obuiis, qui recensentur, adplausum non meruisse auctorem.

§. XXXII.

Sequenti anno 1692. prodierunt, *Nouellen aus der gelahrten vnd curiösen Welt, darinnen die Quinte essentz mannichfaltiger Gelehrsamkeit abgehandelt wird, Franckfurt vnd Gotha 1692. 8.* Titulus quidem admodum pomposus est, sed nigrum rubro non respondet. Promisit quidem auctor, se esse propositurum, quæ ad exquisitam eruditionem faciant, atque inter hæc, multa de libris tum recentioribus, tum antiquis, sed parum præstitit. Pauca sunt, quæ de libris narrat, & hæc sane maxime cognita: reliqua quæ ex historicis, moralibus & eiusmodi depromta, proletaria, stylus rei non accommodatus. Continuatæ fuerunt hæ nouellæ vsque ad Septembrem 1697. Nouum interim eiusdem cœpit institutum anno 1693. sub *Parnassi* titulo. Sequenti anno 1694. nomen suum præposuit auctor GOTTFRIED ZENNERVS, Altenburgensis, & quidem quouis trimestri spatio talem Parnassum edidit sub titulo: *Frühlings - Parnaß, Sommer - Parnass, Herbst - Parnass, Winter - Parnass.* Tra-

ctat

ſtat in iisdem varia, curioſa maxime, & noua, quæ in Statu Politico, in negotiis belli aliisque euenerunt, de quibus etiam aliqua ediſſerit, ea, quæ ad intelligendum magis ſtatum faciunt, adducit. In fine cuiuslibet Parnaſſi quatuor nouiter editos libros ſemper proponit, in quibus tamen breuior eſt, ita, vt inſtitutum potius ad ciuilem ſtatum faciat & noua politica, quam ad litteraria. Continuatus tantum hic Parnaſſus vsque ad finem anni 1696.

§. XXXIII.

Sunt quidem adhuc ephemerides idiomatis germanici, vtpote IOANNIS RISTII & ERASMI FRANCISCI *Monaths Unterredungen*, quæ *Francofurti 1663*, & ſequentibus in minori forma prodierunt, primum a Riſtio elaboratæ vsque ad Iulium, ab hoc ad Decembrem vsque, a Franciſci continuatæ. Verum, in iis tantum pertractantur quæſtiones quædam curioſæ. Prodierunt neque *Monatliche Erzehlungen allerhand Curioſitäten*, *Erfurt 1689 8*, ſed tantum tres eius partes, Maius, Iunius, Iulius, agentes de rebus quibusdam phyſicis, prodierunt. Vt taceam *die aufgefangene Brieffe*, *Hiſtoriſchen und politiſchen Staats-Mercurium* & eiusmodi Diaria, quæ ad ſtatum rei litterariæ non adeo faciunt, cum pauciores in iisdem recenſeantur libri, ſtatus politicus & hiſtoriæ referantur,

atque

atque aliquæ resoluantur quæstiones, ideoque nostri non sunt instituti.

§. XXXIV.

In ephemeridum litterariarum numero autem habenda sunt *des Französischen Helicons Monath-Früchte oder getreue Vbersetzungen vnd Außzüge allerhand curiöser vnd außerlesener Französischen Schrifften von Staats-Welt vnd Liebes-Händeln, wie auch andern moralischen, geographischen vnd dergleichen Materien, überreichet von TALANDERN, Leipzig 1696. 8.* Auctor ex variis scriptis satis est notus, AVGVSTVS BOSE. Recensionem suscepit librorum tantum gallicorum, historicorum, moralium, atque similium, ita vt in horum recensione diutius paullo inhæreat, ac alii scriptores ephemeridum. Sed etiam ex libris recensitis, dum ex recensendi ratione patet, has ephemerides non tam eruditis, quam iis, qui iucunda amant, scriptas esse, quibus etiam possunt satisfacere. Anno 1696 per menses singulos prodierunt, eodemque finito, adiectus est index rerum. Restitutæ tamen hæ ephemerides anno 1703. ita, vt non menstruatim, sed per trimestre spatium prodirent, diuisione facta in *Winter-Quartal, Frühlings Quartal Sommer-Quartal* & *Herbst-Quartal*, quæ per annum 1703 prodierunt.

§. XXXV.

§. XXXV.

Paucos ante annos ſimilem laborem adgreſſus eſt IO. GEORGIVS ECCARDVS, qui ab anno 1700 edidit *Monatliche Auszüge aus allerhand neu herausgegebenen nützlichen vnd artigen Büchern*, quæ menſtrua excerpta *Hanouera* edebantur impenſis Nicolai Förſteri 8. Anſam ſine dubio huic inſtituto dedit illuſtris Leibnützius, qui illud etiam, quod facile patet, multum promouit. Propoſuit autem ſibi auctor libros recenſere omnium diſciplinarum, ita, vt ſola excerpta ex libris faciat, ſi quid vero vel de ipſo auctore, eiusque ſcriptis aliis, vel circa materiam monendum, obſeruationes quædam textui ſubiiciuntur. Inſeruntur quandoque obſeruationes quædam de nummis aliisque curioſis, quæ ad auctorem transmiſſæ. Adduntur in fine dies emortuales virorum celebrium, aliaque noua litteraria, in quibus ſat multa ſingularia. Feliciter continuata hæc excerpta fuere per duos annos 1700 & 1701, Tertius annus 1702, continuabatur quidem ad finem vsque, non tamen eadem vbique cura & induſtria ac priores. Auctore enim aliorſum translato, Leibnützio, qui manus præbuerat obſtetricantes, Berolinum cedente, per varios continuata ſunt hæc excerpta, in quibus pro auctorum diuerſitate imparem licet

animaduertere induſtriam, obſeruationes textui ſubiectas rariores. Noua litteraria vel omittuntur, vel noua non ſunt, tantum ex Nouellis Reipublicæ litterariæ & Treuoltienſium ephemeridibus tranſumta, ita, vt plane poſtea hic labor ceſſaret.

§. XXXVI.

Aliud ſcriptum in ephemeridum forma cœpit ſub titulo: *die gelahrte Welt, oder vnpartheyliche Conferentien, vvorinnen bey Zuſammenkunfft einiger vertrauten Freunde nicht allein die curiöſen Bücher, vvelche ſovvohl in als auſſerhalb Teutſchlandes heraus kommen, kürtzlich recenſiret, beſondern auch berühmter Männer Abſterben vnd Lebens-Lauff communiciret vvird von Ariſte, Frankfurt vnd Leipzig 1700. 8.* Titulus de Inſtituto ſtatim docebit. Libri in iisdem continentur recentiores, & potiſſimum tales, qui ab eruditione commendandi, habet etiam recenſio ſuam laudem, in quam inſperguntur quædam, quæ ad ſtatum eruditorum faciunt. Facile tamen patet, adparatum librorum nouorum auctori fuiſſe exiguum, cum altera enim collationum parte deſiit.

§. XXXVII.

Sequenti anno prodiit *Altes vnd Neues aus dem Schatz Theologiſcher Wiſſenſchafften, Wit-*

Wittenberg. 1701. 8. Hæc Nov-antiqua auctorem habent omnibus notum, VALENTINVM ERNESTVM LöSCHERVM, olim apud Iüterbocenſes, nunc apud Dresdenſes Superintendentem, cui tamen poſtea, vt ex titulo patet, alii videntur acceſſiſſe. Nouantiqua dicuntur, quia tum recentiora, tum antiqua continent. Per menſes ſingulos prodeunt, ita, vt quiuis menſis contineat duas ſectiones: in altera referuntur libri antiqui, exhibenturque obſeruationes rariores de nummis, inſcriptionibus, fragmentis atque reliquiis Patrum, litteræ Theologorum, acta colloquiorum atque alia, in altera libri & obſeruata recentiora. Singula ad vſum Theologicum ſunt directa, ſtylus etiam orthodoxum facile prodit. Initium totius laboris fit cum voto, quale ſingulis concionibus præmitti ſolet: in fine cuiuslibet menſis adnectuntur diſpoſitiones euangeliorum in dies dominicos & feſta, quæ tamen cum Octobri menſe deſierunt, ſequenti anno 1702 repetitæ, cum ob eas maiori numero diſtraherentur exemplaria. Propoſuit ſibi auctor de variis ſcriptis Atheorum agere, quod etiam in Pomponatii, Agrippæ, Cremonini aliorumque ſcriptis recenſendis peregit. Certe, multa in iisdem proponuntur de controuerſiis recentioribus, quæ laudem merentur, commune tamen eſt iudicium, præconceptis opinionibus nimium in-

 dul-

dulgere auctorem; alias recensiones non sine næuis esse. Cum autem auctor *der neuen Vnterredungen*, de illis acriter nimis censeret, prodierunt postea 1702, Lipsiæ sub titulo: *Vnschuldige Nachrichten von alten vnd neuen Theologischen Sachen, Büchern, Vrkunden, Controuersien, Veränderungen, Anmerckungen, Vorschlägen vnd dergleichen.* Maxime vero anno 1704 præter excerpta librorum tum antiquorum tum recentiorum, explicarunt quoque nummos & inscriptiones, contra Atheos & Fanaticos disputarunt, de scriptoribus ecclesiasticis suppositiis egerunt, historiam rituum & controuersiarum, Chronologiam Biblicam, origines religiosas & phraseologiam Biblicam exposuerunt, acta quædam inedita, & quid in vnionis negotio gestum, tradiderunt. Cum autem nimiam censuram agere viderentur quibusdam, præfatione anni 1705 eius rei rationem & iustitiam reddere conantur. Et cum in ordines siue *Ordnungen* singulas partes diuidant, eiusdem anni non nisi quatuor ordines vidimus.

§. XXXVIII.

Cœpit haut ita pridem nouus labor, qui titulum fert: *Neue Vnterredungen, darinnen sowohl schertz als ernsthafft über allerhand gelahrte vnd vngelehrte Bücher vnd*

vnd Fragen freymüthig vnd vnpartheyisch raisonniret wird, vorgestellet von P. S. Q. Lützen, vvo König Gustav Adolph von Schvveden tod geblieben 1702. 8. Auctorem plerique norunt patria Noribergensem, nunc vero apud Halenses degentem, N. H.G. De libris non solum disserit, sed etiam rebus obuenientibus, immo de singularibus opinionibus, quas tamen sæpe tangit potius, quandoque acute perstringit, quam declarat. Libertate nimia iudicat de viris etiam claris, quos non excuso omnes, censuram tamen non adprobo. Stylus, quo vtitur, satyricus, ingenio auctoris & temperamento est conformis. Sed desiit cum Martio mense hoc institutum, cum bonis omnibus minus probaretur. Certe, sentiendum est libere, neque tamen hæc sentiendi libertas in abusum verti debet. Notare licet vitia & præconceptas eruditorum opiniones, omnis tamen abesse debet acrimonia. Prodiit autem contra hunc communem censorem, eundemque rigidum, *der eröffnete Ianus-Tempel oder vnuermuthlich entstandener Feder-Krieg bey Gelegenheit des gar zu hitzigen Ianuarii, Ranstadt auf dem Wege nach Lützen 1702. 8.* Propositum auctoris potissimum est, nimiam censendi libertatem notare, viros eruditos, quos perstrinxerat ephemeridum auctor,

excusare, & Ioannem Gröningium, cuius dogmata de iure naturæ impugnauerat, defendere.

§. XXXIX.

Taceo iam obseruationes historicas Hamburgensium, *Historische Remarquen*, quæ ab anno *1699*, prodeunt *Hamburgi 4*. Auctorem istæ habent PETRVM AMBROSIVM LEHMANNVM, ita, vt per singulas hebdomades plagula vna prodeat, quibus semper etiam libri recentiores editi indicantur & de controuersiis eruditorum quandoque agitur. Sed, cum institutum potius sit in explicandis nummis, Germanicis præsertim, genealogiis principum & illustrium, atque obseruationibus rerum hodie obuenientium, hic studio eas prætermittimus, licet non possumus non, quin laborem elegantissimum adprobemus.

§. XL.

Alias in Germania habemus ephemerides Gallico sermone editas. Primæ fuerunt *Ephemerides Sçauantes*, *Hamburgi* editæ *1686. 4*. quæ tamen in ipso ortu suo statim fuerunt suppressæ, de quibus iam supra §. XIII. fuit actum. Paucos ante annos prodiit *Nouueau Iournal des Sçauans dresse a Berlin par M. C. à Berlin 1696. 8*. Cœpit hoc anno 1696. & per annum 1697 & 1698 fuit continuatum. Auctor est STEPHANVS CHAUVIN, vnus ex

ex Gallis exulibus. Recenset in iisdem libros varii commatis, in sola tamen recensione, quæ satis fida est, occupatus, sine adiectis obseruationibus. In fine cuiuslibet mensis adnectuntur aliqua noua litteraria, ex quauis terrarum parte. Germanica tamen & Gallica potiorem partem faciunt, & plerumque vel in notitia edendorum, vel breui quadam recensione iam editorum scriptorum consistunt.

§. XLI.

Dani post Germanos eundem laborem adgressi, quorum *acta Medica Hafniensia*, obseruationes, eruditissimas quidem, medicorum celeberrimorum, præcipue Danorum continent, nec etiam istæ solum in mathematicis, anatomicis & medico-physicis consistunt, sed etiam historicas, aliaque curiosa continent: cum tamen libros recensere sibi non proposuerunt, non tam ad institutum nostrum faciunt. Collecta autem ista per THOMAM BARTHOLINVM annum 1671 & 1672 continent, atque prodierunt *Hafniæ 1683. 4*, alterum volumen acta anni 1673, tertium & quartum anni 1674, 1675 & 1676. Quintum & vltimum anni 1677, 1678 & 1679, morte vero Bartholini posthæc fuere finita, neque amplius continuata.

§. XLII.

Apud Belgas primum cœpit *Mer-*

re Sçauant, siue Mercurius eruditus, dum anno 1684 mensibus Ianuario ac Februario duæ sectiones eiusdem prodirent. Auctor putabatur primum *Petrus Bælius*, qui tamen de eo, monito, mensi Maio 1684 nouorum Reipublicæ litterariæ se excusat, se neque in Mercurio hocce edendo neque dirigendo, partem habere adfirmans. Hic autem auctores nominat NICOLAVM de BLEGNY, ducis Aurelianensis chirurgum & GALTERIVM medicum Niortensem. Hoc interim certum, quod cum desineret hic Mercurius cum altera sectione mense Februario, hoc ansam daret Bælio, vt cum Martio suas inciperet ephemerides, quare cum iisdem etiam sæpius binæ istæ Mercurii sectiones fuerunt diuenditæ. Neque tamen hunc Mercurium adprobat Bælius, ratus, quod iniqui sæpe sint auctores in viros etiam illustres.

§. VLIII.

Post hunc, PETRVS BÆLIVS edidit noua reipublicæ litterariæ, quorum tomus I. hoc titulo prodiit: *nouuelles de la Republique des lettres, mois de Mars 1684, non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem, à Amsterdam 1684. 12.* Auctor quidem nomen suum reticuit, in mense Martio tantum Tomi III. hæc verba adiecit *par le Sieur B. Professeur en Philosophie & en Histoire, à Rotterdam*, quæ tamen a mense Martio 1687, iterum omittuntur. Appellantur

tur ista a Beughemio *Nouitates Reipublicæ litterariæ*, ipse tamen Bælius in epistola sua ad Theodorum Iansonium ab Almelouen, maluit adpellare *excerpta reipublicæ litterariæ.* Cœperunt hæc excerpta a Martio mense anni 1684, & continuata sunt a Bælio vsque ad Februarium 1687. Ob febris autem malitiam ipse hunc laborem aliis derelinquere coactus fuit: & quidem ex verbis præfationis mensis Martii *d' habiles gens les ont faites pour lui, & continueront autant de tems que cela sera necessaire*, concludimus, plures huic labori incubuisse, neque tamen, vt ex monito præfixo adparet, Bælius vllam partem habuit. Mensis September autem vnicum tantum habuit auctorem, quod etiam de reliquis dicendum, nisi quod aliqua inserta, quæ ab aliis ad bibliopolam fuerant transmissa, quæ sub titulo Memoriarum adparent, atque ita fuerunt continuatæ vsque ad Aprilem 1689, quo desierunt. Ipse auctor, qui a morbo Bælii continuationem suscepit, se prodit IACOBVS BERNHARDVS, in præfatione Ianuarii 1699, qui se quinque posteriora volumina composuisse dicit. Per menses singulos prodierunt hæc excerpta, atque vberiorem librorum continent recensionem, adiecto tamen catalogo librorum, quibus singulis breuis vel relatio vel adnotatio subiungitur. Sex tomis constant, vnicuique adiectus est index. In ipsa

recenſione hæc ſeruatur ratio. Recenſentur libri cuiuslibet diſciplinæ atque idiomatis, excepto Germanico atque Belgico, prolixe ſatis, præmiſſa ſemper breui præfatione, qua de libro vel auctore diſſeritur. De controuerſiis Theologicis rarius quid tangitur, nec habent vnde querantur pontificii, licet ipſe Bælius reformatæ religioni addictus, *neque enim* ait, *de religione hic, ſed de ſcientia & eruditione ſermo eſt.* Intermiſcet quandoque auctor integras orationes atque relationes, diſſertationes, explicationes locorum vexatorum, nummorumque elogia, vitasque virorum eruditorum. In Tomo primo cenſet & notat vitia atque errores eruditorum, non ſine ſale, quod in tomis ſequentibus rarius fit. Ipſe tamen Bælius, errores ſuos vel vltro, vel admonitus emendauit, ita, vt bene de his excerpta iudicet Morhofius polyhiſt. p. 182 *magno illa ſtudio ac induſtria congeſta fuerunt, ſed ſine aliqua cenſendi audacia.* Hanc enim, vti diximus, paullatim remiſit, & certe, vbi cenſet poſtea, non ſine iucunditate id facit. Auctor Mercurii politi, *Mercure Galant* menſe Nouembri anni 1684 teſtabatur, ſe inſerturum eſſe reſponſiones auctorum, qui ſe defendere velint contra Bælium, erroribus inculpatis. Hoc ſibi Bælius in præfatione Ianuarii 1685 non diſplicere dicit, ſi modo abſtineant ab iniuriis, nec degenerent in ſatyras.

Sty-

Stylus autem, quo ipse Bælius vtitur, est nitidissimus, atque ad propositam materiam maxime accommodatus, quem omnes mirantur, laboremque omni eruditione refertissimum, adprobant. Nactus tamen fuit aliquos aduersarios, qui vel durius quædam in se dicta putarent, vel alia notarent, contra quos se vel excusat, vel defendit.

§. XLIV.

Postliminio quasi hæc excerpta reduxit IACOBVS BERNHARDVS, inuitatus a Bibliopola, Hic enim denuo *Nouuelles de la Republique des lettres* cœpit cum Ianuario mense anno 1699, idque hoc fine, vt Bælii institutum continuaret. Bælii vestigia in omnibus se monet esse secuturum, neque tamen stylo, nec etiam recensione Bælio in omnibus est æquiparandus. Accurata quidem est recensio, non vero tam iucunda facta per interspersas obseruationes, ac Bælius fuerat solitus. Noua litteraria quæ adiecta, ex Anglia potissimum, Gallia atque Belgio suam laudem habent & multa continent notatu digna. De Germanis rarius quid habet, quod commercii litterarii defectum arguit. Aduersarios multos nactus est Bernardus, contra quos subinde se defendit. Per menses singulos prodeunt atque adhuc continuantur. Semestri quouis index rerum adiicitur. Intermedios quidem annos ab 1689 ad 1699 adhuc se esse suppleturum promisit, neque tamen præstitit.

§. XLV.

§. XLV.

Poſt hæc excerpta prodiit *Hiſtoire des Ouurages des Sçauans, par Mr. B. Docteur en droit, mois de Septembre iusqu' au Decembre, à Rotterdam, 1686. 12.* Auctor eſt HENRICVS BASNAGIVS, Iacobi, quem antea cum Iunckero auctorem putaram, frater. Occaſionem huic labori ſibi dediſſe morbum Bælii, ipſe auctor profitetur. Cœpit autem eundem menſe Auguſto 1687, atque continuauit usque ad 1688, ita, vt ſingulis primum menſibus aliquot plagulæ ederentur, poſt ab anno 1689, tribus menſibus coniunctim editis, atque adhuc continuatur. Menſes in articulos certos diſtincti, ita, vt quolibet articulo liber contineretur, vltimo articulo noua ſemper continentur litteraria, in quibus multa reperiuntur ſingularia. Additus cuilibet menſi index materiarum eſt, & quolibet ſemeſtri vberior, iuxta ordinem alphabeti. Extendit autem ſe recenſionis campus ad cuiusuis generis libros, eodem fere, ac Bælius, inſtituto ita, vt præmittat ſemper quæ de auctoris vita & reliquis ſcriptis memoratu digna, inter quæ etiam obſeruamus aliqua rariora. Intermiſcet quandoque aliquas obſeruationes mathematicas atque ſimiles, atque non minus inter doctos quoque ephemeridum ſcriptores eſt numerandus. Aduerſarios varios fuit nactus, quibus etiam hinc inde in ephemeridibus reſpondet.

§. XLVI.

§. XLVI.

Ad horum imitationem, siue potius æmulationem, prodiit *bibliotheca vniuersalis & historica, Bibliotheque vniuerselle & Historique, à Amsterdam 1686. 12.* Promiserant auctores singulis mensibus sex aut septem excerptorum plagas publico dare, quod etiam primo anno præstiterunt, ita, vt quatuor mensibus absolutis, tomus vnus euulgaretur, quod etiam primo anno 1686 factum, qui tribus tomis absoluitur. Reliqui anni in quatuor tomos diuisi, tribus mensibus semper iunctim editis, adfixo cuilibet tomo indice, nisi quod XVI & XVII tomus vnicum tantum indicem habeant. Auctores Bibliothecæ satis noti sunt IOANNES CLERICVS & IOANNES CONRADVS DE LA CROSE. Ille quidem Ebrææ Græcæque linguæ inter Remonstrantes Amstelodamenses Professor, hic, ex Gallia exul, post Berolinum delatus. Iuncta primum opera hunc laborem adgressi sunt, vsque ad Tomum IX, in quo sua esse quæ a p. 1. ad 291, extant, ipse testatur Clericus, reliqua Dni de la Crose. Tomum IV anni 1688, solus confecit de la Crose, Tomum XIII. neuter composuit, præter articulum VIII & XV, qui de la Crose est, nomen vero auctorum non aperitur in præfatione. Tomus XV. & reliqui solum Clericum auctorem habent,

habent, vti ipſe præfatione Tomi XV. monet. Licet teſtetur Iunckerus p. 226, faſſum eſſe ipſum Clericum, amico cuidam in Batauis verſanti, ſe abdicaſſe hunc laborem, & tradidiſſe Doctori cuidam iuris, ſe melius collocare poſſe tempus in edendis operibus aliis, adſerentem. Atque ſic continuata fuit hæc Bibliotheca XXV. Tomis vsque ad menſem Martium 1693, quo deſiit. Tractat autem in eadem auctores, libros cuiusuis generis atque idiomatis, ex quo etiam tituli ratio adparet, cur vniuerſalis & hiſtorica dicta, ſatyras autem non recenſet. Potius tamen æſtimanda eſt ex recenſione librorum Philoſophicorum, eccleſiaſticorum & Theologicorum, quam medicorum atque Mathemathicorum. In recenſione librorum breue præmittunt exordium & controuerſias, ſi qua opus eſt, plenius exponunt, ſuasque hinc inde inſerunt meditationes criticas. Et licet ſe ab omni cenſura abſtinere velle promiſerint, nihilominus videas ſæpius illos partem aliquam ſumere, & multa notare in Lutheranis præcipue, cuius rei plura exempla adducit Iunckerus p. 231. & ſeqq. Hinc etiam varios experti fuerunt aduerſarios, Puffendorfium, Capellum, Harduinum, Richardum Simonem, aliosque, qui vel ſe contra auctorum iniurias defenderent, vel eorundem errores notarent, quos quandoque moniti

emen-

emendarunt. Nec tamen eundem adplausum adepta fuit hæc Bibliotheca, ac reliquæ ephemerides.

§. XLVII.

Post hanc, PETRVS RABVS Belgico idiomate talem Bibliothecam adornauit, cui titulus *Boockzaal van Europe t' Rotterdam 1692. 4.* Cœpit hic librorum index Iulio mense eiusdem anni, vt singulis duobus mensibus nouus prodiret, atque continuatus fuit vsque ad Iunium 1701 *Roterodami apud Petrum van der Slaart.* Ast, cum auctori cum bibliopola ob pretium non solutum lis esset orta, alium Bibliopolam elegit Roterodami, *Barent Bos*, qui impetrato a Belgii Ordinibus priuilegio denuo eiusdem anni 1701 ephemerides, præposito etiam Rabi nomine, quod antea publice non comparuerat, inde a Ianuario edidit, titulumque fecit *Twee Maandelyke Vittreckfels.* Sic continuatum eodem titulo diarium vsque ad Iunium 1702. Verum, cum eodem anno mortuus esset Rabus, sub initium sequentis anni WILHELMVS SEWEL institutum continuauit, eodem titulo. Hoc tamen anno 1705 reuocatus est primus titulus *Boockzaal van Europa.* Singuli anni in tomos duos diuiduntur.

§. XLVIII.

Prodiit posthæc *Bibliotheca librorum nouorum* collecta a LVDOLPHO NEOCORO, *Tra-*

Traiecti ad Rhenum 1697. 8. Cœpit illa mense Aprili 1697, hoc instituto, quod ipse auctor in præfatione explicat: *edetur ergo imposterum alternis semper mensibus Bibliothecæ nostræ pars, nouem plus minus plagulis constans, in eaque recensebuntur non solum libri, qui hic in Belgio edentur, sed etiam, qui aliis ex locis huc importabuntur.* Recensionem facit accurate satis librorum rarissimorum, & in nostris oris sæpe incognitorum, nummos etiam quandoque explicat, & in fine cuiuslibet partis catalogum librorum nouorum subnectit, in fine Tomi I, quem cum Septembri claudit, indicem materiarum. Rarius ipse iudicat, nisi in caussa reformatæ religionis contra Catholicos; de quo etiam nactus fuit aduersarios. Tomus secundus & tertius Neocorum & HENRICVM SICKIVM auctorem præfert & *1698* prodiit, quartus & quintus, qui solum Sickii nomen, in patriam abeunte Neocoro, habet, *1699.* Neocorus autem postea in Angliam rediit.

§. XLIX.

Haut ita pridem per IOANNEM CLERICVM edita est *Bibliotheque choise, à Amsterdam 1703. 12.* Hæc bibliotheca selecta non tam continuatio est prioris, quam nouum potius institutum. Quippe non solum in recen-

recensendis nouis libris occupatus est, sed proposuit sibi publico dare analysin librorum, quos iudicabit esse meliores, siue antiqui sint, siue recentiores, ita, vt quouis semestri spatio vnum volumen octo & decem plagularum publicetur, quorum septem iamdum fuerunt edita. Laudandum omnino est institutum, quod æque sibi proponat libros antiquiores, quod in reliquis ephemeridibus deest.

§. L.

Vltimum, quod apud Belgas prodiit, diarium, inscribitur *Journal Politique, Litteraire & galant, à Amsterdam, chés Louis Renard 1705. 12.* Ianuarium saltim vidimus, cuius præfatio de instituto docet. Dicit enim auctor, se explicaturum esse numismata, inscriptiones & monumenta recentiora, insertum varia parlamentorum arresta, elogia hominum illustrium, aliaque quæ vtilia sint atque iucunda. Adiicitur catalogus librorum recens editorum. Continuationem non vidi, videtur tamen, quod bibliopola hac hedera voluerit vti, qua non solum catalogum librorum suorum diuenderet, sed etiam ipsos libros, cum potiorem partem faciat Catalogus.

§. LI.

Tandem, vltimo loco consideranda veniunt *Noua litteraria Heluetica, collecta* a IO-

ANNÆ IACOBO SCHEVCHZERO, Medicinæ Doctore, atque edita *Tiguri* 1702. 8. Auctor in præfatione dicit, aliorum studio se motum, vt ad noua litteraria æque animum adplicaret, limites tamen patriæ se non esse egressurum. Profitetur autem, se non relaturum esse duntaxat libros magnæ molis, sed studio descensurum esse ad ipsas disputationes, conciones, libellos quoscunque, qui Helueticum sentiant prelum, vel alibi extra patriam, auctoribus Heluetis publicæ luci dentur, neque omissurum se esse eruditorum, qui obeunt, fata, honores & vitam. Hunc laborem non solum continuaturum se promittit, sed etiam omnes inuitat eruditos Heluetos, vt catalogum editorum vel edendorum ad ipsum transmittant, obseruationes etiam historico-naturales, quas inserturum se pollicetur. Addit, se defectum, si quis occurrat, suppleturum recensione Manuscriptorum, quæ hinc inde in bibliothecis lateant, rariorum, aliarumque obseruationum Miscellanearum. Scriptores autem secundum patriam distinguit, horumque scripta breuiter recenset, addito in fine catalogo vel editorum vel edendorum. Eundem laborem continuauit anno 1703, sed hoc ipso non nisi indicem exhibuit scriptorum ab Heluetis editorum. Sane, multa notitia Helueticorum scriptorum inde petitur, si modo non singulæ conciones fune-

funebres & ſimiles fuerint additæ, id quod tamen pro Heluetis potius, quam exteris factum fuiſſe videtur.

§. LII.

Addimus hiſce ephemeridibus CORNELII a BEVGHEM labores. Hic enim præter Bibliothecas certarum tantum diſciplinarum ante iam memoratas, & Galliam eruditam, edidit quoque *adparatum ad hiſtoriam litterariam nouiſſimam*, cuius quatuor conſpectus iam prodierunt. Primus *Amſtelodami 1689. 12.* Alter *1694. 12.* Tertius *1699. 12.* Quartus *1701. 12*, in hiſce exhibet diſpoſitionem harmonicam ſcriptorum operumque, quorum ſummæ & contenta in actis & ephemeridibus eruditorum vniuerſæ fere Europæ exhibentur. Index igitur eſt ordine alphabetico compoſitus omnium ſcriptorum, qui in ephemeridibus recenſentur, ab anno 1665 ad 1695 indicato ſemper loco, vbi recenſeantur. Illis igitur adprimis eſt vtilis, qui ephemerides poſſident, æque & aliis, vt exinde cognoſcant recentiora ſcripta ab aliquo tempore edita, cum integer libri titulus ſub quouis auctore adducatur, aliqua etiam de auctoris ſtatu, ſed breuiſſime.

CAPVT SEPTIMVM.

DE SCRIPTORIBVS VITARVM.

§. I. *Bina excerpta sunt necessaria, altera librorum, altera vitarum atque elogiorum.* §. II. *Excerpta de vitis quo modo fieri debeant.* §. III. *Quidnam in vitæ descriptione obseruandum.* § IV. *Biographi Generales ex Germanis & Heluetis.* §. V. *Biographi Generales ex Gallis.* §. VI. *Iudicia Thuanæa, & scriptores, qui hæc collegerunt.* §. VII. *Batesii vitæ selectæ.* §. VIII. *Biographi Generales ex Italis.* §. IX. *Phil. Labbei & Antoni Teisserii Bibliotheca Bibliothecarum.* §. X. *Scriptores de vitis Germanorum in genere.* §. XI. *Scriptores de vitis Germanorum in prouinciis.* §. XII. *Scriptores de vitis Gallorum in genere.* §. XIII. *Scriptores de vitis Gallorum inprouinciis.* §. IV. *Scriptores de vitis Italorum in genere.* §. XV. *Scriptores de vitis Cremonensium Romanorum, & Bononiensium.* §. XVI. *Scriptores de vitis Florentinorum & Ligurum.* §. XVII. *Scriptores de vitis Veronensium, Brixiensium, Ferrariensium & Parmensium.* §. XIIX. *Scriptores de vitis Patauinorum, Perusinorum*

rum & Fulginensium. §. XIX. *Scriptores de vitis Neapolitanorum, Venetorum, Siculorum & Sabaudorum.* §. XX. *Scriptores de vitis Hispanorum.* §. XXI. *Scriptores de vitis Belgarum.* §. XXII. *Scriptores de vitis Anglorum.* §. XXIII. *Scriptores de vitis Suecorum, Danorum & Polonorum.* §. XXIV. *Scriptores de vitis Pontificum, qui scriptis sunt clari.* §. XXV. *Scriptores de claris viris ex Societate Iesu.* §. XXVI. *Scriptores de claris viris ex ordine Dominicanorum.* §. XXVII. *Scriptores de claris Augustinianis.* §. XXVIII. *Scriptores de claris Carmelitis, Carthusianis, Cistercienſibus & Franciscanis.* §. XXIX. *Scriptores antiqui de vitis Scriptorum ecclesiasticorum.* §. XXX. *Scriptores de iisdem recentiores.* §. XXXI. *Scriptores de vitis Theologorum.* §. XXXII. *Scriptores de vitis Ictorum, e quorum scriptis Pandectæ sunt congestæ.* §. XXXIII. *Scriptores de vitis Ictorum recentiorum.* §. XXXIV. *Scriptores de vitis Medicorum.* §. XXXV. *Scriptores de vitis Philosophorum veterum.* §. XXXVI. *Scriptores de vitis Philosophorum recentiorum.* §. XXXVII. *Scriptores de vitis Historicorum.* §. XXXIIX. *Scriptores de vitis Philologorum.* §. XXXIX. *Scriptores de vitis poëtarum.* §. XL. *Scriptores de vitis Pictorum, Sculptorum.*

§. I.

BIna autem habeamus rei litterariæ excerpta : altera librorum, altera vitarum atque elogiorum. In librorum excerptis, iuſtius erit, ſi quis impreſſa quadam introductione ad hanc vel illam diſciplinarum, pro ordine litterario diſpoſita , vti poſſit, tunc enim multo labore, quem alias in titulis diſponendis impendere neceſſum habemus, poſſumus ſuperſedere. Immo, facilius nobis erit, libros, qui in iſta introductione non memorati, vel nouiter editi, addere, quo ipſo, nobis non ſentientibus, accuratam non ſolum, ſed etiam perfectam adipiſcimur notitiam. Adeamus igitur frequenter Bibliothecas & Bibliopola, adnotemus ad ſuas claſſes libros ſelectiores, excerpamus & continuemus, quæ neceſſaria. Præiuimus hac in parte in Bibliotheca Iuridica, Hiſtorica & Philoſophica.

§. II.

Quantum ad excerpta de vitis, multi quidem vſus eſſet, ſi Opus Biographicum haberemus, in quod congeſtæ vitæ eruditorum, quotquot poſſunt haberi, & quæ ad litterariam notitiam faciunt. Hoc tamen cum deſtituti, aliorum nobis vſus ſupereſt. Ad quotidiana quidem excerpta de vitis eru-

dito-

ditorum, vti possumus GEORGII MATTHIÆ KÖNIGII *BibliothecaVeteri & Noua*, quæ *Altdorfi* prodiit *1678. f.* Hæc, licet perfecta non sit, cum tamen ordine alphabetico sit dispoſita, nobis hoc modo poterit inseruire, vt inserta charta munda, ad eandem suo loco adnotemus, si quid reperiamus notatu dignum ad vitam & scripta clarorum virorum.

§. III.

Disceptatur adhuc inter eruditos, an in vitæ descriptione etiam minimorum recensioni sit indulgendum. Damnauit illam Maresius lib. II. ep. V & XLIV, adprobauit Morhofius lib. I. cap. XIX, qui ex eo laudauit Camerarium, quod in vita Melanchthonis ne quidem somnia notabilia, ac minima quædam præsagia, ostenta atque omnia omiserit. Verum, licet non negligenda sint omnia, neque tamen nimis scrupulosum esse decet, in vita describenda. Quæ enim vsum non habent in re litteraria, nec fata sunt singularia, illa sunt omittenda. In vitarum descriptionibus, scitu maxime sunt necessaria patria & parentes, ingenium, mores & animi caracteres, præceptores, studiorum progressus, gradus & dignitates, vxor, & breuibus descripta rei litterariæ administratio, mors & liberi. In hisce enim reperimus, quæ vel imitemur, vel aliorum periculo admoniti vi-

temus. Quod si vero vel puerilia singula, (ni etiam in illis grauius quid reperiamus) vel minutissima quæuis magna cura adnotemus, tædiosum id non solum reddet lectorem, sed nostrum etiam laborem inutilem. Verum exemplar vitæ descriptæ præbuit PETRVS GASSENDVS in *vita Peirescii*, quæ prodiit *Hagæ* 1651. 12. Hic enim, prout primus fere inter litteratores Gallos suæ ætatis adpellari meruit, multum contulit ad litterariam rem promouendam. Quare etiam in eius vita singularia continentur multa, quæ ad statum rei litterariæ, antiquitates, nummos, & philologica alia, physica item & moralia faciunt. Elegantissima itaque vitæ est descriptio. Edidit idem Gassendus vitam Tychonis Brahæi, Georgii Purbachii, Ioannis Regiomontani & Nicolai Copernici, in quibus animaduertimus multa singularia, quæ ad Mathesin & Astronomiam faciunt.

§. IV.

Licet autem vniuersale opus Biographicum non extet, multi tamen reperiuntur Biographi, qui plures eruditorum vitas congesserunt, de quorum selectu aliqua erunt monenda. Inter primos, qui tale quid tentarunt, mihi videtur THEODORVS BEZA. Huius extant *icones*, siue *veræ imagines virorum doctrina illustrium, cum eorum elogiis*, 1558. 4.

Ve-

Veritatis plerumque Confessores sunt, quorum icones Betza expressit, vitæ tamen descriptio breuis est, & prout titulus habet, plerumque consistit in elogiis. Non nisi imagines cum distichis, elogia continentibus expressit NICOLAVS REVSNERVS, cuius prostant *icones virorum litteris illustrium, Argentorati 1597. 8.* Secutus illum CASPAR CONRADI, qui in *Prosopographia Metrica* virorum illustrium vitas distichis singulis designauit, *Francofurti 1615. 8.* Ex recentioribus IOANNES ANDREAS QVENSTADTIVS *dialogum de patriis illustrium doctrina & scriptis virorum* edidit *Witteberga 1691. 4*, sed iamdudum adnotarunt eruditi, multos næuos geographicos potissimum, in eodem contineri: secundum patrias scriptores distinguit, sed de statu illorum breuis est & parum accuratus. Maiori cura simile conatus fuit PAVLVS FREHERVS in *Theatro virorum eruditione clarorum*, quod *Noribergæ 1688. f.* prodiit, sed multis næuis scatet. Congessit vitas ex Melchiore Adami, vitis Professorum Leydensium, Marpurgensium & similibus, atque hæc accuratiora esse solent, quibus sæpe, etiam catalogum scriptorum addit, sed mancum & iniustum. Reliqua plerumque desumta ex programmatibus funebribus, quæ tamen parum accurata. Immo nullum selectum scriptorum habet

 Frehe-

Freherus, cum ſæpe minus clarorum ſcriptorum vitas prolixius tradat de viris celeberrimis vel parum vel nihil habeat, in multis nimium labatur. Cœpit haut ita pridem pſeudonymus quidam, ADOLPHVS CLARMVNDVS, *vitas clariſſimorum in re litteraria virorum* deſcribere, atque primum triginta viros egregie eruditos, horumque ſtatum germanico idiomate deſcripſit *Witteberga 1703.* 8. Laudandum non ſolum eſt inſtitutum, ſed etiam ipſa tractatio, in qua reperimus ſingularia multa, haut vbiuis cognita. Licet negandum non ſit, irrepſiſſe etiam næuos perplures, inter quos tamen, quod coniectari facile licet, ſphalmata quædam repe0riuntur. Auctorum etiam ſcripta potiora exhibet, atque de iisdem tum ex ſuo, tum ex aliorum ingenio iudicat, ſecutus in multis Schurtzfleiſchium, licet hinc inde plura adhuc ſcripta, quæ omiſit, posſint addi. Illud quoque laudandum, quod remittat ſemper ad ſcriptores, ex quibus ſua hauſit, vt eo meliorem fidem habeant. Sub initium icones præmiſit, qui parum ſunt accurati. Altera atque tertia pars *Witteberga 1704.* 8 prodiit. Quarta & vltima pars, adiecto indice, *Witteberga 1705.* 8. Licet in iisdem non vbique parem adhibuerit induſtriam. Extat quoque HENNINGI WITTENI *Diarium Biographicum*, in quo Scriptores ſeculi XVII præ-

præcipui, iuxta annum diemque cuiusuis emortualem, cum ſcriptis eorum editis recenſentur, prodiit *Gedani 1688 4.* & tomus ſecundus *Rigæ 1691. 4.* Sed nihil præter ſtatum ſcriptoris, eundem quandoque erroneum, & catalogum ſcriptorum parum accuratum, adfertur.

§. V.

Ex Gallis ANDREAS THEVETVS, Hiſtoriographus Galliarum regis, librum ſcripſit hoc titulo: *Hiſtoire des plus illuſtres & Sçavans hommes de leurs ſiecles, tant de l'Europe, que de l'Aſie, Afrique & Amerique avec leurs pourtraits en Taille douce tirés ſur les veritables originaux, à Paris 1584. f.* atque ex iterata editione *a Paris 1695. 12. 8 Tomis.* Plures Patrum, Imperatorum, Philoſophorum veterum, qui præ aliis eminent, vitas deſcribit, Incipit ſtatim a Dionyſii Areopagitæ, quem primum Gallorum apoſtolum dicit, vulgari errore. Huius autem imaginem ſe ex Athenarum vrbe tranſumſiſſe tradit. Turcicorum etiam, Perſarum & Ægyptiorum Sultanorum vel Heroum vitas delineat, vix unius atque alterius eruditi inſerta, atque in his plures errores commiſſi. Scilicet, multam ſibi, variis in Græciam, Conſtantinopolim atque alias terrarum partes notitiam adquiſiuerat, diuerſos etiam virorum illuſtrium icones & ſtatuas delineauerat, multos quoque

nummos,

nummos, imaginibus virorum illustrium insignitos adquisiuerat. Horum itaque vitas descripsit, sed illas non a capite ad calcem perducit; sæpius plura proponit elogia, quam vitæ singularia. Neque enim omnem Heroum statum exponit, sed illa saltim, quæ ipsi videbantur. Mores quoque & faciei notas exprimere conatur. Inter hæc multa sunt, quæ parum accurata, licet & quandoque reperiantur, quæ notatu sint digna. Abundat figuris æneis virorum, quorum vitæ exponuntur, quæ secundum originalia dicuntur effictæ, licet adeo nitidæ non sint. Editio altera priori est locupletior. Secutus Theuetum fuit IOANNES PAPIRIVS MASSONVS, cuius *elogia* e museo Ioannis Balesdens prodierunt *Parisiis 1683. 8.* duabus partibus. Prima horum elogiorum pars vitas continet Imperatorum, Regum, Ducum, aliorumque insignium heroum, superioribus seculis virtute bellica maxime illustrium, in quibus multas Heroum Romanorum vitas explanat. Secunda parte illustrium & eruditionis laude clarorum virorum vitas concinnauit sæpe eleganter, ita, vt originem, mores & vitia notaret, nec raro tamen iniquius, vbi de Protestantibus agit. Ad Gallos referimus etiam IANVM IACOBVM BOISSARDVM, Vesuntinum. Hic *Bibliothecam* edidit, in quinque partes distinctam, in qua virorum doctrina

na illustrium vitæ exhibentur, adiectis iconibus. Huius pars prima *Francofurti ad Mœnum* prodiit *1597. 4.* Altera & Tertia *1598.* Quarta *1699,* Quinta *1628. 4.* Effigies exhibet virorum doctorum, quæ tamen, vti eruditi iudicant, ad viuum factæ non sunt, addita breui vitæ fatorumque descriptione. Et licet quidem circa eorum scripta minus sit sollicitus, habet tamen circa vitæ fata, quæ notanda. Prodiit post hæc, idem opus sub titulo: *Bibliotheca Chalcographica illustrium virtute atque eruditione in tota Europa virorum, Francofurti 1636 & 1650. 4.* Hæc solas exhibet virorum doctorum effigies, sine vitæ descriptione, additis tamen sub imaginibus distichis, quæ, iudice Halleruordio in Bibliotheca sua curiosa, raro arguta, vtplurimum insipida. Sextam huic Bibliothecæ partem adiecit SEBASTIANVS FVRCKIVS, Septimam octauam & nonam vero CLEMENS AMMONIVS iunior, qui & præfatione septimæ partis, seu secundæ continuationis ex his omnibus perfectum aliquod opus promittit, secundum cuiusque facultatis seriem concinnatum, in quo se exhibiturum promittit omnes omnium ætatum, omniumque facultatum viros, sapientia, prudentia atque litteris conspicuos, ad viuum expressos, cum vitarum descriptionibus & eorundem lucubrationibus, ad quam rem lectorum implorat

opem: ſed vel fatum, vel alia quæuis præuertere propoſitum, prout Tomo IV. obſeru. Halenſium iam demonſtraui. ISAACVS BVLLIARTVS Gallico idiomate ſcripſit *Academiam ſcientiarum, Amſtelodami 1683. f. 2. vol.* Hac non ſolum imagines, ſed etiam vitas & elogia hominum eruditorum, qui ab aliquot ſeculis claruerunt, refert, magno potius adparatu & ſplendore, quam vſu.

§. VI.

IACOBVS AVGVSTVS THVANVS ad finem cuiuslibet libri Hiſtoriarum, ſcriptores atque viros claros ſingulis annis emortuos adnectit, horumque vitas breuiter, ſed iuſte exponit. Cum autem iſta in magno & ſumtuoſo opere continerentur, ſeorſim primum excuſa ſunt *Elogia virorum ſuperiore & noſtro ſeculo eruditione & doctrina illuſtrium atque memorabilium, quæ Hiſtoriæ ſuæ inſeruit Thuanus, Francofurti 1636. 4.* Poſtea GERARDVS von STÖCKEN *Thuanum enucleatum* edidit *Helmſtadii 1656. 4*, qui plenior adhuc eſt, atque in quinque diſpeſcitur partes. Prima pars viros continet, dignitate, natalium ſplendore aut rebus bene geſtis illuſtres. Secunda pars viros, ſcientiis & artibus claros. Tertia viros laudatos. Quarta deſcriptiones regionum, vrbium, inſularum, gentium. Quinta prælia, aliasque res notatu dignas cum

cum vita Thuani. Sic etiam prodierunt *elogia Thuanaa, Londini 1671. 8.* Idem Gallico idiomate peregit ANTONIVS TEISSIERVS. Hic enim edidit *Les eloges des Hommes Sçavans, tirés de l' Histoire de M. de Thou, avec des additions contenans l'abregé de leur vie, le iugement, & le Catalogue de leurs ouvrages, à Geneve 1683. 12. 2. vol.* Scriptores eo ordine, quo in Thuano occurrunt, exponit, ita, vt ipsius verba gallico idiomate exprimat, atque per aliquas additiones illa ex aliis ſcriptis plenius illuſtret, & plerumque Scriptorum catalogum adiiciat. Prodierunt Ei. *nouvelles Additions aux eloges des hommes ſcavans, tirés de l Histoire de Mr. de Thou, à Berlin 1704. 12.* Hiſce partim ſupplet omiſſa, emendat errores a Bælio notatos, vel defendit.

§. VII.

Ex Anglis vtiliſſimum ſeruauit inſtitutum GVILIELMVS BATESIVS, qui *vitas ſelectorum aliquot virorum, qui doctrina, dignitate aut pietate inclaruere*, collegit atque edidit *Londini 1681. 4.* Has autem non ipſe deſcripſit, ſed diuerſorum auctorum orationes atque narrationes congeſſit. Sunt autem Arthuri Ducki vita Henrici Chichele, Archiepiſcopi Cantuarienſis, Guilielmi Buddeni vita Waynfreti, epiſcopi Wintonienſis, Io. Franciſci Mirandulani vita Io. Pici Mirandulani. Huius vita Hieronymi Sauanarolæ, Io. Caſæ vita

vita Petri Bembi, Ei. vita Casp. Contareni, Rhenani vita Desiderii Erasmi, Lud. Rhegii vita Guilielmi Budæi, Vita Christophori Longoli, Mors Martini Buceri, Georgii Charletoni, vita Bernardi Gilpini, Gualdi vita Vincentii Pinelli, vita Scæuolæ Sammarthani, Vita Iulii Cæsaris Scaligeri, Dan. Heinsii mors Iosephi Scaligeri, Vita Hugonis Grotii, Iosiæ Merceri vita Petri Pithœi, Francisci Neathersole laudatio funebris Henrici Walliæ Principis, Oratio funebris in obitum Thomæ Bodleii, Opitii laudatio funebris in obitum Vlderici Dan. Reg. fil. Gerardi Vossii commentarius de Dom. Fabiano a Dona, Friderici Spanhemii laudatio funebris Friderici Henrici, Arausionensium Principis. Balth. Venatoris panegyricus Iano Grutero scriptus, Leonis Allatii vita Iulii Cæsaris Lagallæ, Degorei Whear vita Guilielmi Camdeni, Vita Antonii Walæi, Nicolai Rigaltii, Vita Petri Puteani, Henrici Valesii oratio in obitum Dionysii Petauii, Ei. oratio in obitum Iacobi Sirmondi, Vita Petri Molinæi, Hadriani Valesii vita Henrici Valesii, Vita Iacobi Vsserii. Vtilissimum est institutum, selectiores & parum cognitas eruditissimorum virorum hoc modo tradere, si modo resecta essent oratoria, quæ lectorem diuertunt. Optanda esset, quæ promittitur, continuatio.

§. VIII.

§. VIII.

Ex Italis, *elogia doctorum virorum ab auorum memoria publicatis ingenii monumentis illustrium* edidit PAVLVS IOVIVS, cum Ioannis Bergani in singulos epigrammatibus, *Antwerpiæ* 1557. 8. Hic tamen sæpius vel præconem nimium, vel etiam censorem acerrimum se gerit, alias est perbreuis. LAVRENTIVS CRASSVS *elogia* scripsit *hominum litteratorum* Italica lingua, *Venetiis* 1668. 4. De hoc Morhofius Polyh. lib. I. c. XIX. ita iudicat: *continet varios per orbem terrarum litteratos, de quibus ille interdum nonnulla refert, quæ alibi non facile inuenias. Nescio tamen, an sincera omnia fide: credo enim multa illum ex aliorum relatiorum hausisse. Recenset ille libros autorum editos ac ineditos, & nonnulla de vtrisque iudicia sæpius inspersit. Notat etiam, vbi inueniri possint Msti quorundam autorum labores: quod vtile multis modis esse potest. De Scaligerianis & Salmasianis scriptis multi illic nominantur inediti, de quibus nullam apud alios mentionem fieri vidi. Non pauca ex hoc autore didici, quæ faciant ad historiam virorum doctorum. Adiunctæ etiam sunt imagines. Scripsit idem Italica lingua Historiam poëtarum Græcorum, &*

qui in Græca lingua carmina ſcripſere : quæ in folio edita eſt Neapoli 1678. Alius NICOLAVS CRASSVS *Venetorum Patriciorum elogia* ſcripſiſſe perhibetur. Ad Craſſi exemplum HIERONYMVS CHILINVS *Theatrum* ſcripſit *hominum litteratorum*, lingua Italica, *Venetiis 1647.* 4, in quo potiſſimum libri & ſcriptores continentur.

§. IX.

Plures generales biographos hic recenſere ſuperſedemus, cum in iisdem colligendis ſollicitus admodum fuerit PHILIPPVS LABBEVS in *Bibliotheca Bibliothecarum*, quæ curis ſecundis, auctior prodiit *Rothomagi 1672. 8.* Hoc tamen de illa dicendum, operoſum fuiſſe Labbeum in deſignandis ſcriptoribus, qui vel catalogos Bibliothecarum, vel vitas & elogia virorum clarorum tum in genere, tum certarum nationum & ordinum, tum particulares etiam ſcripſerunt: irrepſerunt tamen errores nonnulli vel circa nomina & librorum titulos, vel circa ipſos tractatus, qui aliud haut raro habent inſtitutum, quam vt huc referantur. Hanc autem poſtea longe auctiorem dedit ANTONIVS TEISSERIVS, qui publicauit *catalogum auctorum, qui librorum catalogos, indices, Bibliothecas, virorum eruditorum vitas aut orationes funebres ſcriptis conſignarunt, Geneuæ 1686. 4.* Huic enim labori fundamento fuit Biblio-

theca

theca Bibliothecarum Labbei, sed mirum in modum adaucta & emendata, ab iniuriis etiam contra Protestantes repurgata. Accessit haut ita pridem huius *Auctarium*, *Geneuæ 1705. 4*, in quo supplet, quæ in prima Bibliotheca omissa, licet pluribus mendis typographicis sit refertum. Legendum quoque hac de re integrum caput XX. lib. I. polyhistoris Morhofiani, qui plures, eosdemque extantiores particulares vitæ scriptores recenset. Legenda quoque Io. Valentini Vogleri introductio vniuersalis ad notitiam Scriptorum, quæ cum eruditis Henrici Meibomii notis a capite quinto & sequentibus, plura huc facientia collegit.

§. X.

Fuerunt autem permulti, qui certæ tantum patriæ vel vrbis Scriptores recenserent. In vitis *Germanorum* primum habemus IOANNEM TRITHEMIVM, cuius *de luminaribus Germaniæ liber vnus*, seu *Catalogus illustrium virorum Germaniæ*, in primo operum extat, quorum optima est editio *Francofurti 1601. f.* ex Wecheliana. Multam sane notitiam virorum clarorum, eorum maxime, quorum statum alias vix reperimus descriptum, nobis præbet hic Catalogus. Et licet vitæ descriptio prolixa non sit, singularia tamen quandoque sunt, quæ proponuntur. Alius eiusdem est liber *de Scriptoribus ecclesia-*

 sticis,

sticis, in quo circa horum scripta potissimum est sollicitus. Secutus eum HENRICVS PANTALEON, qui in *Prosopographia* sua *illustrium virorum totius Germaniæ*, *Basileæ* 1566. *f.* edita, de viris, & factis & eruditione claris agit, sed breuiter, & pleraque hausit ex Trithemio atque Gesnero. CORNELII LOOSEI, siue CALLIDII *Illustrium Germaniæ vtriusque Scriptorum Catalogum*, *Moguntiæ* 1581. 8. editum memorat Desselius Bibliotheca Belgica *p.* 150, sed ita de eodem iudicat: *quo in libro nimis calide in nouorum episcopatuum erectionem incurrit; &, dum Scriptores nobis promittit, solas fere vrbes, scriptorum sedes natales, depingit.* Optimus vero est MELCHIOR ADAMI, qui *vitas Theologorum, Iureconsultorum, Medicorum & Philosophorum*, qui seculo XVI. claruerunt, describit, quæ prodierunt *Francofurti* 1653, 1663, & *Heidelbergæ* 1610. 8, & sparsim antea editæ coniunctim nunc prodierunt *Francofurti* 1705. *f.* Neque tamen omnia obseruauit, quæ ad accuratam vitæ descriptionem requiruntur, cum in elogiis debito sæpe sit prolixior, in Lutheranos sæpe iniquior, in recensendis scriptis parcior, cum tamen hoc vltimum maxime sit necessarium. Continuauit eundem HENNINGIVS WITTE. Hic enim *Primam & secundam Decadem Theologorum Clarissimorum* primum euulgauit *Francofurti* 1672. 8. recusam 1674. 8, quas insecutæ

cutæ

cutæ fuerunt decades quatuor aliæ. Verum, præter istas decades sex, integram *memoriæ Theologorum Clarissimorum renouatæ Centuriam anno 1685* euulgauit, ita, vt nunc sedecim extarent decades integræ. Post hæc edidit *Memorias Iurisconsultorum nostri seculi clarissimorum renouatas*, *Francofurti 1676. 8.* Cuius quatuor decades prodierunt. Inde *Memoriæ Medicorum nostri seculi clarissimorum renouatæ decades duæ*, *Francofurti 1676. 8.* Demum *Memoriæ Philosophorum*, *Oratorum*, *Poëtarum*, *Historicorum & Philologorum nostri seculi clarissimorum renouatæ decades nouem* , *Francofurti 1677, 1678 & 1679. 8.* Sed neque hæc Wittenii cura sufficere potest, multi enim sunt viri celeberrimi, quorum plane nulla fit mentio, ipsorum etiam, quos adducit, vita satis adhuc est imperfecta, vel flosculis saltim oratoriis delineata, ex programmatibus funebribus & orationibus parentalibus constans, quæ vero in recensendis vitæ fatis sæpissime esse solent steriles. Addit tamen in fine cuiuslibet, catalogum scriptorum ab eo editorum. Quod cœperat opus Wittenius, quantum ad Theologos recentiores, strenue persecutus fuit HENRICVS PIPPINGIVS, qui *sacrum* dedit *Decadum Septenarium*, *memoriam Theologorum nostra ætate Clarissimorum renouatum exhibentem*, *Lipsiæ 1705. 8.* Ipse fatetur Clarissimus auctor, non in omni-

bus satisfieri lectoribus, hisce vitarum descriptionibus, quæ non exhauriant necessaria. Interim tamen, dum alia non habeamus, hisce vtendum. Nec inutilem laborem præstitit vir eruditissimus, maiorem tamen forsan præstitisset vtilitatem, si relictis, quæ Oratoriam sapiunt, excerpta de vitis ex programmatibus atque orationibus saltim exhibuisset: his enim & tempori pepercisset & sumtibus.

§. XI.

Particularis cuiusdam prouinciæ eruditos alii descripserunt. IOACHIMVS FELLERVS edidit *Cygnos Quasimodogenitos*, siue de claris aliquot Cygneis librum, cum præfatione de claris quibusdam aliis Misnicorum oppidorum viris, *Lipsiæ 1686. 4. Monumenta Iulia*, siue memoriam Theologorum Helmstadtiensium edidit GEBHARDVS THEODORVS MEYERVS, *Helmstadii 1683. 4. Scriptorum insignium, qui in Lipsiensi, Wittebergensi & Francofurtana academia à fundatione ipsarum vsque ad annum 1515*, floruerunt; centuriam, ab anonymo concinnatam, in lucem edidit IOACHIMVS IOANNES MADERVS *Helmstadii 1660. 4.* In recensendis *vitis clarorum Silesiorum* hactenus occupatus fuit MARTINVS HANCKIVS, qui in programmatibus quibusdam anno 1666, 1667, 1668, 1669. editis, iam quædam proposuit, optandum,

vt opus, in quo tanta cura laborauit, aliquando ederetur. Licet, vti relatum est, vix de eo sperandum. Cum antea iam NICOLAVS HENELIVS ab HENENFELD in *Silesia sua togata*, siue eorum, qui litteratæ militiæ arte & fama in Silesia claruerunt, memoria, idem egerat. Hanc nunc ex Msto auctoris *Henelii Silesiographiæ renouatæ*, quæ *Vratislauiæ 1704. 4.* prodiit, capite septimo inseruit MICHAEL IOSEPHVS FIBIGER Ordinis Crucigerorum per Silesiam & Poloniam Magister. De nonnullis *Westphaliæ doctis viris* DAVIDIS CHYTRÆI, IOANNIS CASELII, HERMANNI HAMELMANNI aliorumque narrationes extant inter opuscula varia de Westphalia. Plenius opus moliebatur *de illustribus viris & Scriptoribus Westphaliæ* CHRISTIANVS, Baro de PLETTENBERG, de quo nobis testatur Meibomius additionibus ad Voglerum p. 208. Huius autem, post mortem illustris auctoris, vix amplius quid sperandum. *Misnenses* aliquot *claros* in capite XXV. Chronici sui exposuit PETRVS ALBINVS. IOANNES MOLLERVS *Cimbriæ Litteratæ prodromum* scripsit, siue de suis in Historia Patriæ Litteraria Conatibus, ad Marquardum Gudium, *Slesuigæ 1687. 4.* In eadem per transennam indicat, de quibus Scriptoribus sit acturus, & qua ingressurus sit methodo: adnectit etiam in-

diculum ſcriptorum indigenarum illuſtriorum, quorum vitas poſſideat ab aliis conſcriptas. *Roſtochum Litteratum* edidit auctor, qui ſub litteris initialibus A. D. H. D. latere voluit, *1700. 8.* Exhibet in eodem ſyllabum litteratorum, qui Roſtochii 1698 & 1699 vixerunt, cum vitis præcipuorum. Nec tamen Profeſſores ſolum, qui duobus iſtis annis Roſtochi vixerunt, recenſet, eorumque vitas exhibet, ſed etiam litteratos alios, immo quoque ſtudioſos. GOTHOFREDVS SVEVVS *academiam* deſcripſit *Wittebergenſem* ab anno fundationis 1502 ad annum 1655, *Wittebergæ 1655.* PETRVS NIGIDIVS *elenchum Profeſſorum academiæ Marpurgenſis* ſcripſit, qui ab anno 1527 ad 1583, ibidem docuerunt, ſed ſola ſunt epigrammata. Secutus eundem IOANNES IVSTVS PASTORIVS, qui in *Propyleo Athenæi Haſſiaci*, elenchum Profeſſorum in Marpurganſi & Gieſſenſi academiia exhibet, *Gieſſæ 1665. 4.* *Imagines Profeſſorum Tubingenſium* per epigrammata illuſtrauit ERHARDVS CELLIVS, *Tubingæ 1596. 4. Marpurgi 1591. 4.* Quibus demum vltimo loco addimus ADRIANI BEYERI *ſyllabum Rectorum & Profeſſorum Ienenſium, Iudicnm & Ordinariorum in iudicio Prouinciali, atque Paſtorum, 1659. 12.* Eiusdem viri induſtria patet ex diuerſis voluminibus, quæ in Mſto adhuc penes Adrianum Beyerum, Anteceſſorem, &

Colle-

Collegam nostrum honoratissimum supersunt. Inter hæc potissimum reperiuntur Septem volumina *Athenarum Salanarum*, quæ statum ecclesiasticum, ciuilem & litterarium Ienensem describunt. Ex hisce quartum Volumen *Superintendentium*, *Pastorum*, *Diaconorum*, *& Collegarum reliquorum vitas* describit, Sextum volumen *Rectores & Professores*. Septimum *Doctores ibidem promotos*, *horumque vitas*. Aliud volumen comprehendit *Millenarium Hominum in choro, lyceo, foro, thoro &c.* in quo describuntur vitæ Ienæ natorum, educatorum, informatorum, sepultorum &c. Denuo ante biennium *vitas Professorum Theologiæ* adgressus est IO. CASPAR ZEVMERVS, *Ienæ 1704. 8*, quas a fundatione Academiæ ad nostram vsque ætatem percenset, additis eorundem scriptis. Similia promittit de Professoribus reliquis.

§. XII.

In Gallos primus hanc curam suscepit ANTONIVS VERDERIVS. Edidit enim *Bibliothecam Gallicam*, siue indicem omnium scriptorum & librorum, gallico idiomate editorum, *Lugduni 1585. f*, quæ laudem quidem suam habet, notante tamen iam Bailleto, non sine næuis est. Inserta quoque est CLAVDII FAVCHETI *prouincialium poëtarum historia*. Eodem tempore FRANCISCVS GRV-

DEVS CRVCIMANIVS *Sr. de la Croix du* MAINE, edidit *Bibliotheque de France, à Paris 1585. f*, ita, vt inter vtrosque controuersia fuerit, de fublectis sibi per plagium notatis suis. Gallicos autem tantum recenset Crucimanius, latinos alii libro reseruans, qui tamen nunquam est editus. Proposuerat quidem sibi Crucimanius rariora bibliothecarum Galliæ describere sub titulo: *la recherche des bibliotheques*, sed post mortem eius nihil adparuisse testatur Ludouicus Iacobi *de bibliothecis p. 675.* Secutus fuit ANTONIVS MORNACIVS, qui *ferias forenses* edidit & *elogia illustrium Togutorum Galliæ ab anno 1500, Parisiis 1619. 8.* Excepit illum GABRIEL MICHAEL de la ROCHE MAILLET, qui *vitas illustriam perſonarum in Gallia* scripsit, sed isti non tam faciunt ad scripta, quam ad vitam virorum non eruditione solum, sed aliis quoque factis illustrium· ANDREÆ du CHESNE *Bibliotheque des Autheurs François* prodiit *Parisiis 1627. 8*, & quidem eos auctores indicat secundum seriem temporum locatos, qui historiam & typographiam Galliæ scripserunt. CAROLVS SORELLVS *Bibliothecam Gallicam*, idiomate gallico scripsit *Parisiis 1664. 8*, in qua comprehendit auctores, qui gallica lingua scripserunt, aut e latina & græca in gallicam linguam verterunt varios auctores, eorum vero Gallorum, qui lingua latina scripserunt,

runt, nullam plane facit mentionem, cum sine Græcæ ad latinæ linguæ cognitione homines ad perfectam rerum cognitionem peruenire posse arbitretur. Recenset autem potissimum rhetores, morales scriptores, poëtas, Oratores, Grammaticos & historicos Gallos, vbique iudicia sua interponens. LVDOVICVS IACOBI in animo habuit Bibliothecam Gallicam vniuersalem quatuor voluminibus maiori forma conscribere, sub titulo: *La Bibliothequ vniuerselle de tous les autheurs de France, qui ont ecrits en quelque sorte de sciences & de langues.* Sed tantum extat eiusdem *Bibliographia Parisiana*, in qua indicat singulos scriptores Parisiis editos anno 1643, quam etiam quotannis editam continuauit vsque ad 1653. Eiusdem prodierunt libri tres *de claris scriptoribus Cabilonensibus, Parisiis 1652. 4*, licet non nisi librorum titulos exhibeat. Extant quoque SCÆVOLÆ SAMMARTHANI *elogia virorum doctrina illustrium*, qui superiori seculo in Gallia floruerunt, *Pictaui 1602, Lutetiæ 1616. 8.* aucta & recognita *Lutetiæ 1630. 4.* & recusa *Ienæ 1696. 8.* Sed & hæc vere tantum sunt elogia, sine ulla scriptorum editorum recensione: PAVLVS COLOMESIVS *Galliam Orientalem* edidit, in qua vitas recenset Gallorum, qui Orientales excoluerunt, *Hagæ-Comitis 1695. 4.* CAROLVS PERRAVLTVS Homines illustres in Gallia re-

cen-

centioris æui descripsit in libro suo, cuius titulus: *les hommes illustres, qui ont paru en France pendant ce siele*, quorum Tomus I prodiit *Parisiis 1700. 8.* adiectis singulorum iconibus. Tomus II. *Amstelodami 1701. 8.* sine icouibus. Elegantissimum est scriptum, in quo non tantum recensentur viri meritis in ecclesiam & rempublicam clari, sed etiam qui inter litteratos nomen habent, inter quos de multis sane viris insignibus agit, quorum vitam breuiter describit, licet circa horum scripta non adeo sit sollicitus.

§. XIII.

Elegantissima est IOANNIS LAVNOII *academia Parisiensis illustrata*, quæ prodiit *Parisiis 1682 8.* in qua singula faciunt ad illustrationem historiæ litterariæ. In libro tertio inprimis CXXXIV Scriptores, eorumque vitæ & operum indices exhibentur. Huc etiam facere potest PAVLI PELISSONI *Histoire de l' academie Françoise*, quæ primum prodiit *Parisiis 1653. 8.* post recusa est *Hagæ-Comitum 1687. 12.* in qua non solum historia, origo atque progressus Academiæ, quæ ad expoliendam linguam Gallicam fuit instituta, proponuntur, sed etiam multi academici recensentur. CLAVDIVS ALLARDVS edidit *la Bibliotheque de Dauphiné contenant les noms de ceux, qui se sont distingués par leur sçavoir dans cette Prouince & de denombrement de leurs Ouurages depuis XII sie-*

siecle, à Grenoble 1690. 12. In hac bibliotheca illos recenset, qui litteris & doctrinæ præstantia clari fuerunt, nec solum in Delphinatu nati, sed etiam qui ibidem studiis vacarunt. Dolendum tamen, quod non ita in scriptis illorum recensendis sit sollicitus. CLAVDIVS PERRY quoque *historiam vrbis Cabilonensis & de claris eius viris* scripsit *Cabiloni 1659. 4.* De *illustribus Aquitaniæ* viris egit GABRIEL LVRBEVS, *Burdegalæ 1591. 8.* IACOBVS CANAGNESIVS *elogium ciuium Cadomensium* prima centuria constans, edidit *Cadomi 1609. 4.*

§. XIV.

Apud Italos adlegatur sæpius XICCHI POLENTONI *de vitis illustrium Scriptorum* liber, qui tamen videtur adhuc esse in Msto. Prouocat ad illum Bernardinus Scardeonius de antiquitatibus Patauinis p. 236, dum ait: *scripsit inprimis magnum volumen de illustribus Scriptoribus latinis, filio Polydoro dicatum, anno salutis humanæ MCCCCXXXIII, cuius quidem exemplar eius manu descriptum, penes nos est.* Præter hunc, De ANGELICO APROSIO in *Parnasso* suo *Euganeo* testatur Thomasinus, quod anno 1647 Athenas Italicas parauerit, quas tamen editas esse vix credimus. Alias extat ANTONII FRANCISCI DONI *Bibliotheca Italica*, seu Catalogus, in quo numerantur omnes Scriptores Itali, eorum libri ac

materiæ,

materiæ, & versiones de Græca, vel latina lingua in Italicam *Venetiis 1551 & 1580. 12.* IACOBVS PHILIPPVS THOMASINVS *elogia virorum illustrium*, Italorum potissimum scripsit, additis iconibus, quorum prior Tomus *Patauii 1650. 4.* alter *1644. 4.* prodiit. Vere inscripsit elogia, potius enim panegyristam egit, quam verum & perfectum vitæ scriptorem. In notando tamen studiorum cursu, muneribus, quæ gesserunt, morte, epitaphiis & scriptis satis est accuratus. Intermiscet etiam fœminas quasdam Italas, Isotam, Angelam de Nogarolis, Cassandram Fidelem, Lauram Ceretam. Extat quoque eiusdem *Parnassus Euganeus*, siue de scriptoribus ac litteratis huius æui claris tractatus ad Fratres Puteanos scriptus atque editus *Patauii 1647 4*, sed solus est index litteratorum, qui Thomasini tempore claruerunt, neque hic etiam satis accuratus. Edidit æque *prodromum Athenarum Patauinarum* ad Ciues Patauinos, *Patauii 1633. 4*, in quo aliqua proponit, quæ ad statum professorum Patauinorum faciunt, ipsum vero opus non continuauit. Excepit illum IOANNES IMPERIALIS, cuius *Museum Historicum*, elogia continet Italorum litteris illustrium, cum iconibus, prodiit *Venetiis 1640. 4*, licet etiam vitas declamatorio potius more describat, circa animi tamen caracteres definiendas sedulus. BENEDICTI ACCOLTI *dialogus*
de

de præstantia virorum sui æui ex bibliotheca Antonii Magliabechii editus *Parmæ 1689. 8.* Huius institutum est potissimum, vt quæstionem decidat, an veteres recentioribus, an hi veteribus sint præferendi, & quidem de præstantia virorum æui sui agit, atque inde exempla quædam tam heroum quam virorum quorundam clarorum adfert. IANVS quoque NICIVS ERYTHRÆVS, siue IOANNES VICTOR ROSCIVS, cuius *pinacotheca* virorum illustrium primum *Coloniæ 1643* & *1645. 8.* edita, post Lipsiæ recusa. In recensendis Italis tota est, quod sit multa eloquentia, licet adfectata dicendi ratio in eo quoque se exserat. Viros tamen proponit non solum celebres, sed etiam alios haut ita cognitos, de horum viuendi studendique ratione, controuersiis, vitæ fatis, & similibus agit, licet etiam ipse panegyristarum more in plerisque incedat: quandoque etiam de libris quibusdam, certorum exponens rationem, ita, vt non minus iucunda ac vtilis hæc sit pinacotheca. GALEAZIVS GVALDVS PRIORATVS scripsit lingua Italica librum, cui titulus: *Scena d' huomini illustri d' Italia*, qui editus est *Venetiis 1659. 4*, quo continentur varii viri illustres ex Italica gente, & doctrina & fortibus factis celebres. Hos enim viris noctis miscet, teste Morhofio Polyhist. lib. I. c. XIX. p. 228. GREGORIVS LETI in *Italia* sua *regnante*, quæ prodiit

diit *Geneuæ 1676* parte tertia, Italorum noſtræ ætatis nomina recenſet, & ſtatum breuiter deſcribit, quod illis proficuum, qui Italiam adeunt. Cum potiſſimum eruditos Italos noſtræ ætatis recenſeat.

§. XV.

Alii ad certæ tantum vrbis vel academiæ Italos faciunt. Ita prodierunt FRANCISCI ARISII *Cremonenſes litterati*, ſiue in Cremonenſes, doctrinis & litteratis dignitatibus eminentiores, chronologicæ adnotationes. PROSPER MANDOSIVS in *bibliotheca* ſua *Romana* duobus voluminibus centurias decem ſcriptorum Romanorum recenſuit, quorum primum volumen *Romæ 1682. 4.* alterum *Romæ 1692. 4.* prodiit, promiſit quoque tertium volumen. Ex iis autem multam ſcriptorum tum editorum tum ineditorum haurimus notitiam. LEO ALLATIVS in *apibus* ſuis *vrbanis* de ſcriptoribus agit, qui ab anno 1630, per totum annum 1632, Romæ adfuerunt, & typis quid euulgarunt, prodierunt *Romæ 1633. 8*, ita, vt non ſolum deſcriptoris cuiuslibet ſtatu, ſed etiam ſcriptis, quæ edidit, breuiter ediſſerat. OVIDIVS MONTALBANVS ſub nomine IOANNIS ANTONII BVMALDI edidit *Mineruualia ciuium Bononienſium anademata*, ſeu *Bibliothecam Bononienſem*, *Bononiæ 1641. 24*, in qua promiſcue de eruditis Bononienſibus cuius-

libet

libet generis agit, horumque scriptare censet, sub finem etiam catalogum antiquorum pictorum & scriptorum Bononiensium subnectit. Antea prodierat BARTHOLOMÆI GALEOTTI tractatus *de viris illustribus Bononiensibus*, in tres partes diuisus, *Ferrariæ 1690. 4.* Vt taceam NICOLAI PASCHALIS ALIDOSII *Doctores legum Bononienses*, in Bibliotheca iuris iam recensitos.

§. XVI.

Florentinorum scriptorum catalogum edidit MICHAEL POCCIANTIVS, *Florentiæ 1589 & 1593. 4*, in quo continentur memoria scriptorum omnis generis, & quæ ab illis editæ fuerunt lucubrationes. Accessiones quasdam fecit LVCAS FERRINVS, PRATO, Seruita. Promisit quidem IOANNES CINELLVS opus *de scriptoribus Florentinis*, hoc est, iis, qui in omnibus terris sub magni Ducis Hetruriæ imperio floruerunt, quod tamen nondum est editum. Haut ita pridem prodiit *Notitie Litteraria & Istoriche interni egli nomini illustri dell' Academia Florentina*, *Florentiæ 1700. 4.* ANDREAS ROVETTA *Bibliothecam Chronologicam* edidit *illustrium virorum prouinciæ Lombardiæ, sacri ordinis Prædicatorum, qui ab orbe condito ad hæc vsque tempora in ecclesiæ vtilitatem calamum acuerunt*, *Bononiæ 1991. f.* Incipit ab ipso Dominico, & reliquos Dominicanos saltim, quotquot ingenii monumentis claruerunt,

runt, ita describit, vt ipsorum studia, dignitates, virtutes, aliaque, & denique opera ab ipsis elucubrata enarret. Recensent illam Acta eruditorum Iulio 1691. *p. 331* & Iournal des Sçavans 1693. *p. 15.* VBERTVS FOLIETA in *elogiis clarorum Ligurum*, quæ prodierunt *Romæ 1574 f*, atque ex auctiori editione *Romæ 1577. f*, secundum quam hæc elogia tomo primo thesauri antiquitatum Italicarum Græuiani fuerunt inserta, Principes, Pontifices & militari arte claros recenset, atque inter hos, viros etiam eruditos, licet pro instituto tituli, elogia saltim describat. Secutus eundem fuit AVGVSTINVS OLDOINVS, cuius *Athenæum Ligusticum*, seu *syllabus Scriptorum Ligurum, nec non Sauzanensium ac Cyrnensium, Reip. Genuensis subditorum*, prostat *Perusiæ 1692. 4.* Sic etiam MICHAEL IVSTINIANI de *Scriptoribus Liguriæ* egit, *Romæ 1667. 4.* IACOBVS BRACELLVS *de claris Genuensibus, Parisiis 1590. 4.*

§. XVII.

De *viris illustribus Veronensibus* scripsit TORELLVS SARAYNA, *Veronæ 1540, 4.* De *Collegii Veronensis Medicis & Philosophis* ANDREAS CHIOCCVS, *Veronæ 1623. 4.* IVLIVS a PVTEO vero *Collegii Veronensis Iudicum, advocatorum, doctrina, natalibus, honoribusque insignium elogia* scripsit, *Veronæ 1653. f.* De *claris Brixiensibus* eruditus est tractatus LEONARDI

COZZANDI, sub titulo: *della Libraria Bresciana*, cuius prima pars *Brixiæ* prodiit *1685. 12*, in qua recensentur trecenti & viginti Scriptores Brixienses, ita, vt cuiuslibet scriptoris vita, fata, mors & opera indicentur, dispositis ad ordinem alphabeticum nominibus non familiæ, sed præpositiuis. Hæc prima pars non solum recusa est *Brixiæ 1694 8*, sed etiam altera addita fuit, quæ vltra ducentos Scriptores complectitur. AVGVSTINVS SVPERBVS de *viris illustribus Ferrariensibus* scripsit, *Ferrariæ 1620, 4*. De *viris illustribus Parmensibus* RANVTIVS PICVS, italice, *Parmæ 1642. 4*.

§. XVIII.

De *gymnasio Patauino* scripsit ANTONIVS RICCOBONVS, *Patauii 1598. 4*, vbi non solum originem & historiam gymnasii describit, sed etiam de doctoribus in eodem vsque ad 1571 claris, horumque controuersiis & memoratu dignis agit. Sic etiam BERNARDINVS SCARDEONIVS in suo *de antiquitate vrbis Patauii* tractatu, qui *Basileæ 1560. f.* editus, de cuiuscunque generis eruditis, qui vsque ad sua tempora Patauii claruerunt, agit, multumque ad rem litterariam conducit. ANGELVS PORTENARVS libro septimo operis, inscripti *della Felicita di Padua* recenset multos auctores & horum opera, *Patauii 1623. f.* CAROLVS PATINVS in *Lyceo Patauino*, quod *Patauii*

1582. 4. prodiit, Theologorum, Philoſophorum & Medicorum, qui ſuo tempore clari, vitas, elogia & ingenii monumenta complexus eſt, alteri tomo reſeruans Iureconſultos, qui tamen editus non eſt. *Elogia ciuium Peruſinorum* ſcripſit CÆSAR ALEXIVS, *Fulginiæ 1635. 12.* MARCVM ANTONIVM BONCIARIVM quoque in ſe ſuſcepiſſe *de viris illuſtribus*, qui per annos quadringentos Peruſiæ armorum vel litterarum gloria floruerunt, ſcribere, teſtatur Nicius, pinacotheca I. im. LIII. Hoc tamen præſtitit AVGVSTINVS OLDOINVS, cuius *Athenæum Auguſtum*, in quo Peruſinorum ſcripta publice exponuntur, proſtat *Peruſia 1687. 4.* LVDOVICVS IACOBILIVS *Bibliothecam Vmbriæ* ordine alphabetico adnornauit, *Fulginiæ 1658.* Haut ita pridem IVLIVS AMBROSIVS LVCENTIVS *Fulgorem Fulginii* edidit *in ſplendoribus ſanctorum, Romæ 1703. 4*, quo ſcripto vero ſaltim quadraginta & ſeptem ciuium tradit elogia, qui vitæ ac morum ſanctimonia; miraculorumque poſt obitum patratorum, celebritate erant illuſtres.

§. XIX.

Bibliothecam Neapolitanam italice ſcripſit NICOLAVS TOPPIVS, *Neapoli* primum editam *1978. f.* poſt ab illuſtri viro, ANTONIO MAGLIABECHIO & LEONARDO NICODEMO pluribus locis auctam atque emendatam

datam *Neapoli 1683. f.* Catalogum breuem *illustrium Scriptorum Venetorum* italice edidit IACOBVS ALBERICVS, *Bononiæ 1605. 4*, & qui æque italice de illustribus Venetis egit AVGVSTINVS SVPERBVS, *Venetiis 1629. 4.* FRANCISCVS AVGVSTNVS catalogum *scriptorum & Pedemontanorum & Sabaudiensium* italice scripsit, *Taurini 1614. f.* PETRVS DIACONVS elegantissimum librum scripsit *de viris illustribus monasterii Cassinensis*, quem cum auctario edidit IOANNES BAPTISTA MARVS, *Lutetiæ 1666. 8*, qui breues quidem, ast eruditissimas notas adiecit. Haut ita pridem gallico idiomate prodiit *Bibliotheca antiqua Siciliæ*, *Romæ 1700. 4*, in qua recensentur scriptores Siculi a prima ætate vsque ad finem regni Ferdinandi Catholici. Multa singularia de patriis eruditorum Siculorum habet auctor, de scriptis eorumque editionibus, in alias linguas translationibus differit non solum, sed etiam iudicat accurate.

§. XX.

Apud Hispanos extat tractatus ALFONSI GARCIÆ MATAMORI de *academiis & claris Hispaniæ scriptoribus* in Tomo III Hispaniæ illustratæ. Post hunc, VALERIVS ANDREAS TAXANDER, sub quo nomine DESSELIVS latet, *catalogum clarorum Hispaniæ Scriptorum* edidit *Moguntiæ 1607. 4.* Melior hisce est *Hispaniæ Bibliotheca* tribus Tomis

distincta, in cuius Tomo primo Hispaniæ Religio, academiæ, Bibliothecæ, episcopi, concilia, reges, &c. Secundo, elogium Scriptorum veterum, recentium, Theologorum, Religiosorum. Tertio, elogia & Nomenclator diuersarum nationum Hispaniæ, Bæticorum, Lusitanorum, Carpetanorum, Arragonum ac Valentinorum continetur. Prodiit *Francofurti* 1608. 4. Auctor libri est *ANDREAS SCHOTTVS*, qui se A. S. Peregrinum adpellare maluit. Scriptum est rarum & vtilissimum. Completissimum vero hac in parte opus est *NICOLAI ANTONII*, quod inscribitur: *Bibliotheca Hispana*, siue *Hispanorum, qui vsquam vnquamue siue latino siue populari siue quauis lingua scripto aliquid consignarunt notitia, his quæ præcesserunt locupletior & certior, breuia elogia, editorum atque ineditorum librorum Catalogum duabus partibus continens, quarum hæc ordine quidem rei posterior, conceptu vero prior duobus Tomis de his agit, qui post annum secularem 1500, vsque ad præsentem diem floruere, Romæ 1672. f.* In hac cum continerentur scriptores recentiores seculi XVI & XVII, insecuta est *Bibliotheca Hispana Vetus*, in qua complexus est omnes Scriptores Hispanos, qui ab Octauiani Augusti Imperio vsque ad annum 1500, floruerunt, quæ post mortem auctoris prodiit, *Romæ* 1696. *f.* In noua quidem, ordine alphabetico procedit secundum auctorum nomina,

na, in veteri autem, ætatis rationem habet. Elegantiſſimum eſt inſtitutum, atque optandum vt de omnibus terris bibliothecas tanta cura conſcriptas haberemus. Quippe cuiuslibet auctoris primo vitam accuratiſſime deſcribit, elogia & de eo teſtimonia adducit. Hinc ſcripta tum edita, tum in bibliothecis adhuc latentia vel deperdita recenſet, genuina a ſuſpectis diſcernit, & de variis Manuſcriptis, in quibus bibliothecis adſeruentur, egregie ediſſerit, additis indicibus, in quibus auctores vel ſecundum munera ſua diſtinguuntur, vel materiarum accuratiſſimis.

§. XXI.

Belgæ quoque de ſcriptoribus ſuis ſolliciti, idem tentarunt, non tamen eadem cura ac exteri. PANCRATIVS quidem CASTRICOMIVS *nomenclatorem* edidit *ſcriptorum latinorum Hollandiæ, Zelandiæ & Vltraiecti, Lugduni Bat. 1601. 4,* ſed non niſi indicem eſſe nominum teſtatur Deſſelius. Poſt hunc, AVBERTVS MIRÆVS edidit *elogia Belgica, ſiue illuſtrium Galliæ Belgicæ icones & elogia, Antwerpiæ 1609. 4,* ſed ex titulo ſtatim patet, in elogiis potiſſimum conſiſtere. Edidit idem Miræus *elenchum Hiſtoricorum & aliorum Scriptorum nondum typis editorum, qui in Belgicis potiſſimum bibliothecis Manuſcripti extant, Antwerpiæ 1606. 8. Bruxellis* 1622. 8. VALERII ANDREÆ DES-

SELII *Bibliotheca Belgica*, proxima eſt, cuius prima editio *Louanii* facta *1623. 8.* altera *1643. 4.* In hac Scriptores ordine alphabetico ſecundum prænomina recenſentur, ita, vt vita breuiter adducatur, adiecto catalogo ſcriptorum, in quo admodum accuratus eo, in vitæ deſcriptione breuior. Facile tamen patet, auctorem pontificis ſacris fuiſſe addictiſſimum, cum Scriptores Proteſtantes vel omittat plane, vel ſuggillet. Quinquennio poſt primam Deſſelii editionem, prodibant FRANCISCI SWEERTII *Athenæ Belgicæ, ſiue Nomenclator inferioris Germaniæ Scriptorum, qui diſciplinas Philoſophicas, Theologicas, Iuridicas Medicas & Muſicas illuſtrarunt. Antwerpiæ 1628.f.* Conqueritur autem, nec ſine ratione, in poſteriori ſua editione Deſſelius, Svvertium maiorem partem Athenarum ex ſua bibliotheca tranſcripſiſſe. Præferenda omnino hæc eſt ex iterata editione. IOANNES MEVRSIVS in *Athenis* ſuis *Batauis* de vrbe tantum & academia Leidenſi, eiusdemque viris claris agit, prodierunt *Lugduni Bat. 1625.4.* licet non deſint, qui etiam Meurſium plagiarium faciunt, quaſi haſce Athenas ex antiquo quodam Manuſcripto deſumſerit. ANTONIVS SANDERVS *de ſcriptoribus Flandriæ* libros tres, *de Gandauenſibus eruditione claris, libros duos*, & *de Brugenſibus* libros duos edidit *Antwerpiæ 1624. 4.* Edidit quoque *Bibliothe-*

bliothecam Belgicam Manuscriptam, siue *elenchum vniuersalem Codicum Mstorum in celebrioribus Belgii cœnobiis, ecclesiis, vrbium ac priuatorum hominum bibliothecis adhuc latentium*, *Insulis* 1641 & 1642. 4, quod opus multæ est vtilitatis, atque optandum, vt simile quid de Mstis in bibliothecis Germaniæ haberemus. De IOANNE BVNDERIO testatur Desselius Bibliotheca Belgica *p. 170: collegerat indicem Codicum Manuscriptorum per Belgium, vicinasque prouincias; Alphabeti serie ex schedis scriptisque Guilielmi Carnificii Gandensis, itidem Dominicani, qui Belgii bibliothecas fere omnes, & illustriores Germaniæ, Galliæ, Angliæ, ante exortas seculi superioris hæreses, sedulo excusserat. Vidi Codicem illum Ms. apud Lucam Opmerum, Delfium, I C. sed dolendum, thesaurum illum, nescio quo fato, periiisse. Effigies & vitæ Professorum Academiæ Gröningæ & Omlandiæ, Gröningæ* 1654. 4, multas summorum virorum vitas continent. SVFFRIDVS PETRVS *de Scriptoribus & illustribus viris Frisiæ* scripsit decades XVI, & semis, *Coloniæ* 1593. 8. recusas *Franeckeræ* 1699. 12, inter quos tamen multos habet scriptores supposititios. Præferendus itaque eidem est MARTINVS HAMCONIVS, cuius *Frisia* seu *de viris Frisiæ illustribus* prodiit *Franeckeræ* 1620 & *Amstelodami* 1623. 4. PHILIPPVS BRASSEVS *sidera illustrium Hannoniæ Scriptorum* & *Bibliothecam Hannoniæ* scripsit *Hannouiæ* 1637 & 1639. 8. FER-

REOLVS LOCRIVS tractatum edidit de *Atrebatensis ciuitatis scriptoribus, Atrebati* 1616. 4. Æstimandus admodum labor est *HENRICI LVDOLPHI BENTHEMII Holländischer Kirchen vnd Schulen Staat, Franckfurt* 1698. 8. In hoc autem, quidquid ad statum ecclesiasticum facit, parte prima; litterarium vero parte secunda describit, ita, vt omnium, quotquot apud Belgas fœderatos claruerunt, vel adhuc clarent, habeatur ratio, vitæ status exponatur, scripta recenseantur, atque recensiores potissimum Belgii scriptores.

§. XXII.

De Angliæ Scriptoribus primus egit, *IOANNES LELANDVS*, quem continuauit *IOANNES BALÆVS*. Edidit ille *Catalogum scriptorum illustrium maioris Britanniæ*, qui nouem centurias Scriptorum continet, & prodiit *Basileæ* apud Ioannem Oporinum, 1557. f. Hoc opus, licet in tantum reprehenderetur a scriptoribus pontificiis, eo quod Carmelitani olim ordinis Balæus, post reformatam religionem amplexus, vxorem duxerit, laudem suam tamen habet, quod, licet in vitæ descriptione breuior, scripta tamen ab Anglis omni tempore edita, per indicem recensent. Post hunc prodiit IOANNIS PITSEI tractatus *de illustribus Angliæ Scriptoribus, Parisiis* 1649. 4. Quod qui illud post Pitsei mortem

mortem edidit Bishopius, omnium absolutissimum atque accuratissimum vocat. Sed a Guilielmo Burtono in Græcæ linguæ historia p. 55. aliisque satis iam demonstratum fuit, auctorem plagiarium esse fœdissimum, qui pleraque ex Balæo desumsit, reliqua interpolauit, & plures scriptores, qui eadem cum ipso sacra non sectarentur, omisit. GEORGIVS LILIVS ad Paulum Iouium virorum aliquot in Britannia, qui seculo XVI eruditione & doctrina clari atque memorabiles fuerunt, elogia composuit, sed ista memoratu vix digna iudicat Morhofius. Oxonienses Professores atque Scriptores recensuit ANTONIVS a WOOD in *Historia sua & antiquitatibus vniuersitatis Oxoniensis Oxonii 1675 f.* in qua non solum originem & progressum Academiæ, sed etiam scriptores celebres, secundum diuersa sua collegia, quæ apud Oxonienses sunt, horumque vitam & scripta recenset. Multa igitur ex hoc opere hauritur Scriptorum Anglicorum notitia, quorum potiorem partem faciunt Oxonienses: dolendum modo, nullum adiectum fuisse indicem, qui tamen ob multitudinem Scriptorum, qui recensentur, admodum fuisset necessarius. Prodiit quoque *HEROOLOGIA ANGLICA*, hoc est Clarissimorum & doctissimorum aliquot Anglorum, qui floruerunt ab anno 1500, vsque ad 1609, viuæ effigies, vitæ & elogia duobus

Tomis,

Tomis, auctore H. H. *Amstelodami 1620. f.* Paucos ante annos IOANNES PRINCE patrio ſermone edidit *The Worthies of Devon, ſiue Damonios Orientales Illuſtres. Oxonii 1701. f.* Deſcribuntur in hoc opere iuxta Alphabeticum ordinem, vitæ Theologorum, Politicorum, Militum, Medicorum aliorumque virorum inſignium, quibus in Deuonia naſci contigit, a temporibus Normannorum inuaſionem præcedentibus ad præſentem vsque ætatem. Inſigne eſt opus, atque litterariæ rei theſaurus, ſed neceſſariis indicibus deſtitutus. Agunt de eodem Acta Eruditorum Iulii 1702. *p. 281.* Vltimum adhuc addimus HENRICVM LVDOLPHVM BENTHEMIVM, qui ſcripſit *Engliſchen Kirchen vnd Schulen Staat, Lüneburg 1694. 8*, eadem ratione ac Belgicum adornatum. De *Scriptoribus Hiberniæ* libros duos edidit IACOBVS WARÆVS, quorum prior continet ſcriptores in Hibernia natos, poſterior ſcriptores alios, qui in Hibernia munera aliqua obierunt *Dublini 1693. 4.*

§. XXIII.

IOANNIS SCHEFFERI *Suecia illuſtrata*, hypomnematibus hiſtoricis illuſtrata atque aucta a IOANNE MOLLERO prodiit *Hamburgi 1698. 8.* ALBERTI BARTHOLINI tractatus *de Scriptis Danorum* cum eiusdem MOLLERI ſupplementis prodiit *Hamburgi 1699. 8.* Faciunt illi ad ſcripta magis, quorum recen-

recensionem continent , quam ad auctorum vitas. Plura tamen in notis addidit Mollerus, quæ omnino sunt æstimanda, atque tum ad vitam, tum scripta auctorum faciunt, remittit etiam ad scriptores, qui de quouis auctore plenius egerunt. Addimus demum SIMONIS STAROVOLSCII *centum Scriptorum Polonicorum elogia & vitas, Francofurti 1625. 4.* & *Venetiis 1627*, *4*, eiusdemque *de claris oratoribus Sarmatiæ* tractatum, *Florentiæ* editum *1628. 4.* Prodiit haut ita pridem *Pernauia litterata*, in lucem publicam emissa *1703. 4.* Hac omnes, qui studia amant & litteras, tum Professores tum Studiosi recensentur, sed de statu illorum parum dicitur, quidquid tamen scripserunt, adnectitur.

§. XXIV.

Fuerunt præter hosce, qui certarum gentium litteraria nobis exposuerunt; alii, certorum ordinum religiosos, horum vitas & scripta recensuerunt. Licet de iisdem in genere dicendum, quod pauca, & non nisi leuissima de scriptorum statu proferant. In librorum catalogo prolixi sunt, sed horum plerique sunt scholastici. Rariores in nostris prouinciis adparent eiusmodi scriptores, immo nec in pontificiorum Bibliothecis frequenter conspiciuntur, cum plerique apud Italios atque exteros saltim fuerint excusi. Non omnes nobis proponimus, sed illos saltim

tim, qui ad notitiam noſtram venerunt. Initium facimus a vitis & ſcriptis Pontificum. LVDOVICVS IACOBI quidem edidit *Bibliothecam Pontificiam* duobus libris diſtinctam. In primo agitur de Romanis pontificibus, a Petro vsque ad Vrbanum VIII, ac de pſeudo-pontificibus, qui ſcriptis claruerunt. In ſecundo vero, de auctoribus omnibꝰ, qui vitas pontificum ſcripſerunt, *Lugduni 1643. 4.* Secutus eundem fuit AVGVSTINVS OLDONIVS, qui edidit *Athenæum Romanum*, in quo ſummorum Pontificum ac pſeudo-pontificum, nec non S. R. E. Cardinalium & pſeudo-Cardinalium vitæ & ſcripta publice exponuntur, *Peruſiæ 1676. 4.*

§. XXV.

De ſocietatis Ieſu Scriptoribus primus egit PETRVS RIBADENEIRA. Hic enim edidit *illuſtrium Scriptorum Religionis Societatis Ieſu Catalogum*, *Antwerpiæ* ex Plantiniana *1608. 8*, qui poſtea auctior prodiit *Lugduni 1609. 8.* atque *Antwerpiæ 1613. 8.* Hunc catalogum noua acceſſione locupletauit PHILIPPVS ALEGAMBE, *Antwerpiæ 1643. f.* Tandem vsque ad annum 1675 produxit NATHAN SOTHVELLVS, *Romæ 1678. f.* Hi autem ſcriptores in vitæ expoſitione reliquis ſunt prolixiores. PHILIPPVS LABBEVS quoque *Bibliographiam Societatis Ieſu anni 1661* ſcripſit,

Pa-

Parisiis 1662. 4, qua omnia huius Societatis scripta isto anno edita recenset.

§. XXVI.

Plures sunt, qui Dominicanorum Ordinis Bibliothecam nobis reliquerunt. Egit illud ANTONIVS de CONCEPTIONE, *Senensis* dictus, cuius *Bibliotheca virorum insignium Ordinis Fratrum Prædicatorum* prodiit *Parisiis* 1585. 8. Sic etiam AMBROSIVS GOZZEVS scripsit *catalogum virorum ex familia Prædicatorum litteris insignium*, *Venetiis* 1605. 8. AMBROSIVS ALTAMVRA *Bibliothecam Dominicanam* a prima ordinis constitutione ad annum 1600, *Romæ* 1677. *f.* SERAPHINVS RAZZIVS *Historiam virorum illustrium Ordinis Dominicani*, italicæ, *Luccæ* 1596. 4. ALPHONSI FERNANDEZ *notitia Scriptorum*, *Præsulum*, *Confessariorum Regiorum familiæ Dominicanæ* extat in Concertatione eiusdem Prædicatoria, *Salmurii* 1615. *f.* LEANDER ALBERTVS de viris illustribus Ordinis prædicatorii, *Bononiæ* 1617. *f.* varios auctores congessit, vtpote IOANNEM CAROLI *de viris illustribus Ordinis Prædicatorum* SEBASTIANVM FLAMINIVM & IOANNEM ANTONIVM FLAMINIVM atque FRANCISCVM CASTELLIONENSEM, IOANNEM GARZONEM, NICOLAVM BAGNATORIVM, BAR-

THO-

THOLOMÆVM MORTARIVM, NICOLAVM BRIXIANVM & GEORGIVM MEDIOLANENSEM. Præterea PETRVS MALPÆVS *Athenæum* ſcripſit *Dominicanorum*, IOANNES BAPTISTA LANCIVS *elenchum Scriptorum Ordinis Dominicani*, VINCENTIVS MARIA FONTANA *theatrum Ordinis Dominicani*. HIERONYMVS BVRSELLVS & SEBASTIANVS de OLMEDO *Generalium huius ordinis hiſtoriam* expoſuerunt. ANTONIVS MALLETVS *Hiſtoriam Paparum, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Doctorum & aliorum virorum illuſtrium, qui aut Priores fuerunt, aut Religioſi in Conuentu S. Iacobi Pariſienſis Ordinis Prædicatorum*, gallice, *Pariſiis 1634* & BALTHASAR SORIONIVS *de illuſtribus Dominicanis prouinciæ Arragoniæ*. Omnium vero curas ſuperauit ANDREAS ROVETTA, cuius *Bibliothecam Chronologicam illuſtrium virorum prouinciæ Lombardiæ ſacri Ordinis Prædicatorum, Bononiæ 1691. f.* editum, ſuperius iamtum §. XVI recenſuimus.

§. XXII.

§. XXVII.

Augustinianum Encomiasticum edidit PHILIPPVS ELSSIVS, *Bruxellis 1654. f.* In hoc sanctitate, prælatura, legationibus, scriptis illustres Augustinianos recenset. Verum, iam de eo Labbeus, quod præter menda quamplurima, plerumque in aliorum describendis Catalogis adqiueuerit. THOMAS HERRERA *Alphabetum Augustinianum* scripsit, *Madriti 1654. 4. Elogia virorum illustrium Ordinis Eremitici S. Augustini* composuit CORNELIVS CVRTIVS, cum imaginibus ad viuum expressis, *Antwerpiæ 1636. 4.* THOMAS GRATIANVS *Anastasin* scripsit *Augustinianam* siue de Scriptoribus Ordinis Eremitici S. Augustini, *Antwerpiæ 1613. 8.* Nuper prodiit *dissertatio Historica de ducentis Augustinianis scriptoribus, qui obierunt post magnam vnionem ordinis Eremitici, vsque ad finem Tridentini concilii, amplioris Bibliothecæ Augustinensis præuia*, Autore Fr. ANTONIO GANDOLFO, Genuensi *Romæ 1704. 4.*

§. XXVIII.

Carmelitanam Bibliothecam scripsit PETRVS LVCIVS, *Florentiæ 1593. 4.* Similem meditatus fuit LVDOVICVS IACOBI. CLEMENS MARIA FELINVS *Sacrum Musæum* edidit *Mantuanæ Congregationis Carmelitarum de Obseruantia, Bononiæ 1691. 4.* Hoc autem istius Mantuanæ congregationis membrorum laudes

distichis decantauit. Edidit illud GAVDENTIVS ROBERTVS, qui etiam totius Carmelitarum Ordinis Acta atque Opera promisit. *Bibliothecam Cartusianam* THEODORVS PETREIVS, *Coloniæ 1609. 8.* Inter præcipuas æstimatur CAROLI VISCH *Bibliotheca Scriptorum sacri Ordinis Cisterciensis*, elogiis plurimorum, maxime illustrium adornata. Prodiit primum *Duaci 1649. 4.* post, cum Chronologia Monasteriorum O. C. aliquot opusculis antiquorum Patrum eiusdem Ordinis, *Coloniæ 1656. 4.* Idem prouocat ad PHILIPPI SEGVINI Bibliothecam manuscriptam Cistercienſem. *Bibliotheca Cluniacensis*, in qua SS. Patrum Cluniacensium vitæ continentur, collecta a MARTINO MARRIER, cum notis Andreæ Quercetani, *Parisiis 1618. f.* *Athenas orthodoxorum sodalitii Franciscani, qui vel selectu eruditionis, vel floridiore eloquentia, vel editis scriptis operam nauarunt*, edidit HENRICVS WILLOTVS, *Leodii 1598.* & *Antwerpiæ 1600. 8.* Secutus eundem fuit LVCAS WADINGVS, cuius *Scriptores ordinis minorum, cum syllabo illorum, qui ex eodem ordine, pro fide Christi fortiter occubuerunt*, prodierunt *Romæ 1650. f.* Et quis omnes enarraret, præcipuos saltim notasse sufficiat, cum plures adhuc superesse certum sit. Reliquos recenset Philippus Labbeus & Antonius Teisserius, de quibus supra §. IX.

§. XXIX.

Ne autem incompleta ſit noſtra tractatio, addere hic quoque placet illos Scriptores, qui certorum vitas, ſecundum Facultates quæ dicuntur, ſcripſerunt. De Vitis Scriptorum Eccleſiaſticorum, inter antiquiores quidem primus eſſe videtur HIERONYMVS, cuius *de viris illuſtribus* liber, diuerſimode editus, poſtmodum ex recenſione & cum adnotationibus variorum, cura *Erneſti Salomonis Cypriani, Helmſtadii 1700. 4*, quæ editio ob textum non ſolum, ſed notas etiam adiectas eſt optima. Hic autem Scriptores eccleſiaſticos a paſſione Chriſti vsque ad A. C. 392 percenſuit. Idem Cyprianus poſtea edidit GENNADII Maſſilienſis librum *de Scriptoribus eccleſiaſticis*, *Ienæ 1703. 4.* Cum Mſtis Codicibus variis Gennadium contulit, notas & variantes lectiones adiecit, nec minus *Wilhelmi Erneſti Tentzelii florum ſparſionem ad Hieronymi librum de Scriptoribus eccleſiaſticis.* Continuauit hoſce ISIDORVS Hiſpalenſis, qui in ſuo *de Scriptoribus eccleſiaſticis* libro, Scriptores XXXIII deſcribit. ILDEFONSVS ſequitur, Iſidorum continuans. Inde HONORIVS Auguſtodunenſis *de luminaribus eccleſiæ* librum compoſuit, quem ex Hieronymo, Gennadio, Iſidoro & Beda fere contexuit. Sic & SIGEBERTI GEMBLACENSIS liber *de Scriptoribus eccleſiaſticis* extat,

quem poſtea continuauit HENRICVS GANDAVENSIS. Hi autem omnes, quos recenſuimus, ſeparatim ſæpius fuerunt editi. Primum illos coniunctim edidit *Suffridus Petri*, *Coloniæ* 1580. 8. Sed locupletior eſt editio, quæ cum *Auberti Miræi* auctariis prodiit & ſcholiis, *Antwerpiæ* 1639. *f.* Vltimum ex antiquis adhuc addimus IOANNEM TRITHEMIVM, cuius *Catalogus Scriptorum eccleſiaſticorum*, quo vel DCCCCLXX vitæ breuiter deſcribuntur, *Moguntiæ* prodiit, 1494. 4, & cum anonymi cuiusdam appendice, *Pariſiis* 1512. 4., cum inſignii *Balthaſaris Werlini* appendice, *Baſileæ* 1594. 4 atque inter opera Trithemii.

§. XXX.

Ex recentioribus ſecutus fuit prædictos ROBERTVS BELLARMINVS, cuius *de Scriptoribus eccleſiaſticis* liber prodiit *Pariſiis* 1616. 8. poſtea *Pariſiis* 1660. 8. recuſus. Hoc autem eccleſiaſticos Scriptores vsque ad annum 1501 ſecundum ætatem ſuam recenſet, horumque ſcripta exponit. Multa præſtitit Bellarminus hoc libro, quibus laudem meretur, ita, vt inter optima eius ſcripta haut immerito referatur, neque tamen a communibus Pontificiorum vitiis eſt immunis, quin etiam ſuppoſititia aliqua pro genuinis venditet: multa ad Chronologiam, hiſtoriam criticamque ſpectantia prætermiſit, alia autem

tem pontificiorum dogmata propagauit. Secutus eundem *PHILIPPVS LABBEVS*, qui *de Scriptoribus ecclesiasticis* duos tomos edidit *Parisiis* 1660. 8. Ordine alphabetico vtitur, atque Bellarminum vel emendat, vel plenius explicat, ita, vt non solum adderet, quæ ad historiam, Chronologiam & Criticam ecclesiasticam faciunt, sed etiam Bellarmini atque aliorum errores castigaret. Licet Sirmondi Mstis eundem fuisse vsum velit, & iniquum sæpe agat censorem. Idem Bellarmini continuationem promisit, quam, cum Labbeus non præstaret, postmodum suscepit *ANDREAS SAVSSAY*, *Tulli* 1665. 4. & *Coloniæ* 1684. 4. Verum plenius est *CASIMIRI OVDINI Supplementum de Scriptoribus vel Scriptis Ecclesiasticis*, a Bellarmino omissis ad annum 1460. vel ad artem Typographicam inuentam, *Parisiis* 1686. 8. Supplementum quidem est Bellarmini, ita tamen, vt scriptores a Bellarmino enarratos non penitus negligat, quin etiam aliqua addat vel emendet; id quod multa cura præstitit atque eruditione, Regia ad hæc Bibliotheca vsus frequentissime. *AVGVSTVS VARENIVS*, magnum olim opus moliebatur *de Scriptoribus ecclesiasticis* ad nostra usque tempora, cuius tamen prima saltim pars de scriptoribus primi & secundi seculi prodiit sub titulo: *Rationarii Theologici de scriptoribus ecclesiasticis*, *Rostochi*

1669. & 1673. 4. Nec omitti debet IOANNIS GOTTFRIEDI OLEARII *abacus Patrum & scriptorum ecclesiasticorum alphabeticus, Ienæ 1673. 8.* Supplementum esse voluit Patrologiæ Gerhardi, atque multa de scriptoribus ecclesiasticis profert quæ erudita, licet prolixior sit in notanda editionum diuersitate, quam describendis vitis. Leuius scriptum est MARTINI ZEILERI, quod sub titulo prodiit *Historischer Anzeiger vieler heiliger hocherleuchteter vnd aus den Schrifften bekandter auch anderer vornehmen Leute, Franckfurt 1658. 8,* paucissima enim habet quæ notatu digna. GVILIELMVS CAVE vtilissimum laborem suscepit, dum in Scriptorum ecclesiasticorum Litteraria historia occuparetur. Prodiit primum Eiusdem *Chartophylax ecclesiasticus,* quo prope MD. Scriptores ecclesiastici tam minores, quam maiores, tum Catholici, tum Hæretici, eorumque patria, ordo, facta, munera, ætas & obitus, editiones operum præstantiores, opuscula, quin & ipsa fragmenta, breuiter indicantur, Scriptores dubii a certis, suppositicii a genuinis, non extans a superstitibus distinguuntur, a Christo nato ad annum 1517. Accedunt Scriptores gentiles, Christianæ religionis oppugnatores & breuis cuiusque seculi conspectus, *Londini 1685. 8.* Vix editus erat hic Chartophylax, quin *Paralipomena* ad eundem ederet PAV-

LVS

LVS COLOMESIVS, *Londini 1686. 8*, quibus eundem in multis suppleret, quæ postea obseruationibus suis sacris adiecta auctiora edidit *Londini 1689. 12.* Eruditus autem Cauei labor æstimabatur ab omnibus, sed, cum de eius breuitate nimia quererentur plerique, ipsumque Caueum, vt maiori operi manum admoueret, enixe rogarent, sequebatur Eiusdem *Scriptorum Ecclesiasticorum Historia Litteraria a C. N. ad seculum XIV, Londini 1688. f.* Ad seculum saltim decimum quartum peruenit, cum grauissimo morbo adfligeretur. Quare, cum de ipsa vita pene desperaret, *HENRICVM WHARTONVM* in partes vocauit, vt eodem, quo cœperat, ordine, cætera absolueret, qui ideo *Appendicem* adiecit ad eandem Historiam Litterariam, Scriptores recensens ab anno MDXVII, quæ cum eadem Historia fuit excusa, ipsa vero, vna cum appendice recusa *Geneuæ 1693. f.* Opus est elegantissimum atque vtilissimum, quo non solum Scriptorum eo modo, quo titulus proponit, vitæ & scripta distinguuntur, sed etiam historiæ ecclesiasticæ & chronologiæ ratio habetur. Facit huc etiam B. *CASPARIS SAGITTARII*, Præceptoris & antecessoris nostri *introductio in historiam ecclesiasticam & singulas eius partes*, quæ, curante Ioanne Andrea Schmidtio, prodiit *Ienæ 1694. 4.* opus posthumum. Hac quidem no-

titiam potissimum scriptorum veterum atque recentium sibi proponit, ita tamen, vt illorum, qui præ aliis claruerunt, vitas scriptis præmittat, atque de recentioribus quibusdam multa proponat singularia. Restat LVDOVICVS ELLIES du PIN, cuius est *Nouvelle Bibliotheque des Auteurs Ecclesiastiques, contenant l' histoire de leur ecrits, la Critique & la Chronologie de leurs ouvrages, le Sommaire de ce qu' ils contiennent, vn iugement, sur leur stile & sur leur doctrine; & le denombrement des differentes editions de leurs Ouvrages. Tome premier des Auteurs des trois premiers siecles. Avec vne dissertation preliminaire sur les Autheurs de la Bible, à Paris 1686. 8.* Hoc opus postea per quatuordecim tomos fuit continuatum, quibus seculorum XVI. Scriptores atque Historia percensentur. Sex Tomi erant editi, cum multæ de hoc Scripto mouerentur auctori controuersiæ, ita vt sub nouo postea titulo: *Histoire des Controverses & des Matieres ecclesiastiques* hoc opus continuaret, methodum quoque aliquantum immutaret. Retinuerunt tamen priorem titulum Belgæ, qui recudi fecerunt hoc opus Montis & Amstelodami Tres etiam priores libri sub titulo: *Nouæ Bibliothecæ auctorum Ecclesiasticorum* in latinum sermonem translati prodierunt *Coloniæ 1691. 4.* In prioribus sex Tomis prolixius longe est Du Pinius non solum in vitæ descriptione,

ptione, in qua illis potiſſimum circumſtantiis eſt intentus, quæ ad illuſtranda Patrum ſcripta faciunt. Sed etiam operum ab iisdem cenſuram & ſingulorum compendium exhibet, editiones enumerat, de ſtylo illorum iudicat, & quæ varia eorum ſint dogmata, exponit, vt magni vſus ſit hoc Opus: In poſterioribus autem potius facit ad hiſtoriam. Tacemus illos, qui in Hiſtoria ſua Eccleſiaſtica ſingulis ſeculis in Scriptores Eccleſiaſticos præcipuos ſubiecerunt, quod fecerunt Spanhemius & Natalis Alexander. Tacemus etiam illos, qui Patrologias vel Cenſuras Patrum nobis dederunt, quos atque alios Bibliothecæ Theologicæ relinquimus: hæc pro noſtro inſtituto ſufficiant. Vnicum adhuc addimus, *LVDOVICVM BAILIVM* cuius *Sapientia foris prædicans*, *ſeu Bibliotheca Concionatorum* prodiit *Pariſiis* 1666. 4. In tres partes opus ſuum diuiſit, quarum priori de illis Oratoribus ſacris agit, qui ab Orbe Condito ad Chriſti natiuitatem vsque vixerunt. Secunda de patribus agit, qui euangelium publice fuerunt profeſſi vsque ad ſeculum XI. Tertia vero pars, quæ etiam ampliſſima eſt, ad initium ſuperioris ſeculi vsque progreditur. Singulorum vitas deſcribit & ſtylum, maxime qua in parte excelluerint. Hnc vt eo melius doceret, integra quoque ex illorum homiliis excerpta dedit, & vbique

eloquentiæ sacræ incrementa monstrat & decrementa.

§. XXXI.

Isti autem sunt, qui Scriptores Ecclesiasticos superioris ætatis recensuerunt: pergimus ad illos, qui vitas recentiorum Theologorum ediderunt, inter quos præter ADAMI, WITTENIVM, PIPPINGIVM, ZEVMERVM, supra iamdum memoratos occurrit IOANNIS SCHOPFII *Academia Christiana siue succincta descriptio Christi, sanctorum Apostolorum, celebriorum Patrum, ac Doctorum ecclesiæ, qui passim in orbe terrarum plantarunt ecclesiam Iesu Christi, iam inde a temporibus Apostolorum vsque ad Lutherum*, quæ primum *Tubingæ 1593. 4.* prodiit, post, renouata a *Ioanne Himmelio Spiræ 1616. 8.* Pauciores tamen recenset Scriptores, horum vitam & doctrinam exponens: nihil de scriptis. Sequuntur IOANNIS BISMARCI *vitæ & Res gestæ Præcipuorum Theologorum*, quorum liber primus prodiit *Halæ 1614. 4.* Vitas celebrium quorundam Theologorum describit, atque a Reuchlino incipit, eo quod ante reformationem linguas & artes a Pontificiorum barbarie primus repurgauerit, ab hoc dein ad præcipuorum Wittebergensium vitas progreditur, quæ orationibus singulis continentur, quas vel ipse auctor coram Dominis Colloquii Aluenslebiani fratribus, vel alii etiam in Wittebergensi acade-

academia recitauerant. Inter hæc reperiuntur etiam vitæ illorum, qui inter Crypto-Caluinianos fuerunt habiti, Vitæ itaque ſtatum inibi videmus cum elogiis, nihil tamen de eorundem ſcriptis. BALTHASAR MENCIVS *elogia* ſcripſit *Doctorum ac Profeſſorum Theologiæ in academia Wittebergenſi*, AVGVSTINI BRVNNII habemus *libellum ſynopticum, in quo præcipui Theologiæ Doctores & Eccleſiæ Miniſtri, qui iuxta Auguſtanæ Confeſſionis normam & formulam Concordiæ, euangelium Chriſti ab anno 1590 ad 1615 docuerunt*, recenſentur. IACOBVS VERHEIDEN *præſtantium aliquot Theologorum*, qui Romanum pontificem, vt Chriſti in terris Vicarium & ſancti Apoſtolorum principis ſucceſſorem, præcipue oppugnare moliti ſunt, effigies, cum eorum vitis & librorum Catalogis edidit, *Hagæ Comitum 1602. f.* Male de eo iudicat Labbeus, ſed hoc ex odio ſolum religionis. Rarum eſt ſcriptum, atque ob additas effigies æri optime exciſas ſumtuoſum: breuis tamen eſt auctor in vitarum deſcriptionibus, quæ potiſſimum ſunt reformatorum. Secutus hoſce fuit THEOPHILVS SPITZELIVS, cuius primum prodiit *vetus academia Ieſu Chriſti*, in qua XXII priſcæ ſinceræque pietatis Profeſſorum icones exhibentur, documentis priſcorum pietatis veræ Doctorum & Profeſſorum illuſtratæ *Auguſtæ Vindelicorum 1671.* Subſecutum eſt Eiusdem

Tem-

Templum honoris reseratum, in quo L. illuſtrium huius æui orthodoxorum Theologorum, Philoſophorumque imagines exhibentur, & quibus monumentis libriſque editis velmanuſcriptis inclaruerint, diſerte oſtenditur. Acceſſit *ANTONII REISERI de quibusdam claris huius æui Theologis epiſtola, Auguſtæ 1673. 4*, Vna utriusque eſt ratio: icones exhibentur Theologorum præſtantiſſimorum, quibus ſubiicitur vitæ deſcriptio, quæ tamen ſufficiens non eſt, & potius panegyrica. In fine horum ſcripta adnectuntur *IOANNES CHRISTOPHORVS RVMETSCHIVS* ad ioannem Fridericum Heckelium epiſtolam ſcripſit, qua continetur *Schediasma de vniuerſali Theologorum Euangelicorum Hiſtoria, Spiræ 1679. 4.* Breuiter eodem diſſeritur de vetuſtioribus æque & recentioribus Scriptoribus, qui ad ſcribendam Theologorum hiſtoriam poſſint eſſe vtiles. Anſam huic epiſtolæ dedit ipſum *IOANNIS FRIDERICI HECKELII* Inſtitutum, quod in *Sciagraphia* ſua *Theologorum Euangelicorum vniuerſalis Hiſtoriæ*, ad Vitum Ludouicum a Seckendorff ſcripta, propoſuit, qua magnum opus vniuerſalis Theologorum Hiſtoriæ ſe adgreſſum eſſe profitetur. Vix tamen poſt ipſius mortem amplius quid ſperandum.

§. XXXII.

Qui de vitis Ictorum egerint, iam expoſiti

sti fuerunt in capite primo §. II & III selectæ Bibliothecæ Iuris, quos exinde repetemus. *Veterum Ireconsultorum*, ex quorum scriptis Pandectæ sunt desumtæ, vitas descriptas debemus NICOLAO HENELIO, *Lipsiæ* 1654. 8, vna cum IO. LORICHII *Catalogo*. Henelio iungendæ sunt BERNARDINI RVTILII *vitæ Iureconsultorum*, *Lugduni* 1518. 8. Hunc sequitur VALENTINVS FORSTERVS in libro secundo historiæ iuris ciuilis, *Moguntiæ* 1607. 4. Leuioris momenti est tractatus CATELLIANI COTTÆ de *Iuris peritis*, qui in Tomo primo Tractatus Tractatuum, & separatim extat. Breuis est tractatus FRANCISCI HOTTOMANNI *de Ictorum vitis*, qui in Pomponio memorantur, cum aliis eius operibus, *Francofurti* 1587. *f.* Prioribus est præferendus IOANNES BERTRANDVS in libris duobus, quos inscripsit Βίοι Νομικῶν, *s. de iuris peritis antiquis*: prodiere *Tolosæ* 1622. 4, & ex emendatiori editione, cum breuibus Ægidii Menagii, aliorumque eruditorum animaduersionibus, *Lugduni Batauorum* 1675. 8. Huius tamen & priorum errores sæpius tetigit GVILIELMVS GROTIVS *de vitis Ictorum, quorum in Pandectis extant nomina*, *Lugduni Batauorum* 1690. 4. qui in hac elaboratione est accuratissimus.

§. XXXIII.

Recentiorum Ictorum, qui post restauratam

tam primum Iurisprudentiam vixerunt, vitas descripsit IOANNES FICHARDVS, ab Irnerio vsque ad Zasium, *Patauii 1565. 4.* Hunc secutus est MARCVS MANTVA, alias BENAVIDIVS, in *epitome virorum illustrium* cum Fichardo edita. Sed vtrique nimium sunt breues Germanorum seculi decimi sexti IⅭtorum vitas scripsit MELCHIOR ADAMI, quem, quantum ad seculum decimum septimum, continuauit HENNINGIVS WITTENIVS, de quibus superius. Circa Italos recentiores occupatus est GVIDO PANCIROLLVS *de claris Legum interpretibus, Venetiis 1655. 4,* qui tamen Panegyristam potius agit. *Patauinorum vitas* in suo de antiquitatibus Patauinis descripsit libro BERNARDINVS SCARDEONIVS. De *Bononiensibus Doctoribus* commentatus est IOANNES NICOLAVS PASCHALIS ALIDOSIVS, *Bononiæ 1620. 4.* Nec prætereundæ sunt *vitæ decem clarissimorum IⅭtorum,* quæ ex recensione & cum notis FRIDERICI IACOBI LEICKERI prodierunt *Lips. 1686. 8.*

§. XXXIV.

Primus, qui *Medicorum vitas* scripserit, mihi videtur REMACLVS FVCHSIVS, quæ cum Symphoriani Campegii catalogo prodierunt *Parisiis 1540. 8* Vitas illustrium Medicorum præter Adamum & Wittenium congessit PETRVS CASTELLANVS, *Antwer-*

piæ

piæ 1618. 8. Harum CLXXX exhibet, licet multi æque ſuperiorum temporum præſtantiores adhuc deſiderentur. IOANNES NEANDER poſtmodum *ſyntagma* edidit, in quo medicinæ natalitia, ſectæ, placita & hiſtoria continetur, *Bremæ 1623. 4,* in quo circa propagatorum medicinæ vitas potiſſimum eſt occupatus. Iniquius tamen de hoc auctore iudicium eſt Philippi Labbæi, plagii atque diuerſorum errorum illum incuſantis. Ante hoſce SYMPHORIANVS CAMPEGIVS *de claris Medicinæ Scriptoribus veteribus ac recentioribus.* Secutus hoſce fuit IOANNES ANTONIDES von der LINDEN de *ſcriptis Medicis*, primum *Amſtelodami 1632. 8. 1651 & 1662. 8.* Hic enim præmiſſa breui auctorum vita, ad eorundem ſcripta demum deſcendit. Hunc librum poſtea ſub titulo: *Lindenii renouati* auctius longe edidit GEORGIVS ABRAHAMVS MERCKLINVS, *Noribergæ, 1686. 4.* Hic non ſolum alphabeticus eſt, ſecundum Scriptores directus, ſed etiam ob indicem additum, realis. Plures tamen næuos litterarios in hoc libro notat Voglerus introduct. in notit. Scriptorum cap. VIII. Hos autem errores emendare, defectus ſupplere ſibi ſumſerat GEORGIVS HIERONYMVS VELSCHIVS, quod inter promiſſa n. XXI habemus. Melchior Adami adlegat CASPARIS PEVCERI *vitas illuſtrium Medicorum*, absque auctoris nomine

ne editas, quas tamen ipse se non vidisse testatur in vita Peuceri p. 175. IOANNES BVMALDVS, siue, qui sub hoc nomine latet, OVIDIVS MONTALBANVS *Bibliothecam Botanicam* edidit *Bononiæ 1657. 16.* qua insigni diligentia Græcos, latinos veteres, Arabes & recentiores enumerat, editiones adnotat, nulla tamen vel temporis vel alphabeti habita ratione. Sic etiam *priscorum Medicorum vitas* pollicitus est ÆGIDIVS MENAGIVS. THOMAS REINESIVS in Historia Medicorum fuit operatus, vti ipse testatur epistolis ad Hoffmannum & Rupertum p. 579. IOANNEM BAPTISTAM CAPPONVM meditatum fuisse *Historiam Medicam vniuersalem*, atque *Bibliothecam* cum notitia Mstorum totius orbis in quocunque idiomate. Verum de his omnibus, quantum nouimus, nihil adhuc est editum. Magnum opus *de vitis Medicorum* conscripsit IOANNES HENRICVS MEIBOMIVS, cuius rationem filius exposuit epistola ad Velschium de Medicorum historia scribenda, quæ *Helmstadti* prodiit 1669. 4, qua ipsum sollicitabat de supplemento circa Scriptores Arabes. Responderat non solum Velschius sed etiam *Historiam Medicorum Orientalium* elaborauit. Ipsum autem parentis opus simulac ipsi otium fuerit, se reuisurum atque publicaturum promisit Henricus Meibomius additionibus ad Vorstii introductionem p. 191.

Hoc

Hoc tamen interea mortuo, an adhuc quid ſperandum, non conſtat. Dignum ſane opus, vt quod vel omnes prædicant, publicæ vtilitati concedatur. *Medicorum veterum aliquot & recentiores icones* prodierunt ex Bibliotheca IOANNIS SAMBVBI, cum elogiis, *Amſtelodami 1612. f.* Sic etiam IOANNES GEORGIVS SCHENCKIVS *epitaphia* edidit & *epicedia illuſtrium Medicorum.*

§. XXXV.

Philoſophi ſequuntur, quorum Biographos in Capite primo Bibliothecæ Philoſophicæ iam expoſuimus *§.* III & IV, inde paucis hic repetemus. Primus, qui illud egit, eſt DIOGENES LAERTIVS *de vitis & moribus philoſophorum*, cuius optima eſt editio, quæ cum notis variorum, præcipue doctisſimis Ægidii Menagii, cura *Marci Meibomii* prodiit, *Amſtelodami 1692. 4.* Hoc opus plane egregium eſt, & fundamentum certe omnis Hiſtoriæ Philoſophicæ. Hunc inſecutus fuit EVNAPIVS Sardianus, cuius *de vita philoſophorum & ſophiſtarum* liber primum græce & latine ex bibliotheca Sambuci prodiit *Antvverpiæ 1568. 8* & cura *Andreæ Schotti, Antvverpiæ 1616. 8.* Hic, licet in Chriſtianos fuerit iniquus, vitas tamen Plotini, Porphyrii, Iamblichi, Alipii, Ædeſii, Maximi, aliorumque ſeculi quarti celebrium philoſophorum non quidem ſatis perſpicue, docte tamen

descripsit. Tertius est HESYCHIVS MILESIVS, cuius liber *de claris Philosophis* græce & latine per *Hadrianum Iunium* editus est, cum notis *Henrici Stephani*, *Parisiis* 1593. 8, post, cum notis *Ioannis Meursii*, *Lugduni* 1613. 8. Huc faciunt etiam PHILOSTRATI vitæ Sophistarum, quæ primum græce prodierunt *Venetiis* ex Aldina 1503 *f.* post, cum versione latina *Antonii Bonfinii*, *Basileæ* 1563. *f.* & SVIDAS in lexico suo, qui inter alia, ordine alphabetico multas Philosophorum vitas æque percenset. Optima est editio, quæ græce & latine, cura *Æmilii Porti* prodiit *Coloniæ* 1619. *f*, in quo nunc denuo edendo multa cura insudat LVDOLPHVS NEOCORVS. Inter posterioris ætatis scriptores, qui vitas philosophorum antiquiorum scripserunt, primus est IOANNES VALLENSIS, cuius *Compendiloquium de vitis illustrium philosophorum*, inter eius alia extat *Lugduni* 1511. 8. Post hunc GVALTERVS BVRLÆVS *de vita & moribus Philosophorum* scripsit, quod opus typis adhuc rudibus, nascente demum typographia fuit excusum. Postea, teste Labbeo, in Bibliotheca Bibliothecarum, ANTONIVS a SALA, Monbellensis Ictus, *Casali* 1603. 4 pro suo edidit, excisis duntaxat quibusdam pagellis in fine. Sed crassos Burlæi errores iamdum notauit Vossius de Historicis latinis lib. II c. LXV. RAPHAEL VOLATER-

TERRANVS in *Commentariis* ſuis *vrbanis* alteram partem eſſe voluit anthropologiam virorum doctorum, quæ in eo eſt tota, vt deſcribat vitas philoſophorum & ſimilium ſcriptorum. Elegantisſimus eſt tractatus IOANNIS IONSII *de ſcriptoribus Hiſtoriæ Philoſophicæ*, libris IV conſtans, atque editus *Francofurti 1659. 4*, vbi ſingulorum, antiquisſimorum etiam Philoſophorum vitas, hiſtoriam, ſcholas, adſeclas & ſcripta; ætatis ratione habita, breuiter quidem, ſed accurate, exponit, ita, vt recentiores etiam, qui in hiſtoria Philoſophica quidpiam ſcripſerunt, non omittat. Addimus eos, qui particulares tantum vitas deſcripſerunt, inter quos habemus PAVLI LEOPARDI *vitas & Chrias Ariſtippi, Diogenis, Demonactis, Stratonis, Demoſthenis & Aſpaſiæ, Antvverpiæ 1596. 8.* MARINI librum *de vita Procli* græce & latine, *Lugduni 1626. 8* atque ex editione *Ioannis Alberti Fabricii, Hambnrgi 1700. 4.* PHILOSTRATI *vitam Apollonii Tyanei, Venetiis 1501. f. Vitam Platonis* ſcripſit MARSILIVS FICINVS operibus præfixam, *vitam Epicuri* GASSENDVS, *vitam Pythagoræ* MALCHVS & IAMBLICHVS.

§. XXXVI.

Recentiorum Philoſophorum vitas pauci ſpeciatim deſcripſerunt. Præter enim ante memoratos MELCHIOREM ADAMI & HENNINGVM WITTENIVM, habe-

mus ſaltim IOANNIS IACOBI FRISII *bibliothecam philoſophorum claſsicorum chronologicam*, quæ primum *Tiguri* prodiit *1592. 4*, poſt libro ſecundo Chronici Chronicorum eccleſiaſtici Iani Gualteri, ſiue potius Iani Gruteri inſerta, *Francofurti 1614. 8*. Scriptores autem, non philoſophos tantum, ſed alios etiam antiquiores, qui a primis incunabulis vsque ad ſeculum XVI claruerunt, recenſet, eosdemque per ſeriem temporum diſtinguit, vbi vixerint, & quid ſcripſerint, breuisſimis declarans. Addimus PETRI GASSENDI *vitam Brahei, Copernici, Peurbachii & Regiomontani*, quæ prodierunt *Hagæ-Comitum 1655. 4*. Sic etiam *vitam Hobbeſii* ex ipſius potisſimum ſchedis collectam conſcripſit RADVLPHVS BATHVRST, *Londini 1682 12* editam, qua non ſolum vera vitæ fata, animi characteres & mores, ſed etiam controuerſias & ſcripta luculenter non minus ac eleganter exponit.

§. XXXVII.

Hiſtoricorum vitas qui ſcripſerint, plures ſunt. Inter hos vero palmam fert GERARDVS IOANNES VOSSIVS, qui *de Hiſtoricis Græcis atque latinis* edidit libros quatuor, *Lugduni Batauorum 1651. 4* recuſos *Francofurti ad Mœnum 1677. 4*. Certe, de hiſtoricorum vita & ſcriptis optime agit, eosdem ſecundum ſecula diſtinguens, etiam illos,

los, qui plenius de ſcriptoribus egerunt, indicans. Varios tamen næuos in eodem æque adnotarunt eruditi, præcipue in hiſtoricis Græcis. Quare etiam ſingulari libello Voſſium emendare fuit conatus THOMAS REINESIVS. Egit tamen illud circa hiſtoricos latinos CHRISTOPHORVS SANDIVS, cuius *notæ & animaduerſiones in Gerardi Ioannis Voſſii libros tres de Hiſtoricis latinis* prodierunt *Amſtelodami 1677. 12.* Hæ, licet breues ſint, doctæ tamen, & varia modeſte notant, quibus errauerat Voſſius. Sic etiam Meibomius non pauca a ſe in Voſſio eſſe obſeruata teſtatur addit. ad Vogleri notitiam p. 195. BERNARDVS a MALLINKROT *paralipomenon* edidit *de Hiſtoricis græcis*, *Coloniæ 1656. 4.* Quinque eorum centurias, qui a Voſſio fuerunt omiſſi, alphabetico ordine percenſet, licet in iisdem recenſendis adeo prolixus non ſit, ſcripta potius, quam vitam deſcribens. Eundem poſtea circa hiſtoricos latinos ſupplere fuit conatus IOANNES HALLERVORDIVS, cuius eſt *ſpicilegium de Hiſtoricis latinis, Ienæ 1672. 8.* Hos autem a Voſſio omiſſos ordine alphabetico recenſet, in recenſendis tamen vita & ſcriptis longe breuior eſt, viliores editiones commendat, immo multos intermiſcet, qui hiſtorici non ſunt. Singula quidem in maiore opere exponere conſtituerat, cui tamen immortuus. Voſſium imitatus atque ſecutus fuit Polyhi-

ſtor noſter, IOANNES ANDREAS BOSIVS, cuius poſteriori editioni diatribarum iſagogicarum de prudentia & eloquentia ciuili comparanda, adiecit GEORGIVS SCHVBARTVS, beatus Præceptor & anteceſſor *notitiam Scriptorum Hiſtoriæ vniuerſalis*, *Ienæ 1698 4.* Eadem methodo ac ratione incedit Boſius, ac Voſſius, ita, vt Scriptores Hiſtoriæ Vniuerſalis ſecundum ſecula ſua plenius exponat, de horum vita & ſtatu accurate agens, licet recentiores potiſſimi fuerint omiſſi. De la MOTHE le VAYER *des anciens Hiſtoriens Grecs & Latins. à Paris 1646. 4*, in iudiciis potius de Hiſtoricorum ſcriptis conſiſtit, quam in vitarum deſcriptione. De Scriptoribus Hiſtoriæ Romanæ egit CAROLVS SIGONIVS & BALTHASAR BONIFACIVS, quorum *iudicium de Hiſtoricis Romanis ab vrbe condita ad Carolum M.* prodiit *Venetiis 1627. 4.* & *Helmſtadii 1674. 4.* MARTINVS HANCKIVS *de Scriptoribus Rerum Romanarum* tractatum publicauit *Lipſiæ 1669. 4.* Agit in eodem de Scriptoribus tum antiquioribus tum recentioribus, qui vel in hiſtoria, vel antiquitatibus Romanis quid ſcripſerunt, horum vitam deſcribens, ſcripta recenſens & iudicium celebriorum virorum de ſingulis addens. Elegans eſt liber, ſed imperfectus, cum multi ſcriptores, varia de recenſitorum ſcriptis atque iudiciis addi potuiſſent. Eadem ratione *de Byzantinarum*

Rerum

Rerum Scriptoribus Græcis tractatum edidit, *Lipsiæ 1677. 4.* quos plenius adhuc percensuit. Recentiores historicorum vitas plures scripserunt. MARTINVS ZEILLERVS *Historicos, Chronologos & Geographos celebres ex variis, qui de eorum ætate, seu tempore, quo vixerunt, & operibus, quæ scripserunt collegerunt, Vlmæ 1612. 8.* & pars tertia *1655. 8.* Accessit postea *mantissa ad Catalogum Historicorum, Chronologorum & Geographorum, Vlmæ 1660. 8.* Sed index est parum accuratus, qui nec de vitis, nec de scriptis multa habet singularia.

§. XXXVIII.

Progredimur ad Philologos. Ex antiquis C. SVETONIVS TRANQVILLVS libros duos scripsit *de illustribus Grammaticis & claris Rhetoribus*, qui eiusdem operibus fuerunt adnexi. Licet de vero auctore adhuc dubitetur. Ex recentioribus huc facit IO. HENRICVS BOECLERVS, cuius *commentatio posthuma de Scriptoribus Græcis & latinis* ab Homero ad initium seculi XVI, *Argentorati 1674. 8* edita, non nisi index est scriptorum, addito rarius breui iudicio. GERARDVS IOANNES VOSSIVS *de Rhetoricæ natura & constitutione, deque antiquis Rhetoribus, Sophistis & Oratoribus, Hagæ 1658 4.* Laudanda est opera IO. ALBERTI FABRICII, cuius *Bibliotheca latina* primum prodiit *Hamburgi 1697. 8.* Tria sibi proposuit Clar. auctor, scriptores veteres latinos ordine

chronologico recenſere; non ſecundum nomina ſaltim, ſed & illa, quæ de iis memoratu digna. Deinde ſcripta recenſet & diuerſas atque præſtantiores editiones. Multa circa editionum diuerſitatem adnotauit, quæ memoratu digna, alias nec ſatis ordinata, nec perfecta, cum plures adhuc ſcriptores, eorundemque ſcripta potuiſſent addi. Ipſum autem in adornanda noua eademque accuratisſima editione nunc adſiduum eſſe, pro certo percepi. Secuta eſt Eiusdem *Bibliotheca Græca*, ſiue notitia ſcriptorum veterum Græcorum, quorumcunque monumenta integra, aut fragmenta edita extant, tum plerorumque e Mſtis ac deperditis, *Hamburgi 1705. 4.* Eruditisſimum eſt opus, cuius autem bini ſaltim priores libri fuerunt editi, in quorum altero de Scriptoribus agit, qui Homerum ætate præcesſiſſe dicuntur, vtpote de ſcriptis Hermeticis, Orphicis, Sibyllinis ac Zoroaſtreis, quos litterarum ordine perſequitur. Altero libro Scriptores ab Homero ad Platonem vsque percenſet. Tertio libro a Platone vsque ad ſcriptores Auguſteos pergit. Quarto vsque ad Conſtantini M. tempora. Quinto Hiſtoriam Scriptorum Byzantinorum. Sexto Ictos, Medicos, Chymicos & Geoponicos cum notitia Scriptorum anonymorum & ſuppoſititiorum. Optamus doctisſimo viro vitam & corporis vires ad ſingula

gula abſoluenda. Quidquid enim ad hiſtoriam litterariam Scriptorum Græcorum facit, videbimus explicatum. Idem in præfatione, memorat de aliorum bibliothecis Græcis, ex qua præcipua mutuo ſumemus. IOANNIS MEVRSII *Bibliotheca Græca* diutius inedita manſit a *Iacobo Gronouio* decimo tomo Theſauri antiquitatum Græcarum inſerta, quæ tamen in Diocle deſinit. Sic etiam IOANNES MEVRSIVS in *Bibliotheca* ſua *Attica* multum facit ad hiſtoriam Scriptorum, qui interciderunt. Aliorum quoque labores promiſſos ſed latentes recenſet. Sic LEONIS ALLATII *Bibliothecam ſcriptorum profanorum*, IOANNIS CONRADI DIETERICI *Bibliothecam Græcam*, PHILIPPI LABBEI *Bibliothecam Chronologicam vniuerſalem*, EMERICI BIGOTII *Catalogum Scriptorum Græcorum*, ERASMI VINDINGII *conſpectum auctorum Græcorum*, HENRICI CHRISTIANI HENNINII *Indicem Bibliothecæ Græcæ bipartitum*. Prodiit autem nuper ZACHARIÆ LVNDII *Compendium Bibliothecæ Græcæ* ex prælectionibus Vindingianis compoſitum, ſtudio Laurentii Lundii *Hafniæ 1704. 8*, quo Scriptores Græcos ordine alphabetico percenſet, ſed breuibus ſaltim quid ſcripſerint, atque præcipuas enumerans editiones.

§. XXXIX.

Pergimus ad Poëtas, de quibus primus, ni fallor, egit LILIVS GREGORIVS GYRALDVS, cuius *Historiæ Poëtarum tam Græcorum quam latinorum* prodierunt *dialogi X, Basileæ 1545. 8.* Hi autem palmam præripiunt reliquis Scriptoribus omnibus. Idem Gyraldus dialogos duos scripsit *de Poëtis nostrorum temporum, Florentiæ 1551. 8.* Gyraldum secuti fuerunt varii. IOANNES PETRVS LOTICHIVS quidem *Bibliothecæ poëticæ* partes IV scripsit, in qua Græcos & latinos, recentiores etiam poëtas celebriores percenset, horumque vitas ex Adamo aliisque collectas, describit, *Francofurti 1624. 8.* Breuis est opella, & subitaneo labore nata GERARDI IOANNIS VOSSII *de poëtis Græcis & latinis, Amstelodami 1696. 4,* Elegans est scriptum TANAQVILLI FABRI *abregé des vies des poëtes Grecs, à Saumur 1664. 12* & *à Amsterdam 1700. 12*, dum vitas poëtarum Græcorum breuiter quidem, ast docte describit. De *poëtis latinis* saltim egit PETRVS CRINITVS, *Parisiis 1513. f*, quo libro veterum poëtarum statum describit. Sic etiam de iisdem poëtis latinis est *Museum illustrium Poëtarum latinorum*, qui ad hæc vsque tempora scripserunt, cum notis *Michaëlis Foscareni, Venetiis 1651 12.* OLAI BORRICHII binas habemus *dissertationes de Poëtis, Hafniæ 1676, 4,* quibus erudita multa de poëtis antiquis profert. THOMAS BARTHOLINVS

NVS in ſua *de Medicis Poëtis* diſſertatione, *Hafniæ 1669. 8.* edita, non tam vitas deſcribit, quam medicos enumerat poëtica arte claros, licet multa erudita de remediis a poëtis deſcriptis intermiſceat.

§. XL.

Quod ſi vlterius velimus progredi, habemus *IO. PETRI BELLORII veterum illuſtrium Philoſophorum, Poëtarum, Rhetorum & Oratorum imagines, Romæ 1685. f.* Imagines ſunt ex vetuſtis nummis, gemmis, hermis, marmoribus, aliisque antiquis monumentis depromtæ & illuſtratæ. *Vitas excellentium pictorum, ſculptorum & architectorum* ſcripſit *GEORGIVS VASARIVS, Florentiæ 1568. 4.* & *Bononiæ 1647. 4.* Sic etiam *vitas antiquiorum pictorum* italice ſcripſit *CAROLVS DATVS, Florentiæ 1667. 4.* De *vitis pictorum, ſculptorum & architectorum* egit *IO. BAPT. BALLIONVS, Romæ 1649. 4.* Præ ceteris vero æſtimanda venit *IOACHIMI de SANDRART academia artis pictoriæ*, quæ Germanico primum idiomate prodiit, poſt per *Chriſtianum Rhodium* in latinum verſa *Noribergæ 1683. f.* Huius operis potisſima pars eſt, vt præter icones, deſcriptiones quoque pictorum celeberrimorum tam veterum quam recentiorum contineat. Recentiores vero ſunt *FELIBIANI Entretiens ſur les vies & ſur les ouvrages des plus excellens peintres anciens & modernes, à Paris 1666. 4.*

Idem

Idem quoque ſcripſit *Recueil Hiſtorique de la Vie & des Ouvrages des plus celebres Architectes.* Recentius prodiit *Abrege de la vie des Peintres, avec des reflexions ſur leurs Ouvrages, & vn traité du Peintre parfait de la connoiſſance des deſſeins, & de l' vtilité des Eſtampes, à Paris 1699. 12.* Auctor eſt de PILES, qui in hoc libro per epitomen tradit, quidquid in anteriorum operibus continetur. Videmus in eodem non ſolum, quid ad perfectionem artis faciat & hiſtoriam, quid ad chalcographicæ artis ſtatum, ſed etiam celebriorum pictorum tam veterum quam recentiorum vitas, ita tamen, vt illa potisſimum exhauriat, quæ ad ipſorum in arte pictoria merita faciunt. Et plures alii, qui vitas Muſicorum, oratorum, Rhetorum & ſimiles ſcripſerunt, de quibus Labbeus atque Teiſſerius.

§. XLI.

Vltimo ſaltim loco exempla illorum proferre liceat, qui ſuas illorum vitas deſcripſerunt. Belle de his loquitur Tacitus, vita Agricolæ capite primo. *Plerique ſuam ipſi vitam narrare, fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati ſunt, nec id Rutilio & Scauro citra fidem, aut obtrectationi fuit, adeo virtutes iisdem temporibus optime æſtimantur, quibus facillime gignuntur.* Nolumus iam adſcendere ad Imperatores, Cæſarem, Auguſtum, Tiberium, Claudium, M. Aurelium, Seuerum, Caro-

Carolum IV, Maximilianum, quorum vnusquisque ſui ipſius vitam deſcripſit, quod etiam Henricum IV feciſſe Galliarum Regem Iſaacus Caſaubonus teſtatur, ſed de eruditis ſaltim, qui ſua fata ipſi ſcripſerunt, aliqua exempla proferemus. De ANDREA SCHOTTO in Belgica ſua Bibliotheca teſtatur Deſſelius, quod amicorum rogatu, vitæ ſuæ decurſum, paucis ante obitum menſibus propria manu deſcripſerit. IACOBVS AVGVSTVS THVANVS ipſe *vitam* ſcripſit *propriam* libris VI, *Aurelianis 1620. f*, quam poſtea cum Thuano enucleato edidit GERARDVS von STöCKEN, *Francofurti 1656. 4.* Hac omnia fata ſua deſcripſit ab anno 1543. ad 1607. Sic etiam HIERONYMVS CARDANVS *de propria vita & libris a ſe conſcriptis* tractatum reliquit, quo omnia, etiam minutisſima expoſuit. Prodiit ex bibliotheca Gabrielis Naudæi, *Pariſiis 1643. 8.* & recuſa eſt *Amſtelodami 1654. 12.* Verum, hæc eſſe ſolet illorum ratio, qui de ſe ipſis ſcribunt, vt verecundius ſcribant, ſi quid eſt laudandum, & prætereant, ſi quid forte reprehendendum eſt, vti Cicero teſtatur V ad Familiares ep. XII. Licet non deſint etiam, qui impudentius de ſe ſcribere non erubeſcant.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

DE

SCRIPTORIBVS IVDCIORVM ET ELOGIORVM, LIBRORVM IN ANA, ANONYMIS, PSEVDONYMIS, PLAGIARIIS, EXEMPLORVM SINGVLARIVM, ET RELIQVIS, QVI AD REM LITTERARIAM FACIVNT.

§. I. Scriptores qui modum de libris iudicandi docuerunt. §. II. Scriptores de elogiis atque iudiciis clarorum virorum. §. III. Scriptores qui de scriptis Theologorum iudicarunt. §. IV. Scriptores qui de scriptis Ictorum iudicarunt. §. V. Scriptores qui de scriptis medicorum iudicarunt. §. VI. Scriptores qui de scriptis Historicorum iudicarunt. §. VII. Scriptores qui de scriptis Moralis Philosophiæ iudicarunt. §. VIII. Scriptores qui de scriptis Politicorum iudicarunt. §. IX. Scriptores qui de scriptis logicis & physicis iudicarunt. §. X. Scriptores qui de scriptis philologorum iudicarunt. §. XI. Libri in ana. §. XII. Qui ex eiusmodi scriptis in

ana

ana excerpta compoſuerint. §. XIII. *Quid ſentiendum de eiusmodi ſcriptis.* §. XIV. *Alia ſcripta, quæ ſub alio titulo ſimilia tractant.* §. XV. *Sarcmaſii, Fabritii & Gallorum iudicia aliqua nouiter edita.* §. XVI. *Scriptores de ſpecialibus eruditorum fatis.* §. XVII. *Scriptores qui clarorum virorum monumenta ſepulcralia atque epitaphia collegerunt.* §. XVIII. *Scriptores de pſeudonymis, anonymis & ſuppoſititiis.* §. XIX. *Scriptores de homonymis.* §. XX. *Scriptores de plagiariis & furibus litterariis.* §. XXI. *Scriptores Bibliothecæ promiſſæ, & latentis atque volantis.* §. XXII. *Scriptores de Dictionariis Hiſtoricis atque ad Rem Litterariam facientibus.* §. XXIII. *Scriptores epiſtolarum, quæ ad ſtatum litterarium faciunt.* §. XXIV. *Scriptores itinerariorum, quæ ad rem litterariam conducunt.*

§. I.

Poſtquam de Biographis egimus, progredimur ad illos, qui elogia ſcriptorum, vel de libris iudicia, aliaque facta ſingularia notarunt. Inter hos primum erunt memorandi, qui modum de libris iudicandi docuerunt. Primus, quem noui, eſt GABRIEL PVTHERBEVS, cuius liber

extat

extat *Theotimi* titulo, ſeu *de tollendis & expurgandis malis libris, Pariſiis 1549. 8*, ſed pontificiorum more incedit. Plenior eſt THEOPHILI RAYNAVDI liber, cui titulum fecit *erotemata de bonis ac malis libris, deque iuſta aut iniuſta eorum confixione, Lugduni 1653. 4.* Sed potius morali ratione illud argumentum tractat, atque de certis librorum atheorum, Magicorum, ſuperſtitioſorum, obſcœnorum, infamium, ſuppoſititiorum, furtiuorum claſſibus agit. Horum autem quosdam malos dicit & nociuos, ideoque configendos, vtpote hæreticos, atheos, magicos, aſtrologicos, obſcœnos, famoſos, mordaces, ſuppoſititios. Alios in ſe malos quidem, ſed non nociuos, vt gentilium, Saracenorum, Rabbinicos, Talmudicos, Cabaliſticos. Alios libros in ſe non malos, ſed nociuos, vt Chymicos & de argumentis inanibus. Demum etiam de modo agit & poteſtate libros configendi. Addimus GVILIELMVM SALDENVM *de libris, variaque de eorum vſu & abuſu, Amſtelodami 1688. 8.* Elegantisſimus liber eſt, quo ſcribendi pruritum tangit, prudentiam, ſoliditatem, breuitatem & perſpicuitatem in ſcribendis libris commendat, iuſtum legendarum librorum modum proponit, diuerſa in ſcribendo vitia examinat, ſingulaque exemplis probe illuſtrat. PAGANINI GAVDENTII *obſtetrix litteraria*, quid in com-

componendis euulgandisue libris sit obseruandum, docet: recusa fuit cura *Georgii Nicolai Kriegkii*, *Ienæ* 1704. 12. Breuis est, sed elegans & lectu digna.

§. II.

In notandis autem auctorum elogiis, pro fundamento habeamus THOMÆ POPE-BLOVNT *censuram celebriorum auctorum*, quæ ex editione tertia prodiit *Geneuæ* 1699. 4, ad quam addamus, si quæ singularia reperimus ad iudicia de auctoribus facientia; suppleamus quoque, si quæ de iis scriptoribus habeamus, quos ipse omisit. Æstimatur quidem quibusdam TOBIÆ MAGIRI *eponymologicum criticum*, quod eiusdem Polymneoni primum præmissum, post separatum & auctum prodiit *Francofurti* 1644 4. Longe auctius illud prodiit cura CHRISTIANI WILHELMI EYBENII, *Francofurti* 1687 4, sed encomiastica potius sunt iudicia, quæ habet Magirus; in veris magis eminet censura Blountii, qui ea potissimum selegit, quæ ad statum & scripta auctorum faciunt. Sunt quidem, qui post habenda plane putent talia scripta, in quibus elogia vel iudicia de scriptoribus congesta. Verum, licet perfecta non sint, & cum iudicio adhibenda, ad hoc tamen faciunt, vt ea habeamus tanquam locos communes, ad quæ notemus, quæ reperimus notatu digna. In istis autem elogiis atque iu-

diciis, non omnibus est fidendum, sed iis tantum, de quorum fide iam satis constat. Gallis, vbi de Germanis sentiunt, non semper est credendum. Multi ex prauo adfectu iudicant, alii ex ignorantia: plures adulantur, ita, vt bene diiudicandum sit, a quibus iudicia proueniant. Certissima sunt iudicia Hermanni Conringii, de quibus plane certi esse possumus, ea esse accuratissima. Singulare est opus, quod adgressus IACOBVS GADDIVS *de Scriptoribus non ecclesiasticis*, cuius Tomus primus *Florentiæ 1648. f.* ad litteram L vsque, Tomus II ad litteram S, anno *1649 f.* fuit publicatus. Scriptores in eodem sub suis litteris proponit, ita, vt illorum vitas, diuersa aliorum iudicia, suis quoque intermixtis, recenseat. Hic, temerarius licet sit in iudiciis, multa tamen ex anecdotis protulit, vt omnino contineat varia, quæ notatu sint digna, licet cum selectu sit legendus. Huc quoque facere possunt ADRIANI BAILLETI *iugemens des Sçavans sur les principaux ouvrages des autheurs*, de quo scripto iam superius fuit dictum, cuius primum volumen generalia saltim tractat, quid ad notitiam litterariam & de libris iudicia requiratur. Tria volumina reliqua de Critica Historicorum, Lexicographorum, Typographorum, translatorum & similibus agunt. Magno studio varia virorum doctorum iudicia de

variis

variis ſcriptis congeſſit, & ſua inſuper addidit, ita, vt eiusdem labores magno vſui eſſe poſſint. Cum autem Bailletus Menagium & ipſius amicos ſæpius notaſſet, ægre illud tulit, & non ipſe ſolum in hendecaſyllabo, ſed etiam alii Galliæ poëtæ ob iudicia quædam iniquiora Bailletum ſatyris ſuis fuerunt inſectati. His igitur Bailletus anno 1686 quinque volumina de poëtis oppoſuit, quibus ad ſingula reſpondet. In his tamen multa ex Gyraldo, Voſſio, Craſſo & Borrichio hauſit. Motus inde MENAGIVS, Anti-Bailletum ſuum euulgauit, ſub titulo: *Anti Baillet, où Critique de livre de Mr. Baillet, intitulé Iugemens des Sçavans, à la Haye 1688 & 1690. 12.* Dum enim apud Gallos edi prohiberetur, in Belgio fuit excuſus. Obiicit autem potiſſimum Bailleto philautiam, plagium & Carminum laſciuiam, atque multorum eruditorum, quos Bailletus inculpauerat, famam vindicat, errores quosdam ipſius oſtendit, licet maiori nonnunquam fiducia de ſe ipſo agat, quam par eſt, ita, vt multa egregia hinc inde proponat. Reſpondet eidem Bailletus, dum ederet librum *des ſatyres perſonnelles. Traité Hiſtorique & Critique à celles, qui portent le nom d' Anti, à Paris 1689. 12* 2 Tomis. Nomen ſibi ſumſit ALBERTI LAINERII VERTONI, atque de omnibus iſtis libris agit, qui nomen Anti præ ſe ferunt, nullum titulum ſa-

tyræ ſcribendæ magis eſſe aptum iudicans. Hæc autem atque varias eruditorum controuerſias cum expoſuiſſet, tandem cum Anti-Bailleto, cuius gratia potisſimum integrum hunc librum compoſuerat, concludit. Hunc autem Anti-Bailletum quatuor capitibus conſtare notat, in morum Menagii defenſione, elogiorum collectione, conuitiorum compilatione & apologia Ioannis Caſæ, ad quæ ſingula ſub dialogi finem reſpondet, ita tamen, vt multis aculeis aduerſarium ſuum perſtringat. Prodierunt poſtea *reflexions ſur les iugemens des Sçavans, à la Haye 1691. 8.*

§. III.

Hi quidem, quos adduximus, generales ſunt: alii certarum ſaltim diſciplinarum auctores, & de his iudicia fuerunt adgresſi. In Theologia quidem habemus IOANNIS HENRICI HOTTINGERI *Bibliothecarium Quadripartitum, Tiguri 1664. 4.* GERARDI MEIERI *Bibliothecam Theologicam contractam, Bremæ 1660. 12* & GISBERTVM VOëTIVM in *bibliotheca ſtudioſi Theologiæ, Vltraiecti 1651. 12.* Licet hæ omnem rem non exhauriant, licet Hottingerus ad diſpoſitionem Bibliothecæ Theologicæ atque adornanda excerpta plurimum conducat. Aliquot præterlapſi ſunt anni, cum *Bibliothecam Biblicam* promitteret IO. FRIDERICVS MAYERVS, cuius autem

tem non nisi disputationes aliquot hucusque Gryphsvvaldi fuerunt editæ.

§. IV.

De Iureconsultorum scriptis iudicia videmus in GEORGII BEYERI *notitia auctorum Iuridicorum*, cuius duo prodierunt specimina, *Lipsiæ 1701. 8* tertium, *Lipsiæ 1705. 8.* Hac centuriam librorum, qui vel ad ipsam iurisprudentiam, vel antiquitates etiam iuris faciunt, eo, quo ephemeridum Scriptores, modo recenset, nullo tamen obseruato ordine. IOANNIS GRöNINGII *polyhistorem Iuridicum* frustra sine dubio expectamus: nec etiam Morhofii curas adæquabit. AVGVSTINVS FONTANA *Amphitheatrum legale* scripsit, quod *Parmæ* prodiit *1688. f.* Opus non vidi, sed prout ex titulo promittitur, in eodem quilibet Operum legalium auctor suam sedem habet, atque secundum iuris partes quinquepartitum est, ita, vt agat de libris Iuris Canonici, Ciuilis, Criminalis, Feudalis & Iuris Publici: Ex recensione tamen huius operis, quam exhibent Parmenses Giorn. de Letterati VII anni 1688 patet, Bibliothecam potius esse realem & ordine dispositam, quam vt iudicia describat. Addimus DIONYSII SIMONIS *nouelle Bibliotheque Historique & Chronologique des principaux Auteurs & Interpretes du droit Civil, Canonique, & particulier de plusieurs estats & pro-*

 vinces,

vinces, depuis Irnerius; avec les caracteres de leurs esprits, & des iugemens sur leurs ouvrages, à Paris 1692 12. Ordine Alphabetico Iureconsultos persequitur, horum vitas exponit, & de eorundem scriptis potioribus iudicat. Addit in fine boni iudicis ideam. De Practicis Scriptoribus in præfatione sua ad *introductionem in praxin forensem, Witteberga 1697. 4* iudicauit illustris vir SAMVEL STRYCKIVS. Ad Bibliothecam feudalem facit ERICI MAVRITII *nomenclator Scriptorum in ius feudale*, qui cum aliis eiusdem opusculis prodiit *Francofurti 1692. 4.* In hoc præcipui auctores feudales ordine alphabetico, additis plerumque iudiciis & librorum ratione recensentur. SAMVEL RACHELIVS in *otio* suo *Nouiomagensi*, quod *Amstelodami 1685. 12* est editum, potiores scriptores, qui ad iuris publici fontes faciunt, adducit, & quid de iis sentiendum, explicat. Melior vero est IOANNIS GEORGII SVLPICII, siue potius KVLPISII *dissertatio de studio iuris publici recte instituendo, & de scriptoribus eo pertinentibus*, cuius editio secunda recognita prodiit *1700. 8.* Agit in eadem de Scriptoribus, qui acta publica, compendia & systemata iuris publici euulgarunt, & de singulis, atque editionum diuersitate iudicat accurate.

§. V.

In Medica arte præstat HERMANNI CON-

CONRINGII *introductio in artem Medicam*, quam auditoribus primum priuatim exposuit, postea reuisam in lucem edidit *Helmstadti 1651. 4.* Nouam editionem cum additamentis necessariis procurauit *Güntherus Christophorus Schelhammerus, Spiræ 1688. 4.* Liber est egregius, quo non solum generalis medicæ artis idea comprehenditur, historia & sectæ medicinæ exponuntur, & de quauis medicinæ parte potiores scriptores diiudicantur. Faceret huc IOANNIS HENRICI MEIBOMII opus *de vitis & scriptis Medicorum*, si editum esset.

§. VI.

Inter Historicos plures reperimus, qui de Historicis vel iudicia collegerunt, vel ipsi iudicant. FRIDERICVS quidem TILEMANNVS elegantem publicauit discursum *de historicorum delectu, Witteberga 1597. 8*, in quo præcipue certas regulas præscribit, de quouis scriptore iudicandi & singula exemplis probe illustrat. SEBASTIANVS MACCIVS libros tres *de Historicis* scripsit, *Venetiis 1633 4*, sed absurda sunt eius iudicia & inania. Præstat AVGVSTINI MASCARDI opus *de arte Historica*, quod italice scripsit, atque edidit *Romæ 1626. 4* & *Venetiis 1655, 4.* Hic quidem prolixus est admodum, sed scriptor elegantissimus, qui probe de Historicis iudicauit. Suppleuit eundem PAVLVS PIRANVS,

Venetiis 1646. 4. GERARDI IOANNIS VOSSII *de arte Historica* liber egregius est, in quo historiæ & historici naturam, historiæque scribendæ præcepta declarat, vitia etiam & virtutes antiquissimorum historicorum [vtinam etiam recentiorum!] examinat, prodiit *Lugduni 1651. 4.* Contra eandem scripsit Pater Le MOYNE, de quo Bigotius ep. XXXV ad Gudium: *Le Pere le Moyne Iesuite a publié une dissertation de l'art de l'Histoire; il y reprend en quelques endroits feu Mr. Vossius, & ce sous le bon-plaisir de Mr. Vossius, qu'il dit estimer infinement.* Elegantissimus est libellus DHEGOREI WHEAR, quem sub *relectionum hyemalium* titulo edidit de ratione ac methodo legendi historias vtrasque, cum mantissa de historicis gentium particularium, quarum editio est optima, quæ *Cantabrigiæ 1684. 8* prodiit, cum reliquæ editiones, tum Noribergensis, tum Tubingensis mantissa illa sint destitutæ. Huius autem iusta est tractandi ratio, accurata de Scriptoribus iudicia, & methodus, quam præscribit, legendarum historiarum omnino laudanda. Hunc Whearum haut ita pridem continuauit IOANNES CHRISTIANVS NEV, *Tubingæ 1704. 4*, quibus ea, quæ a Whearo proponebantur, plenius adhuc exposuit, atque aliqua, quæ a Whearo omissa, addidit. Nouam nunc Cl. auctorem harum accessionum editionem se parare ipse

ipſe litteris ſuis ad me datis fuit teſtatus. Poſt Whearum IOANNES ANDREAS BOSIVS idem egit in ſuis *de prudentia & eloquentia Ciuili comparanda* diatribis Iſagogicis, quæ ex recentiori editione, cura *Georgii Schubarti* prodierunt *Ienæ 1698. 4.* Hæ enim politicum non ſolum inſtruunt, ſed etiam hiſtoricum, dum de hiſtoricis pragmaticis iudicat, atque ordinem in iisdem legendis obſeruandum præſcribit egregie. Acceſſit huic editioni notitia Scriptorum hiſtoriæ vniuerſalis, quæ tunc primum eſt edita. Priores autem diatribas Iſagogicas tractatibus ſuis de philologia inſeruit, atque notas adiecit THOMAS CRENIVS, *Lugduni Batauorum 1696. 4* Addimus etiam *Bibliographiam Hiſtorico-politicam,* de qua cap. I §. XVII. Præ cæteris vero hic æſtimandum venit ſcriptum La MOTHE le VAYER *Iugemens ſur les principaux Hiſtoriens*, quæ in Tomo III Operum eiusdem continentur *Pariſiis 1653. f.* Inter vltima hoc ſcriptum eſt, de quibus Bailletus Iugemens des Sçavans Tome II p. 215 *perſonne n' ignore, que ſes derniers oeuvres ne ſoient bien moins raiſonnables, que celles qu'il avoit compoſées dans la fleur & la vigueur de ſon âge.* Hiſtoricos cenſet, & horum ſcripta, de quibus & ſuum & aliorum interponit iudicium. Nec tamen omnem adhibuit induſtriam, quin potius multos adhuc admitteret errores.

§. VII.

Ad Philoſophiæ Moralis ſcriptores, & de iisdem iudicia facit HENRICI IVLII SCHEVRLII *Bibliographia Moralis*, quæ *Helmſtadti* ex iterata editione *1686. 8* prodiit. Scriptores priſcos, qui ad moralia faciunt, indicat, de iisdemque atque horum ſcriptis haut male iudicat. Optandum tamen eſſet, vt MORHOFII *polyhiſtor Philoſophicus* & GEORGII SCHVBARTI *Bibliotheca Philoſophiæ Practicæ*, quæ in Mſto latent, ederentur, cum ex iis multa notitia ad hanc claſſem poſſit hauriri.

§. VIII.

Ad Scriptores politicos cognoſcendos diiudicandosue facit GABRIELIS NAVDÆI *Bibliographia politica*, quam in Germania primum edi curauit *Auguſtus Buchnerus*, *Wittebergæ 1686. 12*. recuſa cum Whearo, *Cantabrigiæ 1684. 8*, in qua non de ſingulis, ſed delectu ſaltim ſcriptorum politicorum & ethicorum diſſerit, & quid in ſingulis ſit præcipuum, monet: nec inutilis hodie eſt libellus, licet ſcriptores, quos commendat, non omnes faciant ad vſum. HERMANNVS CONRINGIVS in diſſertationibus politicis *de philoſophia ciuili, eiusque optimis ac præcipuis Scriptoribus*, *Helmſtadti 1673. 4*, de antiquioribus præſertim politicis erudite egit. Huc etiam facit elegantisſima IO. ANDREÆ

BO-

BOSII diatriba Isagogica *de prudentia & eloquentia ciuili comparanda*, cum ista æque ad iudicia de historicis ac politicis scriptoribus faciat. Recentissimus scriptor est CAROLVS ARNDIVS, qui *Bibliothecam politico-Heraldicam selectam* nuper edidit *Rostochi 1705.*

8. Institutum auctori est, vt potiores, eosdemque selectiores scriptores, qui pragmaticum possint instruere, colligat, quos in certas diuidit classes, & de singulis prolixius agit, ita, vt non solum diuersas editiones adnotet, sed etiam diuersa diuersorum Litteratorum iudicia. Æstimanda est Clar. auctoris industria, eo quod plurium iudicia de pragmaticis præcipuis, iisdemque recentioribus etiam, in vnum congesserit. Multa etiam de Machiauello profert & Monarchomachis haut proletaria, vt illis ideo, qui adparatu librorum non instructi, haut inutilis esse possit. Hoc tamen deesse videtur, quod ordinem non vbique satis iustum obseruauerit. Præmisit præloquium de selectissimis Bibliothecariorum Historico-Pragmaticorum Collectoribus. Vltima vero classe adiecit Scriptores Heraldicos selectos, de quibus potiora in nostra Bibliotheca Historica, licet multa ex propria industria adiecerit Arndius. Nimias per totum libellum mihi laudes tribuit, quarum ne minimam quidem partem mihi tribuo.

§. IX.

§. IX.

DANIELIS GEORGII MORHOFII *polyhiſtor Philoſophicus*, eiusdemque *ſyſtema phyſicum* in Mſtis adhuc latent: alias multum lucis litterariæ rei conceſſura. IOANNES PETRVS LVDOVICI ad eiusdem rationem *Polyhiſtorem Logicum* promiſit, quem tamen adhuc expectamus. Huc etiam facit HERMANNI CONRINGII tractatus *de natura phyſices*, eiusdemque auctoribus, *Helmſtadti 1657. 4.*

§. X.

Vltimo, paucis dicendum quoque erit de Philologicorum Scriptorum iudiciis. Facit huc, quantum ad primæ ætatis ſcriptores HENRICI IVLII SCHEVRLII *Statua Mercurii*, *Helmſtadti 1670. 4*, qua ad optimos quosque Scriptores latinos, & fructus ex iis vberrimos viam demonſtrat, & de prioris ætatis ſcriptoribus probe iudicat. Nec omittenda eſt IO. ALBERTI FABRICII *Bibliotheca latina & Græca*, de quibus ſuperius iam dictum. Immo etiam MARTINI HANCKII *de Scriptoribus Romanarum rerum* libri duo, qui præter vitas, etiam ſcripta & de iis iudicia habent. Huc ſpectat etiam elegantisſimum LVDOVICI CRESOLLII *Theatrum veterum Rhetorum, Oratorum, quos Græci Sophiſtas vocabant*, libris V, *Pariſiis 1620. 8.* In hoc omnis eorum diſciplina, dicendi ac docendi

ratio

ratio, moresque produntur. Nec male hic addimus THOMÆ CRENII *Animaduersiones Philologicas & Historicas*, quarum prima pars *Lugduni Batauorum* prodiit *1697. 8*, quam insecutæ fuerunt decem aliæ. In his enim multiuaria continentur Philologica, quæ vel ad editionum faciunt diuersitatem, vel de scriptis iudicia, vel similia alia. Intermiscet hisce multas clarissimorum virorum epistolas ineditas, atque alia, ita, vt ad hanc nostram classem multum omnino conducat. Immo plures adhuc essent particulares, si omnes velimus recensere.

§. XI.

Faciunt æque ad iudicia de scriptis eruditorum, dicta clarorum virorum, quæ ex eorum ore vel schedis edita. Fundamenta ad hæc quasi iecit GEORGIVS RICHTERVS, qui edidit *Iudicia florentis scholæ Melanchthonis de lectione bonorum autorum*, *Witteberga 1592. 8* & *Islebiæ 1597. 8*, in quibus Melanchthonis iudicia de oratoribus, poëtis, historicis aliarumque disciplinarum scriptoribus congessit, quæ sane egregia. Postmodum priuati apud Gallos vsus esse cœpit, vt ex ore doctorum virorum colligerentur, quæ ab eorum nomine in *ana* terminabant. Testis est Guido Patinus ep. CLVI vbi ad amicum de anno 1659 scribit: *vous serés bien aise d'apprendre, que Monsieur vôtre fils a beaucoup profité*
de

de vos lettres, car il se léve matin & employe bien son tems: celui même qu'il pourroit donner à son divertissement, est souvent employé à liremes BORBONIANA, GROTIANA & NAVDEANA. Il rit sous cape quand il y trouve quelque chose à son gré, & cela luy arrive souvent. Aussi ces Manuscrits prennent les gens par le nez & les empêchent de devenir de grands sots cela me reiouit. Videmus exinde, iam illo tempore similia scripta fuisse in vsu atque apud Gallorum eruditos vulgaria, ex quo postmodum prima fuerunt edita. *Scaligeriana* atque *Perroniana*, quæ ex bibliotheca *Isaaci Vossii* prodierunt *Hagæ-Comitis 1666. 8.* Postea ex bibliotheca Tanaquilli Fabri prodierunt alia, quæ dicuntur *Scaligeriana prima, Gröningæ 1669. 12.* Huic adduntur *Scaligeriana altera*, quæ prius prodierant. Originem horum Scaligerianorum Morhofius ex Guidonis Patini epist. CLIV refert, polyhist. I. cap. XVI. p. 185, quod Ioannes Vassanus ab ore Scaligeri pendens, sedulo notauerit, quæ Scaliger diceret. Iudicia habet multa, ast sæpe iniuriosa. Basilium vocat superbum, Iustinum hominem ieiunum, Epiphanium hominem rudem, Capellum stultum & ridiculum, Sauilium stultum superbum, Clauium bestiam, Villalpandum spiritum miserum, Robortellum & Meursium pedantismi inculpat. Immo etiam, in nationes integras, Germanos maxime, nimis est iniu-

iniuriosus. Licet etiam eruditi non dubitent, multa fuisse intermixta a manu maligna. Historiam eorundem complexus est IOANNES THEODORVS LEVBSCHERVS dissertatione peculiari, *Witteberga 1695. 4.* Altera sunt *Perroniana*, ex quotidianis Cardinalis Perronii sermonibus congesta, in quibus varia continentur, quæ ad vsum litterarium faciunt & melius adhuc cohærent, ac Scaligeriana. Descripta ista a *Claudio Sarravio* prodierunt *Geneuæ 1669. 8.* Prodierunt posthæc *Thuanæa*, per fratres Puteanos congesta atque edita, sed pleraque sunt historica. Coniunctim hæc postea fuerunt edita sub titulo: *Perroniana & Thuanæa, où pensees iudicieuses, bons mots, rencontres agreables & obseruations curieuses du Cardinal Perron & Mr. le President de Thou, Conseiller d' Etat à Cologne, 1695. 12.* Hæc secuta fuere *Menagiana*, *à Paris 1693. 8* & *Amsterdam 1696. 12*, in quibus scite & iocoseria a Menagio aliisque dicta, præter notitiam de poetis, horumque sæpe inter se controuersiis, varia reperiuntur, quæ ad poeticam, quam amabat maxime Menagius, faciunt. Dolendum tamen, multos irrepsisse errores Menagiano nomini indignos, vt facile pateat, sæpe perperam aliqua ex ipsius ore fuisse excepta, atque ipsi post mortem afficta. *Valesiana, où les pensees critiques, historiques & morales & les poësies latines de Mr. de Valois,*

Valois, Conseiller du Roy & Historiographe de France, recueillies par Mr. de Valois, son fils, à Paris 1694. 12. Præmissa est vita Hadriani Valesii, & continet præter ecclesiastica & historica varia, de scriptoribus quibusdam; Gallis præsertim singularia pæne multa. Eodem anno prodierunt quoque *Sorberiana* cura *G. L. Colomesii, Amstelodami 1694. 12*, quæ dicta Samuelis Sorberii, poëtæ Galli continent, in quibus varia de scriptis Campanellæ, Comenii & similium. Post hæc *Furreteriana, où les bons mots, & les remarques, histoires de morale, de critique, de plaisanterie, & d' erudition de Monsieur Furetiere, à Paris 1696. 12.* Collecta sunt quæ in schedis adhuc Antonii Furreterii fuerunt reperta, licet varia adiecta, quæ ipsius plane non sint. *Parrhasiana, où pensees diuerses sur de Matieres de Critique*, quæ cum defensione librorum *Ioannis Clerici* prodierunt, auctore *Theodoro Parrhasio. Amstelodami 1699. 8.* Sub nomine Parrhasii latere ipsum CLERICVM plerique adgnoscunt. Non quidem eadem methodo incedit, ac reliqui cogitatorum collectores, sed de poëtis, Oratoribus & Historicis præcipue agit, & quid in horum lectione obseruandum indicat, atque inter hæc de præcipuis optime iudicat, ita, vt ad Criticam artem faciat egregie. Recentiora sunt *Cheuræana, où diuerses pensees d' histoire, de critique, d' erudition & de*

Morale

Morale recueillies & publiés par Mr. Cheureau, à Amsterdam 1700. 12, siue excerpta ex ore Vrbani Cheureau, in quibus quidem aliqua reperimus de scriptoribus iudicia, pleraque tamen consistunt in obseruationibus aliis curiosis atque Moralibus. Eo maiorem hæc fidem habent, quod viuo adhuc auctore in lucem fuerunt edita. Insecuta *San-Euremontiana, Amstelodami 1701. 8.* Continentur in iisdem apophthegmata San-Euremontii, ingeniosissimi viri, in quibus multa curiosa historica & litteraria reperiuntur; licet ipse Euremontius pro suis hæc adgnoscere noluerit. Recentissima sunt, quæ noui, *Naudæana & Patiniana, où singularites remarquables, prises des conuersations de Mess. Naudé & Patin*, quorum editio prior Parisiis prodiit, altera multis additionibus ad Naudæana augmentata, *Amstelodami 1703. 8.* Vtraque hæc excerpta sunt egregia, & prout in re litteraria erant versatissimi, tota faciunt ad iudicia de scriptis, & fata quædam specialia auctorum, quæ nullibi alias reperiuntur, continent, licet in his atque aliis communia intermixta sint varia, vel plane erronea. Quare auctor additionum & correctionum ad Naudæana, aliquas circumstantias, quæ adhuc necessariæ sunt, vel emendationes adiecit. Haut ita pridem prodierunt *Taubmanniana: oder des Sinnreichen Poëten, Friedrich Taubmanns*

nachdrückliches Leben, scharffsinnige Sprüche, kluge Hoff- vnd Schertzhaffte Studenten-Reden, *Franckfurt 1703. 8*, sed in facete dictis tantum consistunt. Admodum breuia sunt *Pithœana*, siue excerpta ex ore Francisci Pithœi, quæ ex Msto Parisiensi hausit, atque Tomo Tertio elogiorum suorum præmisit ANTONIVS TEISSIERVS, *Berolini 1705. 8*, nec etiam singulare quid habent. Maruille in Melanges d' histoire & de litterature Tome I. p. 42. auctor est, quod Gallus quidam & nomine & natione, possideat collectionem dictorum præcipuorum Ioannis Seldeni, quæ ex Anglico in Gallicum translata, sub titulo *Seldeniana* edere promiserit, quæ tamen nondum publicata, licet iam antea anglico sermone hæc Seldeniana *Table-Talck* inscripta prodierint. Taceo iam *Harlequiniana* & *Wigandiana*, quorum illa iocosa, hæc antipietistica continent.

§. XII.

Haut ita pridem prodiit *elite des bons mots & de pensees choisies, recueillies avec soin des plus celebres auteurs, & principalement des livres en Ana, à Amsterdam 1704. 12.* Speciosus titulus non nisi inutiles comprehendit materias, easdemque otiosas. Historias continet varias, homines inani otio deditos delectantes, nihil plane ad rem litterariam. Inter edenda sua VALENTINVS ERNESTVS

LÖSCHE-

LöSCHERVS *Lexicon elegantioris Litteraturæ* promiſit, quo in eiusmodi ſcriptis eleganter dicta in certos ordines ſe eſſe redacturum, atque *Melanchthoniana* & *Daumiana* additurum promiſerat. Forſan autem idem fatum ac alia eius ſcripta experientur.

§. XIII.

Quid ſentiendum ſit de eiusmodi excerptis litterariis, Morhofius iam fuit teſtatus Polyhiſtore p. 186. Idem ſcilicet, quod de iis iudicat Quintilianus, qui de iocis Ciceronis tres libros collegerunt, inque iis quædam frigidiuſcula retulerunt: *vtinam*, inquit, *Quintus, & libertus eius tyro, aut alius, quisquis fuit, qui hos hac de re libros edidit, parcius dictorum numerum indulſiſſent, & plus iudicii in eligendis, quam in congerendis ſtudii adhibuiſſent, minus obiectus calumniantibus foret.* Certum enim eſt, per hæc excerpta, quæ ſæpisſime male excepta, calumniatoribus locum dari, maxime ſi ſecretiora quædam propalentur, quæ intra priuatos parietes familiari modo fuerunt propoſita. Quid Patinus de iisdem ſenſerit, iam ſupra vidimus. Adducemus adhuc iudicium, quod ex auctore Theophraſti moderni adducit Iacobus Bernardus Nouuelles de la Republ. des lettres Ianuario 1700. p. 91. *il y a trois ans, que les M... ana, les T... ana, les F... ana, les V... ana, les S... ana, avoient vne vogue, qui paſſoit l' imagina-*

tion; ces Livres étoient divertiſſans, on trouvoit à les lire vn plaiſir ſingulier: à qui n' enviſage, qu'vn plaiſir de cette ſorte, ie permets iusqu' à la lectore des Contes des Fées: tels Ouvrages & les autres en ana n' ont pris leur eſſor, que pour ſatisfaire l' avide curioſité des Provinciaux. Sane, ad ſolidam non faciunt eruditionem, multa in iisdem reperiuntur erronea, multa obſcœna: nihilominus reperiuntur iisdem, vel dicta vel facta clarorum virorum ſingularia, inſerta de ſcriptis iudicia, quæ ſi ex omnibus in vnum colligerentur, certe labor eſſet admodum proficuus. Verum, deſiit nunc eiusmodi librorum feruor, cum, iſta, quæ recentius edita, hunc titulum iriſioni potius exponerent.

§. XIV.

Sunt autem præter hæc *ana* alia adhuc, quæ faciunt ad iudicia de ſcriptis, & eiusdem quidem rationis ſunt, atque promiſcua continent, licet eadem magis ſelecta atque alio ſub titulo propoſita. Huc ſpectant, PAVLI COLOMESII *opuſcula, Vltraiecti 1669. 12 & Amſtelodami 1700. 12*, quæ præter *κειμήλια litteraria*, & *recueil des particularités fait l' an. 1665*, *clauem etiam epiſtolarum Ioſephi Iuſti Scaligeri, Iſaaci Caſauboni & Claudii Salmaſii* continent, in quibus multa egregia familiariter ipſi a Voſſio ſuppeditata, quæ ad ſtatum litterarium faciunt, propalantur. Multa tamen,

in his esse mendacia iamdum notauit Morhofius p. 171, inter quæ illud de Caspare Barthio, quod concubinam suam Rheno suffocauerit, quod eius cum Scriuerio amores deprehenderit & similia. Paucos ante annos prodiit *Melange Critique de litterature recueilli des conversations de feu Mr.* ANCILLON, *à Basle 1698. 12.* Collegit hæc Ancilloni filius ex discursibus patris, non vna vice, sed pluribus, quæ sub exoso sibi titulo *ana* se proponere noluisse dicit. Agitur autem in miscellaneis hisce de viris quibusdam eruditione claris, qui ordine alphabetico proponuntur, & non solum horum vita, sed etiam mores, ingenii caracteres, errores & scripta recensentur, de iisdemque iudicatur, ita, vt multo vsui esse posfint. Talia miscellanea sub Ancilloni nomine postea recusa fuerunt *Amstelodami 1702. 12*, quæ pro parentis sui & suis non adgnoscit Ancillonus iunior, & de eo lectorem aduertit in Nouvelles de la republique de lettres, Martio 1703. p. 156. Excusat tamen se bibliopola Belga Brunel, in Nouellis mensis Martii 1703. vbi in fine hæc adnecti voluit *Mr. Ancillon n' a pas eté bien informé, quand on luy a dis, que i' auois imprimé le Melange Critique de Litterature recueilli par Mr. son Pere. Ce livre a eté imprimé a Roüen, & ceux qui l' ont imprimé y ont mis mon nom sans me le communiquer, & m' en ont envoyé*

150 exemplaires, sans les avoir demandé. Sequuntur *Melanges d'histoire & de litterature recueillis par M. de* VIGNEVL - MARVILLÆ, *à Rouen* & postea *à Rotterdam 1702. 8*, cuius iam tres partes fuerunt editæ. Miscellanea sunt ex ore eruditissimorum virorum, Euremontii, Puteanorum, Tilii & aliorum, quos præfatio docet, quæ personatus Maruilius hic collegit, in quibus vel iudicia de scriptoribus, horum scriptis, nummis atque curiosis aliis reperimus. Præstant eo reliquis scriptis eiusmodi sortis, quod hæc cum selectu fuerint composita. Irrepsere tamen errores quidam, quos auctor dissertationis tertio tomo adiectæ emendauit, atque hæc miscellanea in quibusdam suppleuit. Nec prætereundum est vtilissimum institutum BERNARDI MALLINCROT, de quo ipse de Historicis Græcis testatur, dum ait: *In Catalogo auctorum Plinianorum, quem affectum habeo, inter cætera cognitu nec iniucunda nec infructuosa ostendere constitui, conuenientiam & discrepantiam ipsorum indicum cuiusque libri, qui operis illius primo libro comprehenduntur, cum cuiusque libri contextu.* Videmus ex hoc, Mallincrotium in iudiciis Plinianis fuisse occupatum, quod sane admodum fuisset proficuum, si modo editum. Haud ita pridem prodiit THOMÆ CRENII *de singularibus scriptorum dissertatio epistolica, Lugduni Batauorum 1705. 8.*

Col-

Collectanea sunt de Scriptoribus quibusdam, hinc inde consarcinata, quæ ordine alphabetico secundum auctorum nomina congessit: sed pauca saltim sunt, & cum Euripide desinunt.

§. XV.

Prodibant aliquando *iudicia de nouissimis prudentiæ Ciuilis Scriptoribus ex Parnasso*, cum EVBVLO THEODATO SARCMASIO *in secessu Albipolitano ingenue communicata Martismonte 1669. 4.* Hæc iudicia concernunt viros pragmaticos celeberrimos, isto tempore adhuc viuos, Conringium, Bœclerum, Montzambano, Burgoldensem, Lentulum, Rachelium, Martini, Puffendorffium, Spreng.rum, Le-Bleu, Hornium, Spenerum, Poppingium, Relfendso. Hæc tamen censura nimio sale mixta mouit quamplures, qui in eandem calamum stringerent, inter quos præcipuum est PETRI NASTVRCII *Iudicium de iudiciis, quæ in nouissimos ciuilis prudentiæ scriptores exercere voluit Sarckmasius, Coloniæ 1669. 4.* In quo auctor detegitur, quod sit celeberrimus vir, Conradus Samuel Schurtzfleischius, eandem tamen ille expertus fuit censuram, quam in alios ediderat, licet non tam acute, ac Schurtzfleischius fecerat. Sic etiam contra eandem prodiit LABRONIS a VERASIO *Satyra Sarckmasiana, Teutoburgi 1669. 4.* ὑπερασπισμός *pro scriptis Cyriaci Lentuli, aduersus*

nouum Criticum, Marpurgi 1669. 4. Defendit se contra horum iniurias Schurtzfleiſchius, ſub nomine XAVERII PARANI in *initiis vindiciarum pro Sarckmaſio, Leouardiæ 1669. 4.* Editum quoque *colloquium occaſione tumultuantis Veraſii in Parnaſſo inter Apollinem, Mercurium, Labronem a Veraſio & Sarckmaſium habitum de iudiciis Sarckmaſianis eruditis, bona mente communicatum ab Auguſto Florido de Montalbano, Irenopoli 1669. 4,* quod ab alia quidem manu profectum, pro Schurtzfleiſchio tamen eſt. Comparatio vero Conſtantini Germanici & Sarckmaſii ironica eſt. Paucos ante annos ſimilia quoque prodierunt *Iudicia de Scriptorum recentiorum decade, Hamburgi 1688. 4,* & mutatis quibusdam verbis durioribus, *Lipſiæ 1688. 4.* Auctor eſt IOANNES ALBERTVS FABRICIVS, neque tamen iſta tantas turbas mouerunt. Addimus hiſce *Characteres des autheurs anciens & modernes & les iugemens de leurs Ouvrages, à Paris 1705. 12* & recuſa *Amſtelodami 1705. 12.* Salſa eſt ſatyra, qua philoſophi potiſſimum, antiquiores æque atque recentiores, poëtæ & Hiſtorici percenſentur, idque ſub forma iudicii ab Apolline inſtituti. Auctores videntur Ieſuitæ Galli, qui illis ex illorum gente, qui ex Gallorum caſtris profugi, vel Reformatorum præcipuis hoc ipſo videntur illudere. Maxime vero contra hoſce videtur eſſe directa, quos p. 4. his verbis

bis deſcribunt. *La corruption & l' ignorance étant venu iusq' à ce point, que B*** I*** & le V*** avoient trouvé des admirateurs en Angleterre, en Hollande en Suiſſe.* Non dubitamus, in Pariſienſi exemplari, quod videre non licuit, nomina eſſe expreſſa, facile tamen ex omnibus licebit coniicere, per hoſce notari *Gilbertum Burnetum, Petrum Iurieu* & *Michaelem le Vaſſor.* Nec immunis eſſe videtur *Ioannes Clericus*, atque Belgarum alii. His etiam adnectimus *Entretiens ſur les Contes de Fées, & ſur quelques autres Ouvrages du Tems pour ſervir de preſervatif contre le mauvais gout, à Paris 1699. 12.* Multa hoc libro continentur curioſa & ſcitu digna de variis Gallorum libris, horum ſcribendi pruritu, comœdiis euulgatis, fabulis Romanenſibus, Gallorum hiſtoriis quotidianis, libris in *ana* & ſimilibus, licet non omnia exhauſerit.

§. XVI.

Alii fuerunt, qui certam ſaltim eruditorum ſpeciem diiudicarunt. Ita fata eruditorum lugenda deſcripſit IOANNES PIERIVS VALERIANVS *de infelicitate litteratorum*, quem continuauit CORNELIVS TOLLIVS, *Amſtelodami 1647. 12.* & *Helmſtadii 1695. 12.* Exempla eorum ſunt, qui vel vita, vel morte fuerunt infelices eruditi, ſine de-

lectu tamen collecta, eademque saltim recentiora. Pierius de Italis saltim agit, Gallos addit aliosque Tollius. Sic etiam THEOPHILVS SPITZELIVS edidit *felicem litteratum*, *Augustæ Vindelicorum* 1676. 8. *Litteratum Felicissimum*, *Augustæ* 1688. 8. & *Litteratum infelicem*, *Augustæ* 1680. 8, quæ per regulas atque exempla declarat. Huc faciunt scripta, quæ de Principibus doctis, fœminis eruditis, doctis præcocibus capite quinto §. VI & XV recensuimus. Huc facit dissertatio *de doctis impostoribus*, huic introductioni adiecta. Immo colligenda sedulo sunt hæc & eiusmodi exempla alia de religione, moribus, fatis, matrimonio, stupenda memoria & similia. Talia enim ad ornatum rei litterariæ multum conducunt, atque vbi in discursibus debite adhibeantur, multum commendant.

§. XVII.

Nec negligenda sunt ad rei litterariæ statum epitaphia atque monumenta sepulcralia, quia inter hæc reperiuntur, quæ non ingenium solum sapiunt, sed etiam variam præbent notitiam. Non omnia hic recensebimus, saltim præcipua. LAVRENTIVS SCHRADERVS libros quator edidit *Monumentorum Italiæ* præcedentis seculi, *Helmstadti* 1592. f, quibus varia eruditorum elogia conti-

continentur atque epitaphia. Sæpius autem Schraderus vſus fuit TOBIÆ FENDII *Monumentis ſepulcralibus, Vratislauiæ 1574. f*, quæ in Bibliotheca antiqua recenſuimus, menſe Augusto. Hæc autem denuo poſtmodum fuerunt recuſa hoc titulo: *Monumenta illuſtrium virorum & elogia, cura M. Z. Boxhornii, Amſtelodami 1638. f.* Licet Boxhornius nihil aliud fecerit, quam vt elogia aliqua adiiceret a latere iconis, alias omnia ex priori editione. Sic etiam *Monumenta ſepulcralia clarorum virorum per totum fere vrbem* prodierunt *Francofurti 1585. 4.* PETRVS ANDREAS CANONHERIVS *Flores* edidit *illuſtrium Epitaphiorum totius Europæ, Antvverpiæ 1614. 8.* Sic etiam LAVRENTIVS PIGNORIVS *miſcella* ſcripſit *elogiorum, acclamationum, epitaphiorum &c.* collectore IO. BAPTISTA MARTINIO, *Venetiis 1628. 4.* Addimus hiſce NATHANIS CHYTRÆI *variorum in Europa Itinerum delicias, Herbornæ 1606. 8* & alibi editas. His congesſit varias inſcriptiones atque epitaphia in diuerſis prouinciarum partibus reperta. Inter hæc autem, licet reperiantur variæ templorum, palatiorum, armamentariorum, aliorumque ædificiorum publicorum inſcriptiones, nihilominus multa reperiuntur doctis atque illuſtribus viris poſita monumenta. Addimus illos, qui certarum ſaltim prouinciarum monumenta collegerunt. Inter hos

FRAN-

FRANCISCVS SWEERTIVS monumenta Sepulcralia Brabantiæ edidit *Antvverpiæ 1613. 8. IOANNES GROSSIVS vrbis Basileæ epitaphia & inscriptiones, Basileæ 1622. 8*, quæ continuauit *IOANNES TONIOLA, Basileæ 1661. 4.* Ita etiam *SIMON GRVNÆVS Basileensia monumenta, seu epitaphia* congessit, *Lignicii 1602 8. DANIEL PRASCHIVS epitaphia Augustana Vindelica* collegit, *Augustæ 1624. 4. MICHAEL ROTENBECK epitaphia Noribergensia, Noribergæ 1622. 8. BALTHASAR MENTZIVS syntagma* edidit *epitaphiorum, quæ in inclyta Witteberga conspiciuntur, Magdeburgi 1604. 8.* Hunc secutus est *ANDREAS SENNERTVS*, cuius sunt *Athenæ & inscriptiones Wittebergenses, Wittebergæ 1678. 4.* Idem in nostra academia egit *B. CASPAR SAGITTARIVS* in *Historia Templi Ienensis academici*, cui adiecit epitaphia & inscriptiones sepulcrales, *Ienæ 1685. 4.* Notari etiam quandoque possunt *epicedia in viros doctos* composita, colligi orationes parentales & funebria programmata. Cum plures sint, de quibus alia notitia haberi nequeat.

§. XVIII.

Superest, vt agamus de Scriptoribus, qui ad dignoscendos pseudonymos, anonymos, suppositities & homonymos faciunt. Occultos Scriptores qui detexerit, inter omnes præcipuus est VINCENTIVS PLACCIVS,

cuius

cuius *syntagma de Scriptis & Scriptoribus anonymis atque pseudonymis* prodiit *Hamburgi 1674. 4.* Auctores, quos detegit, in certas classes diuisit, horumque ad sesquimillia restituit, & multa enodauit plane incognita. Accessit IOANNIS RHODII *catalogus auctorum supposititiorum* cum adnotationibus, & PETRI SCAVENII *catalogus auctorum, qui suppresso vel ficto nomine prodierunt.* Publicauit postea idem Placcius *amicam imitationem ad Magliabechum & alios litteratos, super symbolis ad anonymos & pseudonymos detectos & detegendos, Hamburgi 1689. 8.* Post mortem Placcii, ex ipsius voluntate eundem contiuuare suscepit GERARDVS MASTRICHT, qui vel quatuor millia auctorum detegere promisit, nondum tamen edidit. Quid de quæsita editione actum sit, ipsius celeberrimi viri epistola, quæ capite quarto §. XIX inserta est, docebit. Dolemus, tam insignem rei litterariæ thesaurum tot annos iacere, neque adhuc de euulgando eodem spem superesse, ob sumtus nimios, ni forsan aliquando singulæ classes separatim ederentur, quo sumtuum ratio tanto melius haberi possit. Secutus eundem est IOANNES DECKHERVS, qui *de scriptis adespotis, pseudepigraphis & suppositiis coniecturas* edidit, quæ ex editione tertia prodierunt *Amstelodami 1686. 12,* in quibus multa commemorat a Placcio non addu-

adducta, cum hoc eius fuerit institutum. Accessit epistola PAVLI VINDINGII ad Deckherrum *de scriptis nonnullis adespotis* & PETRI BÆLII epistola ad Theodorum Ianſenium ab Almelouen, *de scriptis adespotis*, in qua multa notatu digna. Ipse postea Deckherrus *Consultationibus* suis *forensibus*, *Francofurti* 1691. 4 editis, adiecit *Dialogum exulem de Iactura temporis*, qua Vindingio & Bælio quandoque respondet, quandoque sua emendat. Post hunc, Gallus quidam anonymus edidit *Autheurs deguisés, sous de noms etrangers empruntés, supposés, faints à plaisir, chiffrés, renuersés, retournes où changes d' vne langue en vne autre*, *à Paris* 1690. 12. Auctor est ADRIANVS BAILLETVS, sed vt verum fatear, in hocce tractatu non nisi potiora sunt excerpta ex Placcio & Deckherro. Apud Italos prodiit *La visiera Alzata*, i. e. larua detracta, continens centuriam scriptorum, quibus, cum extra Bacchanalium tempus personati incederent, laruam detraxit IOANNES PETRVS IACOBVS VILLANIVS, *Parmæ* 1680. 12. Duabus partibus constat hic liber: altera inscribitur *Hecatoste*, & centum scriptores continet, altera *Pentecoste*, quæ continet quinquaginta. Multos detegit scriptores Italos, & tales, qui pro vel contra Iesuitas, Scaligerum & Scioppium editi. Sunt tamen quædam obseruationes rariores, & videtur Antonius

Maglia-

Magliabechius manus obſtetricantes attuliſſe. Breuis libellus eſt *larua detracta*, h. e. *breuis expoſitio nominum, ſub quibus ſcriptores aliquot Pſeudonymi, recentiores inprimis, latere voluerunt, Veriburgi 1670. 12.* Tres decades ſaltim continet, ſcriptorum maximam partem politicorum.

§. XIX.

Ab his vertimus nos ad homonymos, ad quos cognoſcendos egregie conducit *IOANNIS MOLLERI homonymoſcopia*, quæ *Hamburgi* prodiit *1697. 8*, in qua non ſolum errores præcipuos, quos homonymia in hiſtoriam litterariam inuexit, notat, ſed etiam homonymos bene ab inuicem diſtinguit, atque multa intermiſcet haut vbiuis obuia. Longum hic foret omnes recenſere, qui de homonymis quibusdam ſpeciatim egerunt. *IOANNES MEVRSIVS* quidem de *Philoſtratis, Nicomachis, Ariſtoxenis, Alypiis, Antigonis, Ptolemæis* egit. *ANDREAS SAVSSAY de Andreis. ANTONIVS SANDERVS de claris ſanctitate & eruditione Antoniis, Louanii 1627. 4. LEO ALLATIVS de Georgiis, de Pſellis, de Simeonibus, Nicetis, Methodiis.* Addimus hiſce *IO. THEODORI LEVBSCHERI de Claris Gryphiis* ſchediasma, *Brigæ 1702. 4*, quod multa profert notatu digna.

§. XX.

§. XX.

De *plagio litterario* doctisſima extat disſertatio IACOBI THOMASII, quæ primum *Lipſiæ 1674. 4*, poſtea ſex acceſſionibus locupletata *1692. 4* prodiit. Sane elegantisſima illa eſt & ſumma cura elaborata. Cum autem tantus eſſet plagiariorum numerus; vt vna vice non ſtatim exhauriri potuiſſet; noui ſemper acceſſerunt. THEODORVS IANSENIVS ab ALMELOVEN opuſculis ſuis, ſiue ſpecimini antiquitatum *plagiariorum ſyllabum* adiecit, *Amſtelodami 1686. 8*. Poſt hunc, IOANNES ALBERTVS FABER ſiue potius FABRICIVS, *decadem decadum, ſiue plagiariorum & pſeudonymorum centuriam* ſcripſit *1689. 4* editam, in qua multas doctas reperimus obſeruationes, multos etiam ſcriptores a plagii crimine abſolutos; atque ad Placcii petitum fuit ſcripta. Prodiit poſtea DAVIDIS ABRECOMBII *fur academicus, ſiue academia ornamentis ſpoliata á furibus, qui in Parnaſſo coram Apolline ſiſtuntur, vbi criminis ſui accuſantur & conuincuntur, Amſtelodami 1689. 12* atque ex editione ſecunda, *Amſtelodami 1701. 12*. Satyra eſt, qua conuocatam in Parnaſſum ab Apolline Muſarum ſocietatem fingit atque plagiarii, aliique ſcriptores indigni rei ſiſtuntur, tanquam fures argenti & temporis. Facile tamen patet, Medicum eſſe, cum plerumque medicorum pla-

plagium in scriptis & nouis inuentis exponit, & quosdam, qui ipsi quidpiam per plagium surripuerant, ludere videtur. *LEONARDVS COZZANDVS* in catalogo librorum adfectorum, quem Librariæ Brescianæ adfixit, promisit etiam tractatum *de præstantibus doctrina viris, qui alienis fontibus hortos suos irrigarunt.* Sic etiam *PAVLVS COLOMESIVS* in Gallia sua Orientali promisit *Criticum Gentilem, siue de dubiis Scriptoribus Commentarium, de plagiariis, historiam librorum & historiam doctorum.* Exemplum plagii insignis adparet in libro *GODEFRIDI BIDLOO*, qui edidit *Guilielmum Covvperum Criminis litterarii citatum, coram Tribunali Societatis Anglicanæ, Lugduni 1700. 4*, qua ipsum, quod in Anatomia sua non solum figuris Bidloii fuerit vsus, sed etiam explicationibus, quas tamen pessime sæpe immutauerit, inculpat. Breuis est, ast elegans *THOMÆ CRENII de furibus librariis dissertatio epistolica ad Fridericum Danielem Knochium, Lugduni Bat. 1705. 8.* Hac enim centum viginti plagiarios notat, quos inter legendum alia, ab aliis in hunc numerum relatos reprehenderat. Multa intenspergit erudita, licet nullo certo vtatur ordine. Nouissime demum prodiit *IO. CONRADI SCHWARTZII de plagio litterario* tractatio, quam sedecim capitibus absoluit, *Lipsiæ 1706. 8.* Verum, moralia potius

ſunt, quam litteraria, dum de plagii natura, diuerſitate, inueſtigandi ratione, modo, defenſoribus, accuſatoribus & ſimilibus agit, quæ de his dicenda præpoſuit: melius tamen feciſſet auctor, ſi ſingula exemplis ex litteraria repetitis probe illuſtraſſet.

§. XXI.

Aliud ſibi propoſuit THEODORVS IANSENIVS ab ALMELOVEN, qui edidit *Bibliothecam promiſſam & latentem*, cui ſubiunxit GEORGII HIERONYMI VELSCHII *de ſcriptis ſuis medicis epiſtolas*, *Goudæ 1692. 8*. Hac ordine alphabetico narrat plures ſcriptores, horumque tractatus, quos promiſerant quidem, neque tamen ediderunt. Licet negandum non ſit, eſſe nonnulla, quæ tanquam latentia proponat Almelouenus, quæ tamen dudum edita. Prodierunt poſt hæc RVDOLPHI MARTINI MEELFüHRERI *acceſſiones*, *Noribergæ 1699. 8*, quibus Almeloueni cœptum eadem ratione continuat. Nec immerito hic addimus IOANNIS CINELLI *Bibliothecam volantem*, qua italico ſermone libros deſcribit minores, qui vix ſex plagulas conſtituunt, panegyricos. deſcriptiones ſolennitatum, ideas operum & ſimilia, quæ vulgo negligi ſolent, ſæpe tamen eximiæ ſunt vtilitatis. Prima & ſecunda ſectio prodiit *Florentiæ 1677. 8*. Tertia & quarta *Neapoli 1677. 8*. Quinta *Parmæ 1686. 8*.

§. XXII.

§. XXII.

Nec male ad ſtatum rei litterariæ & ſcriptorum noſcendum ducuntur Lexica, quæ vulgo dicuntur Realia atque hiſtorica. Inter hæc primum eſt SVIDÆ, de quo ſuperiori iam capite fuit dictum. Vnicum hoc addimus, nuper demum ante indicatam Neocori editionem prodiiſſe hoc titulo: *Suidæ Lexicon Gr. & lat. Textum Græcum cum Mſtis Codicibus collatum a quamplurimis mendis purgauit, notis perpetuis illuſtrauit, indicesque auctorum & rerum adiecit Ludolphus Küſterius, Cantabrigiæ Typis academicis 1705. f, tribus Tomis.* Cum tribus potisſimum Mſtis codicibus Regiæ Pariſienſis Bibliothecæ textum contulit Küſterius, Io. Pearſoni, ſuas & aliorum notas adiecit, ita, vt induſtriæ Küſteri, quam tantum, etiam prædicant Angli, plurimum debeamus. Recenſent Opus Acta Eruditorum Ianuario 1706. Inter recentiora primum eſt IOANNIS IACOBI HOFMANNI *lexicon vniuerſale hiſtorico-Geographico-poëtico-philologicum,* cuius optima eſt editio, quæ cum ſupplemento prodiit *Amſtelodami 1698. f.* Hic licet potior ſit in Geographicis, quandoque tamen æque ordine alphabetico, quem ſeruat, de ſcriptoribus quoque ediſſerit, licet in iisdem recenſendis non vbique ſit accuratus. Alterum eſt LVDOVICI MORERI *le Grand Dictionaire Hiſtorique.* Prodiit hoc prima vice,

Lugduni 1681. f. 2 vol. quibus omnia, quæ ſcitu neceſſaria, abſoluere voluit Morerius. Tanto adplauſu ſtatim recipiebatur, vt tertia editio prodiret *Pariſiis 1683. f.* Quinta editio auctior *1688. f*, qua errores aliqui fuerunt emendati. Acceſſit poſtea *Supplementum, ſiue Tertium volumen* huius Dictionarii, quod *Pariſiis* prodiit *1689. f*, licet in eodem multa repetantur, quæ Moreri iam dixerat, ſæpe errores erroribus cumulentur. Auctorem hoc ſupplementum habet Abbatem de VSSAN atque alios. Sextam editionem procurauit IOANNES CLERICVS, *Vltraiecti 1691. f* IV Tomis, qua non ſolum ordine alphabetico Supplementum ſuis locis inſeruit, ſed etiam errores plures emendauit, multa, quorum pleraque vncis incluſa, adiecit. Eadem ratione recuſa fuit ſeptima editio. Octaua editio eiusdem eſt, emendatior reliquis, maxime quod ea, quæ in Morerio notauerat Bælius, fuerint inſerta, atque ex eodem emendata. Noua poſt hæc editio apud Gallos prodiit *Pariſiis 1699. f* IV Tomis, cuius reuiſor VAVLTIERVS Belgicas editiones aliqua ex parte reprehendit, ſuamque omnibus aliis præfert. Cum autem ipſe Clericus in eiusdem editionis recenſione, quam Bernardi Nouis Reipublicæ Litterariæ Februario menſi inſertam videmus, quid inter Belgicas & hanc Gallicam editionem interſit, demonſtraſſet,

edi-

edidit postea Vaultierus *Proiet pour la correction du Dictionaire Historique de Morery, deia reuû, corrigé & augmenté dans la derniere edition de Paris*, qua se excusat de erroribus ipsi imputatis, quod reuisio Dictionarii iam ab alio fuerit cœpta, antequam ipsi demandaretur. Nouam, eandemque nonam, prout titulus habet, editionem procurauit idem Clericus, *Amstelodami 1702. f*, qua nouos quidem arˈ ulos perplures continet, qui tamen vel ex M.. ırsii Bibliotheca Græca, Prosopographia Codicis Theodosiani, actis Martyrum & eiusmodi Collectaneis fuerunt desumti. Hoc autem ad sextam editionem translatum fuit in linguam Anglicanam cura potissimum de la Crose, *Londini 1694. f.* Licet plura ex Gallico fuerint omissa, alia, quæ statum & nobilitatem potissimum Britannicam concernunt, inserta. Huic, anno superiori Supplementum accessit, quod videre non contigit, notare tamen liceat, quæ Bernardus de eo Nouis suis mense Nouembre 1705 p. 571 inseruit: *il y a deia quelque tems, que le Supplement du Moreri Anglois paroit. Ce Suplement est de la façon de Mr. Collier. Pour bien entendre te que c'est, il faut que vous sachiez que lors qu' on traduisit Moreri en Anglois, on ne prit que les Articles qui paroissoient les plus essentiels, & qui regardoient les personnes les plus connues. Mr. Collier a donc trouvé encore de quoi glaner*

abondamment. Il a auſſi profité du Dictionaire de Mr. Bayle, & de quelques Ouvrages Anglois, qui contiennent la Vie des Sçavans de ce Pays. Baudrand, Hoffmann, Charles Etienne, &c. lui ont auſſi ſervi. Mais il s' eſt moins mis en peine de corriger leurs Fautes, que de les copier fidellement. Encore a-t-il fait quelques bévuës, faute d' entendre aſſez le François. Bien de gens ont été ſurpris qu' en rapportant ce qu' on trouve dans Moreri à l' Article Calvin & Calviniſtes, il ait retranché les correctifs, que Mr, le Clerc y avoit mis, ces Articles étant tirez de Maimbourg que l' on a convaincu de mille menſonges ſur cette matiere. Au reſte Mr. Collier étant de ces Eccleſiaſtiques, qu' on nomme non jureurs parce qu' ils ne veulent pas preter ſerment au Gouvernement preſent, ni reconnoitre la juſtice de la derniére Revolution; il n' a pouſſé ſon ſupplement, que jusqu' à l' année 1688. Vn autre l' a continuée jusqu' à preſent; mais de la maniére du monde la plus pitoyable. Il fait Mademoiſelle de Scuderi femme de Mr. de Scuderi ſon frere. Facile patet, cur ita receptum fuerit lexicon, cum tamen vbique nec accuratum nec perfectum ſit, atque in eiusdem næuis emendandis multi iam adlaborarint. In genealogicis quidem reperiuntur aliqua, quæ laudanda, maxime quæ Galliæ hiſtoriam concernunt, ſed Germanorum genealogiæ pleræque omiſſæ, alia perperam vel non pro dignitate adducta, &

quæ

quæ de re litteraria dicuntur, parum accurata. Non incongruum erit testimonium Maruillii, quod habet in Melanges d'histoire & de litterature Tome I. p. 284. hic adducere, vbi ait: *son dictionaire est vn ouvrage d'vn tres bon dessein, & d'vn execution tres difficile, comme sont tous les Dictionaires. Ce lui cy est si mal executé, qu'il ne merite ni l'approbation des Sçavans, ni l'application de ceux, qui pretendent le devenir. Il n'est bon que pour la bourgeoisie, à qui il ne tire pas a consequence de sçavoir les choses bien ou mal.* Adsueuerunt autem homines eiusmodi dictionariis realibus, in quibus complexum omnis doctrinæ, quæ tot millibus auctorum comprehendatur, quærunt, putantes, vel leui opera omnia se ibidem reperturos, quæ scire aueant: sed falluntur maxime. Habent quidem ita suum vsum pro iis, qui leuiter saltim instrui cupiunt, si modo accurata sint. Iis vero, qui solida amant, non ita prosunt, nisi vt aliquos fontes scriptorum, si qui adlegati, inde hauriant. Proposuerat sibi quidem SAMVEL CHAPPVZEAV, ob religionem exul ex Gallia, completissimum lexicon tale edere, atque huius sui propositi designationem edidit in libro, cui titulus: *Dessein d'vn Nouveau Dictionaire historique, Geographique, Chronologique & Philologique, à Celle 1694. f,* qui non solum errores Moreri emendaturum se promittit, sed

 etiam

etiam omnia, quæ ſcire iuuenem in hiſtoria, geographia, chronologia & vniuerſa litteratura neceſſarium ſit. Sed, cum ſextum & ſexageſimum ætatis annum iamdum ageret, nil niſi hæc deſignatio prodiit, licet ſe primum iam tomum confectum habere adfirmaret, ad reliquos vero duos materiam omnem paratam. Thomas Fritſchius, Lipſienſium bibliopola, ſimile inſtitutum cepit euulgandi tale lexicon in lingua Germanica. Inuitauit ad illud omnes eruditos, vt ſymbolas ſuas conferant. Verum, cum non de certo Directore fuiſſet ſollicitus, nihil adhuc actum. Nuper admodum hic labor commiſſus eſt celeberrimo viro, IOANNI FRANCISCO BVDDEO, de quo, cum in omni elegantioris litteraturæ genere emineat, optima ſperamus. Inſtitutum tale eſt, vt fundamenti quidem loco ponatur Dictionarium Morerianum, quod in Germanicam linguam transfertur, a næuis repurgatur, multis acceſſionibus nouis ex Bælii dictionario aliisque actis ineditis augetur, præcipue inſeruntur, quæ ad hiſtoriam Germanicam faciunt, genealogiæ Principum & nobilium familiarum, & magna cura adornatur, adlegatis vbique ſcriptoribus probatisſimis, vt nouum plane poſſet videri. Idque ita adornatum, iam ſub prelo ſudat. Nuper demum nouuelles de la republique des lettres menſis Iunii p. 690. ionem faciunt Magni Dictionarii vniuerſa-

uersalis, quod meditatur Pater CORONELLI, scriptor Venetus, quod constituet quadraginta volumina, cuius tria iamdum prodierunt. Licet splendidum hoc magis esse dicatur, cum ordine quidem alphabetico, pro more Dictionariorum incedat auctor, ita tamen, vt integri sæpe inserti fuerint tractatus. Aliquot ante annos PETRVS BÆLIVS edidit *Proiet d' vn Dictionaire critique à Mr. du Rondel, Professeur aux belles lettres a Maestricht, 1642.* 4 addebantur aliqua fragmenta, quibus de operis instituto plenius constaret. Hoc autem potissimum est, vt errores Lexicorum Historicorum atque aliorum Scriptorum notaret, atque hæc ipsa dissertatio Dictionario postea fuit adiecta. Prodiit demum Eiusdem *Dictionaire Historique & Critique, Roterodami* primum *1696. f*, sed emendatius, & longe auctius *Roterodami 1702. f* duobus Tomis, omissis, quæ in priori editione inutilia, contra Belgarum statum, vel male dicta videbantur. Totum hoc est litterarium, quo ordine alphabetico non nisi viros claros atque eruditos, illustres etiam fœminas recenset auctor, statum eorum, mores & plerumque secretiora prodiit, de scriptis horum iudicat, scribendi rationes exponit, næuos dictionarii Moreriani euoluit, & singula probat auctoritatibus inconcussis. Sane, si quid inter biographica commendandum,

dum, hoc eſt. Licet etiam negandum non ſit, ſæpe nimiam eſſe criticam Bælii, nonnunquam eum per vanos diſcurſus diuagari, ſæpe obſcœna referre, modo vt lectorem delectet; ſi non potius corrumpit. Excuſare ſe de iis conatur in poſteriori Dictionarii editione, cui adiecit *Eclaircissemens sur certaines choses repandues dans ce Dictionaire.* In his autem ſe defendit ab iis, de quibus ipſum inculpauerunt. Primum, quod ſæpe vitam moresque illorum laudauerit, qui Dei vel prouidentiam vel exiſtentiam negarunt. Se autem hiſtoricum eſſe dicit, & facile inuicem poſſe conuenire, ſine religione eſſe, & probe viuere, idque non ex principio amoris diuini, ſed vel ex ſanguinis vel humanæ naturæ conſtitutione. Secundo, quod ſæpius, vbi Manichæorum fiat mentio, horum obiectionibus reſponderi non poſſe adſerat, quod ſe intelligere ſaltim ait ſecundum rationis iudicium, non Scripturæ ſacræ auctoritatem. Tertio, vbi de Pyrrhoniſmo egerat, ſe nullum Religioni præiudicium exinde adferre voluiſſe. Quantum ad obſcœna, quæ ipſi obiiciantur, ſe euitaſſe ait terminos craſſiores atque tales, qui poſſent offendere, immo vbi ſcriptorum verba adducenda, ipſum mitius ea propoſuiſſe. Quidquid tamen ſit, ſupereſſe adhuc videntur nonnulla, de quibus excuſari non poterit.

§. XXII.

§. XXIII.

Maximum æque in re litteraria momentum præbent epiſtolographi, de quibus tamen, antiquis æque & recentioribus, egregie iudicauit DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS in libello *de ratione conſcribendarum epiſtolarum* lib. I c. I. Idem quoque egit in Polyhiſtore lib. I. c. XXIII, XXIV & XXV, vbi de ſingulis eruditorum epiſtolis iudicat egregie, & quantum ex iis res litteraria illuſtrari poſſit, docet. Ad ſupplendum hæc Morhofii capita facere poteſt. IO. FRANCISCI BVDDEI, Viri celeberrimi, Fautoris ſingularis *diſſertatio præliminaris*, quam præmiſit *ſupplemento epiſtolarum Martini Lutheri*, quod *Halæ 1703. 4* prodiit. Hic enim, prout rem litterariam vbique promouere ſtudet, non ſolum epiſtolographos a Morhofio prætermiſſos (quorum tamen perpauci ſunt,) ſupplet, ſed & de nouis collectoribus epiſtolarum agit, de iisdemque erudite cenſet, ita, vt iliada poſt Homerum ſcriberem, ſi poſt tantos viros quidpiam hic auderem. Æſtimandæ quidem ſunt vel ſingulæ eruditorum epiſtolæ, non tamen omnes ad ſtatum rei litterariæ faciunt; vbi tamen faciunt, multa arcana produnt, quæ ad controuerſias maxime eruditorum faciunt. Dolendum vero, in edendis eruditorum epiſtolis nullum haberi ſelectum. Colliguntur enim, quotquot haberi

beri possunt epistolæ, nulla habita ratione, an steriles tantum sint, an vero multas res contineant. Hoc enim lectori sat est molestum, aliquas paginas vertere, antequam singulare quidpiam reperiatur. Deinde, aliquot coniunctim editæ epistolæ & argumentis & indicibus necessariis destituuntur, quæ tamen multum prosunt, vt vno quasi intuitu perspiciamus, quæ in quauis epistola pertractentur. Ad rem litterariam conducunt BILIBALDI BIRCKHEIMERI & ad eum virorum doctissimorum, Erasmi, Reuchlini, Hutteni epistolæ, quæ inter opera eius extant a Goldasto edita *Francofurti 1610. f*, & rara multa ad statum rei litterariæ, qui sub initium sec. XVI. fuit, continent. Quod etiam laudandum in *epistolis* FRANCISCI PHILELPHI, quantum ad statum Seculi XV. *Marbachiorum epistolæ*, quas edidit IOANNES FECHTIVS, dum Historiæ Ecclesiasticæ seculi a nato Christo decimi sexti supplementum publicaret *Durlaci 1684. 4*, ad historiam ecclesiasticam non solum, sed etiam litterariam multum faciunt. ROLANDI MARESII *epistolæ Philologicæ*, quæ primum *Parisiis 1650. 12*, post cura ADAMI RECHENBERGII, *Lipsiæ 1687. 12* prodierunt, idem egerunt. In singulis agitur de studiorum instituendorum ratione, & modo de Grammaticis, modo de poëtis, modo de oratoribus, modo de versioni-

ſionibus, vel de ſimilibus. IOSEPHI SCALIGERI epiſtolæ, quæ *Lugduni Batauorum* prodierunt *1627. 8*, hodie raræ ſunt, ſed multi vſus, varia enim loca ſcriptorum explicant, & variam ſcriptorum editorum cognitionem præferunt. BONIFACII VANNOCII *epiſtolæ miſcellaneæ*, italice ſcriptæ atque editæ *Venetiis 1606. 4*, de ſcriptoribus Italis, Caſa, Iouio, Boccacio, Vrſino, Maioragio aliisque agunt. Elegantisſimæ epiſtolæ ſunt CLAVDII SARRAVII, quæ primum *Arauſionis* prodierunt *1654. 4*, in quibus tamen multæ ſunt lacunæ, cum varia continerent, quæ non poterant tuto publicari. Hæ autem conſiſtunt ex epiſtolis Sarrauii ad viros celeberrimos ſcriptis, vel horum, præcipue Salmaſii, ad ipſum. Egregiæ ſunt & multa continent arcana de variis eruditis, horum controuerſias, iudicia de libris, elogia vel næuos ſcriptorum atque ſimilia. Recuſæ poſtea fuerunt cum epiſtolis Gudianis. Prodierunt enim haut ita pridem MARQVARDI GVDII & doctorum virorum aliorum ad eum epiſtolæ, quibus accedunt ex bibliotheca Gudiana doctorum virorum quorundam, qui ſuperiori & noſtro ſeculo floruerunt, & Claudii Sarrauii epiſtolæ, ex eadem bibliotheca auctiores, curante PETRO BVRMANNO, *Vltraiecti 1697. 4*. Hæ quidem non omnem exſpectationem, quam Morhoſius iam fecerat, adimpleuerunt, cum

cum facile credendum, plures adhuc in Gudiana bibliotheca adſeruari anecdotas, multa tamen in iis de ſtatu recentiorum eruditorum reperimus; quod vero in Sarrauianis optimum eſt, repletæ ſunt ex Gudii exemplari lacunæ. IANI NICII ERYTHRÆI epiſtolæ, quæ editæ *Coloniæ Vbiorum 1645. 8*, non ſolum ob ſermonis venuſtatem, ſed etiam virorum doctorum, quam præbent, notitiam, legendæ ſunt. Magni fiunt apud omnes *epiſtolæ* HVGONIS GROTII, quarum primum paucæ tantum, editæ aliquoties *Lugduni Batauorum 1650. 12*, demum *Lipſiæ 1674. 12*. Tandem vero ex Bibliothecis illuſtrium virorum collectæ ipſius epiſtolæ, quotquot haberi potuerunt, prodierunt *Amſtelodami 1680. f.* In iſtis epiſtolis varia continentur, vt πολυμαθέστατος vir erat Grotius. Maxime vero Publica, quæ ad ſtatum Galliæ & Sueciæ faciunt, iudicia quoque de ſcriptoribus & libris recens editis. Dolendum tamen, non adiectum eſſe indicem, litteris ſaltem ſecundum temporis ſeriem diſpoſitis. Nouam horum editionem adornauit SAMVEL PVFFENDORFIVS, priori ordinatiorem longe, quæ ad prelum iam parata poſt mortem illuſtris viri ſupereſt. IOANNIS LVDOVICI GVEZII BALSACII *epiſtolæ Gallicæ*, quæ *Amſtelodami* editæ *1656. 12*, ſingularia multa habent de rebus litterariis & auctoribus iudicia. GABRIELIS NAVDÆI

epiſtolæ, quæ poſt eius mortem prodierunt, *Geneuæ 1667.12*, multam præbent rei litterariæ ſui temporis notitiam, & iudicia de viris doctis, in quibus tamen non ſemper æquum ſe præſtat. Faciunt huc etiam AQVILINI COPPINI *epiſtolæ*, editæ *Mediolani 1613.8*, quæ libris ſex conſtant, & LVCILLI PHILATHÆI *epiſtolæ*, editæ *Papiæ 1564.8*, in quibus multa dicuntur de viris doctis Italiæ. Panegyriſtam potius agit IOSEPHVS LAVRENTIVS in *epiſtolis* ſuis, *Lucæ 1638. 8* editis, alias multa habet de viris doctis & eorum operibus. IOANNIS WOVWERII epiſtolæ *Hamburgi* editæ *1609. 8*, atque ad eruditisſimos viros ſcriptæ, multas de rebus litterariis conſultationes & iudicia continent. GEORGIVS RICHTERVS in *epiſtolis ſelectioribus*, quæ *Noribergæ 1662. 4* prodierunt, multa habet, quæ ad ſui temporis hiſtoriam litterariam faciunt, atque maxime æſtimantur ab eruditis. IACOBI VECTIANI *epiſtolæ*, rarisſimæ ſunt, & multam notitiám præbent ſcriptorum Italorum, qui apud nos alias parum ſunt noti. GVIDO PATINVS in *epiſtolis ſelectis*, quæ Gallico idiomate prodierunt *Geneuæ 1683.12* & *Pariſiis 1685 12*, & plus quam trecentis epiſtolis auctiores *Pariſiis 1692 8*, egregia habet de libris & viris eruditis, de ſtatu etiam ciuili & religionis, ſed audacius ſæpe & temere, pro ingenio ſuo iudicat. Immo inconſultius multa ſcribebat,

quæ

quæ dum ægrotos visitaret, pro more ipsi narrabantur. Audiamus Menagiana p. 291. *Les lettres de Guy Patin sont remplies de faussetés. Nous en remarquâmes vn grand nombre, M. Bigot & moi. M. Patin ne prenoit pas de precaution dans ce qu'il ecrivoit, & la preoccupation lui faissoit croire mille choses qui n' etoient pas.* IACOBI HOWELS *familiares epistolæ*, anglico idiomate editæ *Londini 1673. 8*, elegantissimæ sunt, & præter obseruationes historicas varias rariores, multa habent de re litteraria iudicia. *Epistolæ virorum doctorum ad* MELCHIOREM GOLDASTVM ex bibliotheca Henrici Güntheri Thulemarii prodierunt *Francofurti 1688. 4*. Ex iisdem varia notitia de editionibus librorum, horumque occasione, eruditorum fatis & similibus, non sine fructu eximio hauriuntur. Temporis in colligendis epistolis habita fuit ratio, sed retenti vbique tituli ad nihil vtiles, relicti multi errores typographici. Optandum, vt & istæ epistolæ ad Goldastum, quæ in bibliotheca Bremensi adhuc latent, quoque ederentur. GERARDI IOANNIS VOSSII *epistolas* PAVLVS COLOMESIVS, *Londini* edidit *1699. f*, *Augustæ Vindelicorrm 1691. f*, cum dodecade epistolarum GEORGII HIERONYMI VELSCHII recusas. Hæ licet non omnes, multæ tamen ad statum ecclesiasticum & litterarium sui temporis faciunt.

GVI-

GVILIELMI CAMDENI *epistolas*, adiecta Camdeni vita edidit THOMAS SMITHIVS, *Londini 1691. 4*, quæ sane cum a celeberrimis viris, Thuano, Peirescio, Vsserio, Puteanis, Sammarthanis, aliisque profectæ, qui summi erant litteratores, rem litterariam egregie illustrant. Insignem rei litterariæ operam præstitit IOANNES GVILIELMVS MEELIVS, dum *Francisci & Ioannis, Hottomannorum & clarorum virorum ad eos epistolas* in lucem protraxit *Amstelodami 1700. 4*, alias quoque ad alios scriptas epistolas adiiciens. Quanta Hottomannorum fuerint nomina, vel inter omnes constat, quantis negotis intermixtus fuerit Franciscus, in propatulo est, vt exinde multam de ciuili illorum temporum statu, & religionis, nec non litterariæ rei notitiam hauriri posse certum sit. Idem Meelius postmodum ex museo suo in lucem protulit *epistolas selectas, Amstelodami 1701. 8.* Quinque continent epistolarum centurias, quarum prima Grotii vel ad Grotium, reliquæ Scriuerianas & variarum ad Barlæum scriptas comprehendunt. Huc etiam referenda *Monumenta pietatis & litteraria virorum in republica & litteraria illustrium selecta, Francofurti ad Mœnum 1701. 4.* Qui hæc monumenta collegit, est LVDOVICVS CHRISTIANVS MIEGIVS, iisdemque insignem vsum præstitit. Licet enim potiora ad statum ecclesiæ

Palatini & exilium electoris Palatini faciant, reperiuntur tamen in iisdem varia, quæ statum litterarium concernunt. HERMANNI CONRINGII *epistolas* edidit CASPAR CORBERVS, *Helmstadti 1694. 4*, inter quas multæ ad Ferdinandum Fürstenbergium & Stephanum Balutzium, huiusque ad Conringium scriptæ de variis rebus litterariis extant. Plures promiserat Corberus, editurus, ni morte præuentus fuisset. ANTONIVS MATTHÆI Andreæ Alciati epistolam ad Bernardum Martium, qua vitam monasticam perstringit, adiectis aliis Gifanii, Vulcanii, Brahei, Scriuerii, Pontani, Vosſii, Sibrandi, Siccamæ, Gronouii, Boxhornii, ac aliorum edidit *Lugduni Batauorum 1695. 8*, in quibus historia litteraria & ecclesiastica multum illustratur. Celeberrimi Polyhistoris CONRADI SAMVELIS SCHVRTZFLEISCHII epistolæ, *Wittebergæ 1700. 8* editæ, elegantisſimæ sunt. Dici non potest, quantum eruditionis historicæ & litterariæ in iisdem lateat, vt eas cum iucunditate non solum, ob sermonis venustatem, sed etiam vtilitate, ob rerum, quæ in iis continentur, præstantiam, legamus. Sunt quidem perplures adhuc epistolographi, sed cum isti modo in politicis atque historicis relationibus, modo in obseruationibus criticis & restituendis variis scriptorum locis vexatis, modo in rebus ecclesiasticis, modo in obseruatio-

uationibus medicis & similibus consistant, eos prætermittimus. Pluribus de iisdem egit Henricus Meibomius additamentis ad Vogleri notitiam *p. 149. & seqq.*

§. XXIV.

Vltimo loco non prætereunda sunt quædam itineraria, quæ multum ad historiam litterariam conferunt. Institutum quidem potissimum est iis, qui historiam itinerum diuulgarunt, vt statum regionum, politiam, mores, & curiosa alia describant, pauci ad ea sua accommodant, quæ ad eruditionem faciunt. Antiquitates vbique conquisiuit, easdemque explicauit in itinerario suo IACOBVS SPONIVS. Alii vero ad rem litterariam faciunt. Multa, quæ in mathematicis, physicis atque chymicis penes viros celeberrimos obseruauit, MONCONNISIVS publicauit. Licet etiam bibliothecæ Florentinæ, Vaticanæ, Palatinæ mentionem faciat. Alii vero, præter reliqua, quæ ad rem litterariam faciunt, bibliothecas describunt & de viris eruditis agunt. HVGVETANVS *Itinerario* suo *Italico*, quod gallice prodiit *Lugduni 1681. 12*, adiecit duas *epistolas* IACOBI SPONII, in quarum prima præter alia, etiam bibliothecarum & pinacothecarum, quæ Romæ visuntur, recensus, exponitur, in altera, vniuersæ Italiæ

præstantium virorum, qui hodie viuunt, conspectus exhibetur. Elegantissima est GILBERTI BVRNETI *Voyage d'Allemagne & de France es années 1685 & 1686*, quæ primum anglice prodiit *Roterodami 1686. 8*, post gallice recusa *Roterodami 1687. 12*, & germanice *Lipsiæ 1687. 12.* In hoc enim tractatu statum non solum ciuilem atque chorographiam describit, sed etiam bibliothecas, & quæ in iisdem obseruauit memorabilia, viros, qui vbique locorum celebres. Eodem instituto *iter* suum *Germanicum* primum euulgauit IOANNES MABILLONVS, quod præter aliqua *ἀνέκδοτα* in bibliothecis Germaniæ reperta, in veterum analectorum Tomo IV descripsit, qui prodiit *Lutetiæ 1685. 8*, vbi potissimum bibliothecarum & eruditorum, cum quibus conuersatus est, rationem habuit. Sequenti anno idem Mabillonus in *Museo* suo *Italico* iter Italicum, quod ipse cum Michaële Germano, hortatu Telleri, hemensis archiepiscopi, ad conquirendam supellectilem librariam, regiis sumtibus susceperat, describit, cum ipsius labor potissimum constiterit in peruestigandis Italiæ bibliothecis, harum potiora describit. Tacemus CAROLI PATINI *relationes historicas*, BERNARDI MONTFAVCONI *diarium Italicum* & IACOBI TOLLII *epistolas itinerarias*, de quibus cum iam cap. II §. III fuerit actum, eo lectorem remittimus.

SA-

SAMVEL SORBIERIVS in *peregrinationibus suis* per Belgium & Angliam, sub forma epistolarum, quæ ad statum litterarum & eruditos pertinent, obseruauit. Altera quidem epistola *de l' état des sciences en Hollande à Mr. de Bautra 1660. 12*, in qua multa habet egregia de Medicis, Mathematicis & Philologis Belgis, suam laudem promeruit apud omnes. In altera vero, cum de Anglis liberius iudicaret, non omnium adprobationem tulit, sed opposita ipsi est *epistola apologetica* a THOMA SPRATIO *Voyage de Suisses en douze lettres ecrites par les Srs.* REBOVLET & la BRVNE, *Haga - Comitum* prodiit *1686. 12*, in qua præter alia, multa etiam habentur de viris doctis. Huc etiam spectant BENEDICTI HOPFERI binæ epistolæ ad Georgium Matthiam Königium, de viris eruditis, quos in Anglia, Gallia, Batauia, Dania & Suecia salutauit, quæ cum Rolandi Maresii epistolis, cura Adami Rechenbergii prodierunt *Lipsiæ 1686. 12.*

CAPUT NONUM

DE

LIBRIS DAMNATIS ET PROHIBITIS.

§. I. *Scriptores, qui in genere de iure libros prohibendi egerunt.* §. II. *Indices Pontificiorum expurgatorii.* §. III. *Libri prohibendi quotuplices.* §. IV. *Ioannis Bodini colloquium Heptaplomeres.* §. V. *Petri Pomponatii liber de incantationibus.* §. VI. *Iulii Caesaris Vannini scripta.* §. VII. *Simonis Portii disputationes.* §. VIII. *Bernardini Ochini scripta.* §. IX. *Thomae Campanellae Atheismus triumphatus.* §. X. *Guilielmi Postelli scripta.* §. XI. *Scripta Benedicti Spinozae.* §. XII. *Gothofredi de la Valee scripta.* §. XIII. *Bonauenturae de Periers Cymbalum mundi.* §. XIV. *Iordanus Brunus de innumerabilitate & Histoire des Severambes.* §. XV. *Thomae Brovvne religio Medici.* §. XVI. *Scripta haereticorum.* § XVII. *Aegidii Gutmanni Offenbahrung Göttlicher Maiestät.* §. XVIII. *Isaacus Peirerius de praeadamitis.* §. XIX. *de Antonia Bourignonia & recentioribus aliquot.* §. XX. *Eduardi Baronis Herberti de Cherbury scripta.* §. XXI.

Theophili

Theophili Alethæi siue Ioannis Lyseri scripta de polygamia. §. XXII. *Dauidis Georgi scripta.* §. XXIII. *Mysticorum scripta.* §. XXIV. *Francisci de Salignac Feneloni placita sanctorum.* §. XXV. *Scripta prophetica, præcipue Nostradami.* §. XXVI. *Nic. Drabitii reuelationes.* §. XXVII. *Scripta Cabbalistica.* §. XXVIII. *Scripta Chymicorum.* §. XXIX. *Scripta fratrum Roseæ Crucis.* §. XXX. *Multi inter Magos referuntur, qui tales non sunt.* §. XXXI. *Henricus Cornelius Agrippa de occulta Philosophia.* §. XXXII. *Clauiculæ Salomonis & alia scripta Magica.* §. XXXIII. *Io. Fausti Magica.* §. XXXIV. *Scripta quæ ciuilem statum turbant* §. XXXV *Nicolai Machiauelli & Thomæ Hobbesii scripta.* §. XXXVI. *Scripta Casparis Scioppii.* §. XXXVII. *Quæstio de Austriacæ domus interitu.* §. XXXVIII. *Hippolytus a Lapide ratione Status.* §. XXXIX. *Philippi Andreæ Oldenburgeri nimia scribendi libertas.* §. XL. *Francisci de Rosieres stemmata Lotharingica.* §. XLI. *De libris obscœnis in genere.* §. XLII. *ipsos comburi debere exemplis demonstratur.*

§. I.

SPecialem quidem opellam de præsenti materia in priori huius introductionis editione promiseram, neque tamen hoc, dum aliis præpeditus, præstare hucusque licuit, ita, vt ob materiæ vtilitatem, prima saltim lineamenta, atque ea quidem, quæ ad litterariam rem sunt proficua, hic adducere necessarium duxerim. Generatim de hac materia egit ALBERTVS M. in *speculo* suo *Astronomiæ*, in quo de libris Astronomiæ licitis & illicitis, ac de eorundem auctoribus & titulis tractat *Lugduni 1617. 12.* Præ cæteris autem IACOBVS GRETSERVS *de iure & more prohibendi, expurgandi & abolendi libros hæreticos & noxios, Ingolstadti 1603. 4*, accessit postmodum Eiusdem *supplementum, Ingolstadti 1604. 4.* Iniquissimus licet liber sit erga protestantes, reperiuntur tamen inibi aliqua, quæ in hac materia sunt notanda. Primo quidem in præmissa præfatione de eo agit, quod Caluiniani Lutheranorum, hi inuicem illorum libros prohibeant: In libro primo exemplis ethnicorum, primitiuæ ecclesiæ, hæreticorum, ipsa quoque ratione probat, libros hæreticos, noxios, lasciuos & impuros merito prohiberi, vel expurgari. Inter hæc etiam factum Lutheri examinat, quod Wittebergæ ius Canonicum

nicum combusserit. Libro secundo respondet ad argumenta Iunii & Pappi, qui nimium prohibendi libros Pontificiorum pruritum reprehenderent. Huc faciunt etiam illi, quos supra iam superioris capitis §. I adduximus, PVTHERBEVS, THEOPHILVS RAYNAVDVS & GVILIELMVS SALDENVS. Addimus hisce Morhofium Polyhistore libro I capite VIII.

§. II.

Ab his pergimus ad Pontificiorum Indices expurgatorios, ad quos primum facit DANIELIS FRANCI *disquisitio Academica de Papistarum Indicibus librorum prohibitorum & expurgandorum*, quam sub præsidio olim Iacobi Thomasii ventilauerat, post in tractatus formam redactam edidit *Lipsiæ* 1684 4. Hoc libro ea, quæ necessaria sunt, optime declarauit. Ex Pontificiis, indices hosce ordine recenset Bailletus *Iugemens* Tomo II p. I n. 77. Nolumus iam singulas horum Indicum editiones hic enarrare, cum ex Franco & Bailleto omnia possint hauriri, saltim de potioribus nobis hic sermo est. Hos ita primum in mysterio & tenebris habebant pontificii, vt studiose & nostros & suos celarent. Duplex autem est Index Expurgatorius, Romanus & Hispanus. Nouissimi sunt *Indices librorum prohibitorum & expurgandorum Hispanus & Romanus*, *Madriti* 1667. *f.* Collector est

atque editor ANTONIVS a SOTOMAIOR, qui priori parte exhibuit indicem Hispanicum cum supplemento & appendicula. Huic indici præfixus est alter index vniuersalis, indicans omnes auctores per nomina propria & cognomina. Posterior pars continet Indicem librorum prohibitorum antea Romæ, Alexandri VII iussu cum bulla eiusdem 1664 editum. Indicem Tridentinum, qualis a Clemente VIII promulgatus est. Indicem Decretorum, continentem omnia decreta prohibitionis librorum vsque ad 20 Februarii 1664. Tandem appendicem decretorum a 20 Februarii 1664 ad 7 Maii 1667 publicatorum, & locis solitis adfixorum. Ex quo, locupletissimum esse hunc indicem facile patebit. Addimus hisce tertium, IOANNIS MARIÆ BRASICHELLANI *Indicis librorum expurgandorum in studiosorum gratiam confecti Tomum primum, in quo quinquaginta auctorum libri præ ceteris desiderati, emendantur, Romæ 1607. 8.* Hunc priuata quidem auctoritate composuit, id quidem, vt ipse testatur, ideo, quia Magister esset Sacri Palatii, cuius officium requirebat, libros expurgare, ita, vt qui libros huiusmodi possiderent, non necessum haberent, eosdem abolere, sed vti iisdem possent secundum Censuram emendatis Verum, ob caussas nonnullas suspendebatur atque prohibebatur hic index Romæ, immo cum

cum iterum prelo apud Belgas esset subiiciendus, omnes eius probationes virga censoria cancellatæ notabantur, vt tandem nudæ conclusiones vulgarentur. Verum, hæc ipsa Belgii impresſio fuit prohibita. Papebrochius quidem, probationes iusſu Congregationis sacræ ideo fuisse cancellatas coniectatur, quod nollet ista sui nominis auctoritatem addere, ne cogeretur pro iis respondere; iteratam vero editionem prohibitam, quod in Indice expurgatorio anni 1683 prohibeantur solum in Indices & syllabi omnes particulares, extra vrbem, absque auctoritate sacræ Indicis Congregationis impresſi. Id quod Papebrochio facile quidem concedimus, nec tamen solam esse caussam suspicamur, quin potius censura Bibliothecæ Patrum, quæ in dicto indice reperitur, huic suppresſioni ausam quoque dederit. Historiam huius Indicis a Tentzelio descriptam habemus Obseruationum Halensium Tomo tertio obſ. VI. Specimen eiusdem Tomo IV obſ. VII.

§. III.

Libri prohibendi variæ sunt conditionis, vel enim tangunt religionem, & christianæ fidei dogmata, vel offendunt ciuilem statum, vel etiam corrumpunt mores. Quodcunque velis, noxium est atque ex ex Republica expurgandum. Licet tam corrupta sit ætas nostra,

noſtra, vt, quo magis prohibeatur liber, eo magis quæratur. Sic nitimur in vetitum.

§. IV.

Prioris conditionis libri primum ſunt, Athei atque inter hos teterrimus liber *de tribus impoſtoribus*, de quo tamen plura hic dicere ſuperſedemus, cum de eodem poſteriori de doctis Impoſtoribus diſſertatione plenius agatur. Melioris commatis non eſt IO. BODINI *Colloquium Heptaplomeres de abditis rerum ſublimium arcanis*. Manuſcriptum hoc eſt, nunquam editum, nec edendum vnquam, quod autographum a Bodini hæredibus Parlamenti Pariſienſis Præſidi, Memmio vendendum fuit datum, qui inde apographum accepit, ex quo cætera exemplaria manaſſe facile credendum, vt Patino Naudæus narrauit. Multa cura olim quærebatur & magno pretio, nunc vero frequens adeo apud Gallos eſſe ex Huetii demonſtratione euangelica, qua illud ſæpius refutauit, patet. Apud Germanos illud in Bibliotheca Puffendorfiana & Maſtrichtiana reperiri noui. Quidquid de eodem dicendum, omne exhauſit IOANNES DIECMANNVS in ſchediaſmate ſuo inaugurali *de Naturaliſmo Ioannis Bodini*, quod *Kiloni* primum excuſum *1683. 4*, recuſum *Lipſiæ 1684. 12*, & demum cum Adami Tribbechouii Hiſtoria Naturaliſmi, *Ienæ 1700. 4*. Heptaplomeres autem, eodem teſte, inſcriptum

ptum eſt, non, quod in ſeptem libros diſtributum eſſet, vt Sarrauius exiſtimauit; ſed quod ſeptem viros, Paulum Coronæum, Fridericum Podamicum, Hieronymum Senamum, Diegum Toralbam, Antonium Curtium, Salomonem Barcasſiam & Octauianum Fagnolam, operis inter ſe partitis, perpetuo confabulantes introduceret. Primo Pontificiorum, ſecundo Lutheranorum, tertio omnium ſectarum, quarto Naturaliſtarum, quinto Caluinianorum, ſexto Iudæorum, extremo denique Muhammedanorum cauſſam tutandam commiſit, qui omnes ita de fidei controuerſiis inter ſe agunt, vt Chriſtiani, ſiue Pontificii, ſiue Lutherani, ſiue Caluiniani ſuccumbant ſemper; reliqui vero, inprimis Iudæi & Naturaliſtæ triumphant. Addit Diecmannus: *non ita pridem ex ſcheda quadam Mſta Gallica intellexi, quæ Guidonem Patinum, Medicum Pariſienſem & Profeſſorem Regium ex Gabriele Naudæo, quo familiariſſime vſus eſt, audiuiſſe commemorabat, fuiſſe omnino Venetiis quatuor homines, qui ſingulis hebdomadis, inſtituendarum ſuper variis religionibus diſſertationum Philoſophicarum cauſſa, bis conuenerint, in iis Coronæum Rothomagenſem, & quem dixi, Guilielmum Poſtellum, cuius cartæ, poſtquam ipſe anno 1584 Pariſiis obiiſſet, ad manus Bodini peruenerint, & huic ſcripto conficiendo fuerint adhibitæ.* Librum vel omnes tan-

tanquam noxium reprehendunt, si vel etiam ingenii vires in Bodino mirarentur. Nec mirum, cum Patinus adseruerit olim, fuisse Bodino spiritum familiarem Patinianis p. 5.

§. V.

Alterum Atheismi inculpatum habemus PETRVM POMPONATIVM. Hic enim scripsit *de naturalium effectuum caussis, siue de incantationibus opus abstrusioris Philosophiae plenum & breuissimis historicis illustratum*, quod cum breuibus scholiis edidit *Guilielmus Gratarolus, Basileae 1556 & 1567. 8.* Hanc Atheismi notam ipsi nimium studium philosophiae Aristotelicae inussit. Potissimum ipsi ex hoc libro obiicitur, quod miracula Christi atque apostolorum ad naturales effectus reducere voluerit. Dubia mouet, non negamus, eaque ad filum mentemque Aristotelis, vera tamen miracula esse satis testatur, cum Scriptura Sacra illa praescribat. Alias inconueniens non esse, duos effectus oriri posse; quorum vnus ex miraculo, alter vero factus per caussas naturales, quod exemplo magorum Aegyptiorum & Mosis confirmat. Obiiciunt Monachi, eum in libro de immortalitate animae, apud Parisios edito, sensisse, animas post mortem esse interituras. Verum ex mente Aristotelis loquitur, neque rationes, quae ex natura proferantur, sufficere ait, ni verbo Dei fidem habeamus. Vt dicamus,

camus, quid nobis videatur, atheus non eſt Pomponatius, nimium tamen Philoſophiæ ſtudium, atque argumenta, quæ ex eadem ſuppetit, ipſum naturæ reddunt nimium tribuentem. Plura de eodem eiusdemque libro lege in Bibliotheca antiqua menſe Iunio 1705. Vnicum addimus, ANTONIVM SIRMONDVM *de immortalitate animæ* ſcripſiſſe, demonſtrationem phyſicam & Ariſtotelicam aduerſus Pomponatium & adſeclas, *Pariſiis 1635, 8.* Acceſſit eiusdem appendix, ſiue particularis Pomponatii confutatio.

§. VI.

Pomponatii diſcipulus erat IVLIVS CÆSAR VANNINVS. Huius eſt *amphitheatrum æternæ prouidentiæ diuino-magicum, Lugduni 1615. 9.* Hoc ſolum Philoſophum agit, atque ex mente veterum Philoſophorum pro animæ immortalitate diſputat ſatis acute. Alterum Eiusdem eſt *de admirandis Reginæ Deæque mortalium arcanis, Pariſiis 1616 8.* Huius titulus ſtatim, Vanninum naturalem nimis atque a Chriſtiana fide alienum eſſe teſtatur, vt deteſtandum hunc librum inter noxios & prohibitos, haberi omnino iuſtisſimum.

§. VII.

Ex eadem ſchola prodiit SIMON PORTIVS, de quo Thuanus lib. XIII p. m. 276, quod nequaquam præceptore ſuo Pomponatio fuerit inferior, ſed in eo ſuperior, quod

ad

ad Peripateticæ ſcientiæ a doctoribus barbaris hactenus tractatæ cognitionem linguæ Græcæ & latinarum litterarum ornamentum attulerit. Hic autem in diſputationibus ſuis *de anima & mente humana, Florentiæ 1551. 4*, Pomponatii ſui culpæ adfinis, animas cum corpore interituras creditus. Opus hoc impium & porco, non homine auctore dignum iudicat in Bibliotheca Gesnerus, & qui ex eo hauſit Nicolaus Toppius.

§. VIII.

Aſt, nefarius homo dicitur BERNARDINVS OCHINVS. Huius varia ſunt ſcripta, atque inter hæc præ cæteris *dialogi XXX, in duos libros diuiſi, quorum primus eſt de Meſſia, continentque dialogos XVIII. Secundus eſt cum de rebus variis, tum potiſſimum de Trinitate, Baſileæ 1563 apud Petrum Pernam 8.* Italice primum prodiit liber, poſt vero per Sebaſtianum Caſtalionem in latinam fuit translatus linguam. Commune quidem eſt, quod ipſum cum Florimundo Raimundo Trinitatis adpellent oppugnatorem, neque tamen hoc ex dialogorum libris patebit in quorum priori Chriſtum eſſe verum Meſſiam, argumentis ſane non leuibus confirmat: in ſecundo vero Trinitatem contra omnium obiecta grauibus argumentis comprobat. Vnicum eſt in ipſo reprobandum, quod in dialogo XXI de polygamia, non ad orthodoxorum men-

mentem senserit: alias ex integro dialogorum libro nihil contrarii constabit. Horum recensionem habet Tomus Quintus obseruationum Halensium obs. I. Raimundus quidem ipsi tribuit *Catechismum* anno *1591.* recusum, qui infinitis scateat atheismis. Hunc tamen videre non contigit, recusus etiam dicitur anno 1591, cum ante triginta fere annos Ochinus iam fuerit mortuus. Immo Conradus Gesnerus, qui ipse Tigurinus, vbi aliquandum vixit Ochinus, omnia eiusdem scripta recenset, nihil de catechismo, vt ideo alius cuiusdam esse putem tenebrionis, falso Ochino adscriptum.

§. IX.

Ab his pergimus ad THOMAM CAMPANELLAM. Huius enim *Atheismus triumphatus* prodiit *Parisiis 1636 4*, quem pro nefario semper habent. Historiam huius libri exposuimus in actis Litterariis fasciculo secundo, & quid de eodem sentiendum. Ingenio plurimum pollebat Campanella, & pro ingenii modulo religionem examinabat. Multa ab ipso egregie dicta, multa pessime. Abusus hominum in religione & ciuili statu notat, sed vanitate potius & naturæ spiritu ductus, quam diuino. Machiauellum ad nauseam vsque proponit, sed ipse metaphysicus; peruersus autem politicus. In religione se in Atheum transformat, & dubia

nectit contra religionis veritatem, quæ a vero flectere possint eos, qui ad lectionem accedunt minime præparati. Soluit eadem, sed vt repositum quid semper maneat. Cleri vitia & abusus ante oculos ponit: persecutorum crudelitatem exaggerat. Luthero & Caluino sæpe falsa dogmata adfingit. Vno verbo: Atheus non erat, sed naturæ nimium tribuebat: dona, quæ habebat, erant naturalia, ingenium exquisitissimum.

§. X.

Quantum ad GVILIELMVM POSTELLVM, licet non desint, qui multis eundem laudibus exornent, non defuere tamen plerique, qui ipsum vel Atheis, Deistis, Naturalistis vel Fanaticis accenserent. Inter plura eiusdem scripta, noxia potissimum habentur *de orbis terræ concordia libri IV*, *de natiuitate mediatoris vltima nunc futura & toti orbi terrarum in singulis ratione præditis manifestanda. Panthenosia Compositio omnium dissidiorum circa æternam veritatem aut verosimilitudinem versantium, quæ non solum inter eos, qui hodie infidelium Iudæorum, hæreticorum & catholicorum nomine vocantur, orta sunt & vigent, sed iam ab amissis per peccatum circa nostrum intellectum tenebris fuere inter ecclesiæ peculiaris ac communis membra, scriptore* ELIA PANDOCHÆO. Verum, quidquid sit, ab Atheismi nota illum defendit vir quidam celeberrimus Tomo

mo primo obſeruationum Halenſium obſ. XXI & Tomo quarto obſ. XXII, aliasque eiusdem hypotheſes ex ipſius libris deduxit. Primam quidem, quod veritatem & myſteria Chriſtianæ religionis ex ratione demonſtrari poſſe contendat. Alteram, animam Chriſti ante conditum mundum creatam & τῷ λόγῳ eſſe vnitam. Tertiam de Alphabeto cœleſti & rerum ſignatura. Quartam de mundo ſex annorum millia duraturo. Quintam denique de rerum omnium reſtitutione.

§. XI.

Maiorem ſine dubio cenſuram meretur BENEDICTVS SPINOZA. Hic primum edidit ſub nomine LVCII ANTISTII CONSTANTIS *de iure eccleſiaſticorum* librum ſingularem, *1665*, *4*. Hoc autem, prout etiam titulus præfert, docere voluit, quodcunque diuini humanique iuris eccleſiaſticis tribuatur, vel ipſis ſibi tribuere, vel falſo atque impie illis tribui, aut non aliunde, quam à ſuis, hoc eſt, eius Reipublicæ ſiue Ciuitatis prodiis, accepiſſe. Eadem magis adhuc promouet *Tractatus Theologico-Politicus de libertate Philoſophandi, Hamburgi 1670*, *4*. De hoc quidem antea dubitabatur, an ipſius ſit, quod tamen ſatis non ſolum patuit, ſed etiam ex imprimendi ratione conſtat, non Hamburgi ſed Amſtelodami fuiſſe excuſum. Nefarium

hunc librum & detestandum vel omnes adgnoscunt, quæ philosophandi libertatem nimium quantum extendit ad fidei etiam & religionis fundamenta. Post ipsius mortem prodierunt *Opera posthuma*, *1677. 4.* Hæc quinque libris constant, quorum primus continet Ethicam ordine geometrico demonstratam, in qua, sublata diuina prouidentia, vera eius latent fundamenta Atheismi. Secundus Tractatum Politicum. Tertius tractatum de intellectus emendatione. Quartus Epistolas. Quintus Compendium Grammatices Hebrææ. Hisce, prioribus maxime libris, fundamenta Atheismi potiora proponit. Nolumus iam recensere illos, qui contra Spinozam calamum exercuerunt, quorum Catalogum satis longum nectit Baylius Dictionario p. 2774, atque inter hos potiorem dicit *IOANNEM BREDENBVRGIVM*, qui in *enarratione* suo *tractatus Theologico-politici*, ex demonstratione geometrico ordine disposita docere voluit, naturam non esse Deum, *Roterodami 1675. 4.* Addimus etiam *CHRISTIANI KORTHOLTI* librum *de tribus impostoribus magnis*, *Kiloni* primum editum *1680. 12*, denuo cura filii Sebastiani recusum *Kiloni 1701. 4*, quo de Eduardo Herberto, Thoma Hobbesio & Benedicto Spinosa agit, eosdemque erroris conuincit.

§. XII.

§. XII.

Inter minimos non est *GOTHOFREDVS* de la *VALEE*, cuius est liber cum titulo: *Erre Geru, le fleau de la foy bigarrée*, quem omnis blasphemiæ & impietatis erga Christum plenum esse, dicit ex Crucimanio Bælius. Licet etiam librum gallicum *de arte nihil credendi* ipsi tribuant, ideoque Parisiis anno 1571 combustum velint.

§. XIII.

Alius *BONAVENTVRA* de *PERIERS* in numerum refertur Atheorum, eo quod scripserit *cymbalum mundi*, quem librum impium & blasphemum, latina lingua primum scriptum dicit in Bibliotheca Francica Crucimanius, *Parisiis* impressum *1537*. Bælius autem ex Verdier Vaupriuas Bibliotheca Francica p. 1177, contentorum, huius cymbali recensionem exhibet, ex qua videmus, irrisorem illum esse paganismi & forsan etiam aliquot in religione abusuum. Licet Mersennus apud Voetium dissert. de Atheismo vol. I p. 200 velit, autorem eo ipso irridere quoque voluisse ipsi veritati religionis Christianæ. Librum non vidimus, quid sentiant alii, exposuisse contenti.

§. XIV.

In hunc numerum refertur etiam *IORDANVS BRVNVS*. Hunc enim librum composuisse dicit Io. Henricus Vrsinus præ-

fatione Zoroaſtris, *de innumerabilitate, ſiue de vniuerſo & mundo*, in quo plures dari mundos, eosdemque æternos docuerit. Morhofius polyhiſtore huc etiam refert *Hiſtoire des Severambes*, quæ primum Anglica, hinc Gallica, poſtremum Belgica lingua prodiit, de quo ita iudicat: *toto hoc libro nihil aliud agit, quam vt oſtendat, vnam eſſe Religionem naturæ rerum conformem, quæ Deum ſupremum, atque eius quaſi vices in orbe hoc inferiori repræſentantem Solem veneretur: quare data occaſione aduerſus Trinitatem & Chriſtianiſmum diſputat.* Auctorem S. D. V. ALLAIS coniectatur Thomaſius Cogit. Menſtr. 1689. p. 963, eundemque ab Atheiſmi nota defendit.

§. XV.

In hanc claſſem refertur etiam THOMÆ BROWNE *religio Medici.* Hæc primum anglice aliquoties prodiit ſine auctoris nomine, donec Lugdunenſis latina per *Ioannem Merryvvather* procurata, quæ cum notis *Konelmi Digby 1664* prodiit, eiusdem nomen exprimeret. Sæpius poſtmodum fuit excuſa. Alia *Argentorati* prodiit *1652. 12*, cum notis L. N. M. E. M, ſub quibus litteris LEVINVS NICOLAVS MOLTKENIVS, *Eques Mecklenburgicus*, latet. Diuerſa de hoc ſcripto ſunt iudicia, vel enim a nonnullis auctor culpatus, quod ſimulauerit ſe verum eſſe Chriſtianum, in fine autem capitis cuiuslibet talia dubia propoſuerit, quæ priora vide-

derentur euertere. Alii vel vniuersalis syncretismi vel Atheismi eundem inculparunt, eo quod varias scripturæ sacræ historias, Simsonis maxime, fabulis haut dissimiles esse adseruerit. Eruditorum plerique, iidemque saniores, iudicant, inter præclara multa paradoxa contineri, quæ cum iudicio legenda.

§. XVI.

Post illos, qui Atheismi inculpantur, pergimus ad hæreticos, vel hæreseos inculpatos, atque illos, qui multa circa religionem paradoxa proposuerunt. Nolumus hic prolixi esse circa illos, horumque scripta, cum in illis diiudicandis totus sit *GOTTFRIEDVS ARNOLDDS* in parte tertia *historiæ hæresium*, potiores per indicem saltim indicasse sufficiat. Huc enim faciunt scripta *VALENTINI WEIGELII*, *PAVLI LAVTENSACKI*, *BARTHOLOMÆI SCLEI*, *ESAIÆ STIEFFELII*, *EZECHIELIS METHI*, *HERMANNI RATHMANNI*, *IO. MELCH. STENGERI*, *IO.* de *LABADIE*, & aliorum plurium, de quibus Arnoldus.

§. XVII.

In horum classem refertur etiam *ÆGIDII GVTMANNI Offenbahrung Göttlicher Maiestät, darinnen angezeiget vvird, vvie Gott der Herr anfänglich sich allen seinen Geschöpfen mit Worten und Wercken geoffenbahret &c. Hanau 1619.* 4, & cura *Henrici Ammerbachii*, *Amstelodami 1675.* 4. Tanta tituli species summam

libro caritatem fecit, vt vel quinquaginta Ioachimicis olim venderetur. Maxime, cum vel Theologi, vel myſtici, chymici, Magici, Medici, Aſtrologi & quiuis alii in eodem arcana plurima recondita quærerent, detecta Explicatio eſt Hexaëmeri, qua integra creationis hiſtoria per quæſtiones ſingulas declaratur, atque tales, quæ ex omni Theologia & rerum ſublimium arcanis ſunt petita. *Sane*, attentum reddunt vel ſingulæ quæſtiones lectorem curioſum, vt ſummo cum ardore eiusdem quærat deciſionem. Verum, vel nihil decidit, vel frigide ſatis, plerumque & remittens, de hac materia integrum librum per Profeſſores eſſe concinnandum. Communem tamen eruditorum inſcitiam, quod in rebus friuolis hæreant, ardua derelinquentes, reprehendit, peruerſos cleri mores tangi, & corruptum tum ciuilis rei tum eccleſiæ ſtatum deplorat. Weigelianum eſſe volunt, quod tamen nondum animaduertere licuit. Rudis non fuit, ſed magis ingenioſus: nihil decidit, ſed aliis viam aperit interiora indagandi.

§. XVIII.

Neque omittendus erit ISAACVS PEIRERIVS. Hic cum Reformatis primum viuens, inter legendum Epiſtolæ ad Romanos caput quintum v. 12. 13. 14 ſibi in mentem duxerat, ex dicto loco concludi poſſe, fuiſſe ante

ante Adamum homines. Edebat itaque *Praadamitas seu exercitationem super versibus 12. 13. 14. capitis quinti epistolæ D. Pauli ad Romanos, quibus indicantur primi homines ante Adamum conditi*, 1655. 12, sine nomine tamen & loco. Sequebatur statim Eiusdem *systema Theologicum ex praadamitarum hypothesi*, 1655. 4. Neque tamen hanc solum hypothesin ventilare voluit, sed etiam ex epistola ad Romanos, salutem extra ecclesiam, & generalem Iudæorum conuersionem. Ingenio, quo pollebat, abutebatur Peirerius, neque tamen ad propugnanda hæc dogmata adeo rigidus. Cum enim Bruxellis carceri manciparetur, aliam euadendi rationem non inuenit, quam vt missa priori religione, librum etiam de præadamitis eiuraret. Extat de eodem *Epistola ad Philotimum, qua exponit rationes, propter quas eiurauerit sectam Caluini & librum de præadamitis*, Francofurti 1658. 4. Sed tam frigida est, vt facile pateat, metu solum librum eiurasse Peirerium. Vixit autem post hanc abiurationem apud Patres Oratorii Parisienses, atque ad mortem vsque huic dogmati fuit addictus, ita, vt etiam plura de eodem Msta relinqueret. Plures eundem refutarunt, de quibus Arnoldus & Bælius.

§. XIX.

Nihil hic dicimus de scriptis ANTONIÆ BOVRIGNONIÆ, eiusdemque defensoris

PETRI POIRETI, de his enim certum est, quod, licet proponant paradoxa multa, inter hæc tamen egregia, laude & commendatione digna, de quo optimus Poireti tractatus de eruditione solida, superficiaria & falsa satis testatur. Tacemus de MICHAELE de MOLINOS, huiusque scriptis. Tacemus FRANCISCVM IOSEPHVM BVRRHI, hominem miri ingenii, sed intolerandi fastus. Tacemus IANAM LEVDE, atque alios.

§. XX.

Inter præcipuos superioris seculi naturalistas, non immerito referendus est EDVARDVS Baro HERBERTVS de CHERBVRY. Hic enim librum edidit *de Veritate, prout distinguitur a reuelatione, a verosimili, a possibili & a falso, 1656. 12*, atque alium *de Religione Gentilium, Amstelodami 1663. 8.* Priori quidem libro, *illud tantum verum, certum dicit, quodque veram & infallibilem religionem constituat, quod consonum est notitiis naturalibus; quod autem reuelatum est, id particulare & incertum; quod verosimile est, id dicit proditum ab hoc vel illo authore siue sacro siue profano; quod specialiter promissum per hunc aut illum Prophetam, id possibile censet: atque hæc omnia & reuelatum & scriptum & promissum a veritate distinguit.* Posteriori autem libro gentiles excusare conatur, prout librorum summam exhibuit. Adamus Tribbechouius Historia

Naturalismi capite X §. III. Qui etiam elegantem istius libri refutationem composuit, quæ tamen adhuc in Manuscripto.

§. XXI.

Inter damnatos suo merito refertur THEOPHILI ALETHÆI *discursus politicus de Polygamia, Friburgi 1676. 8.* Sub hoc nomine latere IOANNEM LYSERVM, nefarium hominem, certissimum est. Recusus postea liber sub titulo: *Polygamia Triumphatrix, id est, discursus politicus de Polygamia, auctore Theophilo Alethæo, cum notis Athanasii Vincentii, omnibus Anty polygamis vbique locorum, terrarum, insularum, pagorum, vrbium, modeste & pie opposita, Londini 1682. 4.* Hoc autem ea, quæ in discursu dicuntur, adiectis notis, vberius adhuc explicantur. Idem postea edidit *das Königliche Marck aller Länder.* In scriptis hisce, polygamiam, tanquam rem maxime naturalem, diuinam atque catholicam laudat, immo viam vitæ, quam qui probent, vere sint illuminati. Sed non solum prohibitus hic liber publico fuit edicto, per Christianum V Daniæ Regem, sed etiam ipse Lyserus omnibus ditionibus Danicæ terræ exire iussus est, cum antea pastoris castrensis officium apud Danos obiret, atque Amstelodami postmodum misere obiit. Peruersa autem eius dogmata in *monogamia* sua *victrice*

con-

confutauit *IOANNES BRVNSMANNVS*, *Francofurti 1679. 8.*

§. XXII.

Inter Belgarum Hæreticos refertur etiam *DAVID GEORGI*, qui plura reliquit scripta, inter quæ præcipuum Eiusdem *Wunderbuch, darinnen das, vvas von der Welt anverschlossen, geoffenbahret ist*, 1551. *f.* sed Belgico idiomate editum, & plura alia igni per Basileenses addicta, quæ enumerat Arnoldus Historia Hæresium parte secunda libro XVI c. XXI. Inter potiora ipsi imputatur, quod vnionem cum Christo fidelium in tantum prouexerit, vt se ipsum Christum appellitaret, & quæ sunt alia, quæ videas apud Arnoldum. Potiores, qui eiusdem errores detexerunt, sunt *NICOLAVS BLESDIKIVS de vita Davidis Georgii soceri sui, editore Iacobo Reuio, Daventriæ 1642. 8. FRIDERICVS IESSENIVS in der aufgedeckten Larve Dauidis Georgii, Kiloni 1670. 4. IACOBVS STOLTERFOTH Historie von Dauid Georgii*, Excusat liber, cui titulus: *Gegenbericht auf ein Läster- und Schelt-Büchlein, getituliret Dauid Ioris historia*, 1559. quem etiam inseruit Arnoldus.

§. XXIII.

Mittimus scriptores Mysticos, qui vulgo in damnatorum numero habentur, atque inter hos scripta *IACOBI BOEHMII*, qui recentiorum mysticorum sine dubio pater est,

huius-

huiusque sectatorum ABRAHAMI von FRANCKENBERG & IOANNIS THEODORI von TSESCH, PAVLI NAGELII, PAVLI FELGENHAVERI, AVGVSTINI FVHRMANNI, CHRISTIANI HOHBVRGI, FRIDERICI BRECKLINGII & QVIRINI KVHLMANNI. Diuersa de eiusmodi scriptoribus, horumque scriptis iudicia satis demonstrant, quid præiudicia valeant. Omnes iudicant, paucissimi intelligunt. Legi, peruolui horum scripta, nec condemno, nec adprobo: non intelligo. Hoc pro certo adfirmare non dubito, reperiri inter mysticos, qui spiritu naturæ ducti, ad deuia quæuis dilabuntur, quos si non alia, certe scribendi ratio tam acerba prodit. Ex hac diiudicamus scripta Quirini Kuhlmanni & nouissime Christiani Democriti, siue Dippelii, horum qui scripta leget, ebullientem naturæ spiritum satis aduertet. Notitiam Mysticorum exposuit GOTHOFREDVS ARNOLDVS in *historia & descriptione Theologiæ.*

§. XXIV.

Addimus saltim FRANCISCVM de SALIGNAC FENELONVM, archiepiscopum Cameracensem. Hic enim primum edidit *explications des maximes des saints sur la vie interieure, à Paris 1697. 12,* atque ex auctiori editione *Amstelodami 1698.* Viam hac docet ad vitam interiorem, per diuersos gradus

Theo-

Theologiæ Myſticæ. ita, vt primo veram, præmonſtret, exemplis ſanctorum firmatam, dein falſam & periculoſam. Vix editus erat liber, cum illuſtres etiam Galliæ præſules eundem minus probarent. Inter hos præcipue Ludouicus Antonius de Noailles, archiepiſcopus Pariſinus, Iacobus Benignus Boſſuetus, epiſcopus Meldenſis & Paulus de Godet des Marais epiſcopus Carnotenſis, edita VI Auguſti 1697 *explicatione des Maximes*, multa in iisdem notarunt. Contra hanc ipſe Fenelonus compoſuit *instruction Paſtorale, touchant ſon livre des maximes des ſaints* editio noua *à Amſterdam 1698 12*, qua obiecta diluere, mentem ſuam vberius explanare conatur. Edidit poſtmodum BOSSVETVS *relation ſur le Quietisme, Bruxellis 1698. 12*, qua totius controuerſiæ hiſtoriam plenius exponit, cui reſpondet Fenelonus per *remarques ſur la Reſponſe à la relation ſur le Quietisme, Bruxellis 1698. 12.* Horum ſummam exhibent Acta Eruditorum 1699 p. 132 & ſqq. & Tentzelius Colloquiis Menſtruis 1698 p. 1020. Omnis res pontificis deciſioni commiſſa, a quo Feneloni placita condemnata; idque a parlamento Pariſienſi comprobatum. Ipſi quoque Fenelonus reuocare fuit coactus.

§. XXV.

Pergimus ad libros Propheticos, quos omnes

omnes recenſere foret nimium. Potiores ſaltim indicabimus. Inter hos habemus IOANNIS LICHTENBERGERI *prognoſticationem ſuper magna Saturni ac Iouis coniunctione anni 1484, Pariſiis 1530, 4.* & quæ ex eiusdem Poſtilla circumferuntur prædictiones. GVILIELMI GRATAROLI *Mundi conſtitutionum & tempeſtatum prædictiones certas, Baſileæ 1558. 4,* & præcipue *Centuries de Michel Noſtradamus Françoiſes & lat. per Ioannem Auntum cum Commentariis eiusdem, Lugduni 1594. 8.* Nouiſſima eſt editio, quæ *Amſtelodami 1668. 12.* a Waesbergiis edita, qua Centuriæ XII tetraſtichorum exhibentur, quibus prædictiones continentur. Huius prædictiones defendere conatur auctor anonymus libri, cui titulus: *ecclairciſſement des veritables Quatrains de Maiſtre Noſtradamy, Docteur & Profeſſeur en Medicine,* qui diuina inſpiratione præditum fuiſſe Noſtradamum, iudicat, cum multa prædixerit, quæ a ſolo dependeant arbitrio humano. Licet alii ſpeculis aſtrologicis eundem vſum fuiſſe velint. Plura de eodem apud Morhofium Polyhiſtoe lib. I cap. X p. 95.

§. XXVI.

Huc etiam facit *Reuelationum diuinarum, in vſum ſeculi noſtri quibusdam nuper factarum, epitome. 1663. 8.* Reperiuntur in iisdem Reuelationes CHRISTOPHORI KOTTERI, CHRISTINÆ PONIATOVIÆ & NICOLAI DRA-

DRABITII. Plurimum momenti in iisdem repositum esse nonnulli voluerunt, maxime, cum iisdem aliqua quærerentur, quæ nostrorum temporum statum viderentur concernere, bellum Polonicum & Ragotzii turbas Hungaricas. Quantum autem mihi videtur, Spiritum Propheticum, genuinum istum, non sapiunt, nec ad nostra tempora adplicari poterunt, potius ad illa, cum Georgius Ragotzius, Suecorum socius contra Polonos ageret.

§. XXVII.

Inter damnatos libros referuntur a nonnullis etiam Cabbalistici, licet male agant, qui eosdem plane damnent, cum alii genuinæ philosophiæ fundamenta ex veris Cabbalæ principiis deducant, neque tamen desunt, qui peruersis vtuntur fundamentis. Inter antiquos, *Scriptores artis Cabalisticæ* coniunctim edidit IOANNES PISTORIVS, *Basileæ 1587. f.* Inter recentiores Cabbalæ principiis nituntur HENRICVS MORVS & CHRISTIANVS KNORRIVS a ROSENROTH. De his atque aliis Scriptoribus, qui huc faciunt, eruditissime egit in sua *introductione ad historiam Philosophiæ Ebræorum*, IOANNES FRANCISCVS BVDDEVS, venerandus Collega, *Halæ 1705. 8.* Damnamus autem peruersam istam Cabbalam, quem exercuit HENRICVS KHVNRATHVS.

RATHVS. Hic enim *amphitheatrum Sapientiæ æternæ solius veræ Christiano Cabbalisticum, Diuino-Magicum* scripsit *Hamburgi 1611. f*, quo omnem siue Theologiam siue Chymiam & Philosophiam explicare voluit. Sed figuræ obscuræ ipsius dogmatibus peruersis, atque æque obscuris respondet.

§. XXVIII.

Ast, chymici forsan libri erunt reiiciendi. Nolumus iam longum horum Catalogum nectere, cum vel millia auctorum Chymiæ transmutatoriæ numerare possimus. Sufficit nobis indicasse, OLAI BORRICHII *conspectum Scriptorum Chymicorum illustriorum*, qui posthumus *Hafniæ* prodiit *1697. 4*, potiores enumerare. Adnectimus etiam Morhofii Polyhistorem libro primo capite XI, qua antiquos quosdam Chymicos recenset. Pauciores sunt inter eosdem, qui aliquid momenti habent, plerique sunt spurii, a ciniflonibus & non nisi lucri cupidis conscripti, solum vt decipiant. Vix vnus atque alter est, atque inter hos Philaletha, qui aliquam fidem habeat. Sacras historias ad Chymiam adplicant, veri tamen Hermetis filii consensum, qui sit inter superiora atque inferiora, demonstrant. Hac parte commendandus est liber Germanicus, qui inscribitur *Wasser-Stein der Weissen*, siue *aquarium Sapientum*, hunc enim vere pium & Chymiæ peritissi-

 mum,

mum, ſcriptum iſtud arguit. Fateor, nobilisſima res eſt, interiora naturæ indagare, ſed infucata inſtructum eſſe decet pietate, ne ad deuia dilabatur, hoc enim certum eſt: Chymia aut pium inuenit, aut pium efficit, aut Atheum. Legi poteſt IO. FRANCISCI BVDDEI diſſertatio eruditisſima *an Alchymiſtæ ſint in Republica tolerandi*, *Halæ 1702. 4.*

§. XXIX.

Progredimur ad fratres roſeæ Crucis, horumque Scripta. Cœpit horum notitia, cum primum prodiret *Fama Fraternitatis oder Entdeckung der Brüderſchafft des löblichen Ordens des Roſencreutzes beneben der Confesſion*, *Francofurti 1615 & 1617. 8*, quam ſequuntur ſcripta diuerſa, plerumque minora. Licet iam ante a quibusdam edita dicatur. Inuentum hoc vt plurimum tribuitur IOANNI VALENTINO ANDREÆ, qui corrupto religionis ſtatu commotus, cum aliis probæ notæ viris hunc ludum inſtituit, vt qua ratione reformari posſint abuſus, docuerit. Sub iſto igitur nomine fraternitatis roſeæ crucis latere voluerunt, quo, tanquam poſt Apellis tabulam experirentur diuerſorum de eadem Fraternitate, eiusdemque propoſita reformatione iudicia. Chymica intermiſcuerunt: neque tamen ex ſcholis ciniflonum iſta, ſed ex veris naturæ arcanis, monſtrantes, quantum etiam ex iisdem

dem vera Dei cognitio petenda, Andreæ ſocios addunt Ioannem Arndium & Ioannem Gerardum, hoc tamen ſine ratione. Interim, dubium non eſt, Tobiam Adami, cui multum cum Campanella fuit commercii, aliquam partem habuiſſe Fraternitatis. Vix autem dicta Fama erat publicata, cum in omnium ore verſaretur. Non deerant, qui omnibus manibus adplauderent, & quam propoſuerunt fratres reformationem, omnino adpeterent. Alii contra nitebantur & ceu peſtem & diabolo peius fugiendos eſſe eiusmodi libros teſtabantur. Nec deerant, qui arcana quæuis Chymiæ in iisdem quærerent. Plurimi, prout fieri adſolet, hæc reſpiciebant vt curioſa. Verum, cum tot iisdem orirentur contentiones & Theologorum plerorumque contradictiones, ipſi primi auctores ceſſarunt a propoſito, vt ſenſim horum euaneſceret notitia. Interim negandum non eſt, inter ſcripta, quæ Fratrum Roſeæ Crucis nomen præ ſe ferunt, multa quoque reperiri ſpuria atque ſuppoſititia, a lucri cupidis hominibus euulgata, cum multo pretio eadem diuenderentur. Inter illos, qui dictam fraternitatem ſcriptis oppugnarunt, præcipuus eſt HENRICVS NEVHVSIVS, cuius *pia & vtiliſſima admonitio de fratribus R. C. an ſint? quales ſint? vnde nomen illud ſibi aſciuerint, & quo fine eius-*

modi famam ſparſerint, prodiit. Huic tamen EVCHARIVS CYGNÆVS reſpondit in libro, qui titulus; *Conſpicillum Notitiæ, inſeruiens oculis ægris, qui lumen veritatis ratione ſubiecti, obiecti, medii & finis ferre recuſant, oppoſitum admonitioni futili Henrici Neuhuſii de Fratribus R. C. 1618. 8.* Præter Neuhuſium contra dictam Fraternitatem prodiit *Sphinx Roſacea, d. i. der Entdeckung der Brüderſchafft des löblichen Ordens des Roſencreutzes und deren Famæ und Bekäntnüs ohngefährliche Muthmaſſungen, darinnen die erſten autores, ihr Glaubens-Bekäntnüs und myſteria an Tag gegeben vverden durch Chriſt. Nigrinum, Philomuſum & Theologum, Franckfurt 1618. 8,* Auctor omnia Crypto-Caluinianis imputat, qui, vti putat, ſub hoc commento venenum ſuum diſpergere non dubitent, & licet quidem ipſe venenoſus, negandum tamen non eſt, ipſum pſeudonymos multos, ſcriptorum Theologicorum potisſimum auctores detexiſſe, Inter illos vero, qui dictam fraternitatem ſcriptis defendere fuerunt conati, minimus non eſt ROBERTVS FLVDD a Fluctibus, qui ſcripſit *apologiam compendiariam, Fraternitatem de roſea cruce ſuſpicionis & infamiæ maculis aſperſam veritatis quaſi fluctibus abluentem & abſtergentem, Leidæ 1616. 8.* Succesſit eiusdem *tractatus apologeticus, integritatem ſocietatis de Roſea Cruce defendentem, in qua probatur contra D. Libauii & aliorum eiusdem farinæ*

rinæ calumnias, quod admirabilia nobis a Fraternitate R. C. oblata, sine improba Magiæ impostura, aut diaboli præstigiis & illusionibus præstari possint, 1617. 8. Eiusdem *summum bonum, quod est magiæ, cabbalæ, alchyraiæ Fr. R. C. verorum subiectum aduersus Mersennum calumniatorem.* Sic etiam IVLIVS SPERBERVS scripsit *Echo der von Gott hocherleuchteten Fraternität des löblichen Ordens R. C. Dantzig* 1616. 8. Pro eadem prodiit MICHAELIS MAIERI *Themis Aurea, hoc est, de Legibus Fraternitatis R. C. Tractatus, quo earum cum rei veritate conuenientia, vtilitas publica & priuata, nec non caussa necessaria, euoluuntur & demonstrantur, Francofurti* 8, atque alii, de quibus plenius Arnoldus Historia Hæresium parte secunda, libro XVII, capite VIII.

§. XXX.

Inter libros, qui religionem turbant, referimus etiam Magicos. In horum autem numero plures habentur, qui naturalium rerum arcana intimius indagarunt, neque tamen Magica præscripserunt. Scipsit ideo GABRIEL NAVDÆVS librum, cui titulum fecit *Apologie pour tous les grands Personnages, qui ont esté faussement soupconnés de Magie, à la Haye* 1679. 8. Hoc enim libello multos, qui pro Magis habiti, non nisi Politicos fuisse profitetur, alios magni ingenii viros vel mathematicos pro talibus fuisse habitos, ideo-

que speciatim Zoroastrem, Orpheum, Numam Pompilium, Democritum, Empedoclem & Apollonium, atque ex recentioribus Raymundum Lullium, Arnoldum Villanouanum, Petrum Aponum, Paracelsum, aliosque excusat & multa proponit notanda. Germaniæ hoc scriptum per *Ioannem Reichium* translatum prodiit cum aliis *Halæ 1703. 4.*

§. XXXI.

De HENRICO CORNELIO AGRIPPA communi fere ore testantur omnes, quod Necromanta fuerit, & Cacodæmonem nigri canis specie circumduxerit. Scripsit autem *de occulta Philosophia* libros tres, *Coloniæ 1535. f*, *Parisiis 1567. 8*, & sæpius alibi. Accesit huic & recentioribus editionibus quartus liber, qui totus caracteribus Magicis est adimpletus, alius tamen esse videtur, non Agrippæ, cum prioribus non respondeat. Magni ingenii scriptum hoc est, quo natura quid valeat, monstratur, quæ dæmonum operationes, quæ horum illusiones. Ex falsis tamen principiis hoc deductum ipse testatur, ac dolet, dum in libro de vanitate scientiarum cap. XLVIII, ita loquatur: *De Magicis scripsi ego iuuenis adhuc libros tres amplo satis volumine, quos de occulta Philosophia nuncupaui, in quibus, quicquid tunc per curiosam adolescentiam erratum est, nunc cautior hac palinodia recantatum volo. Per multum enim temporis & rerum*

rum in his vanitatibus olim contriui. Tandem hoc profeci, quod sciam, quibus rationibus oporteat alios ab hac pernicie dehortari. Quicunque enim non in veritate, nec in virtute Dei, sed in elusione Dæmonum, secundum operationem malorum spirituum, diuinare & prophetare præsumunt, & per vanitates magicas exorcismos, incantationes, amatoria agogima, & cætera opera dæmoniaca, & idololatriæ fraudes exercentes, præstigia & phantasmata ostentantes mox cessantia miracula sese operari iactant. Omnes hi cum Ianne & Mambre & Simone Mago æternis ignibus cruciandi destinabuntur. Immo ipse etiam cap. XLV omnes eiusmodi libros, de Raziele, Raphaele & Tobiæ angelis cum Vlpiano improbatæ lectionis adpellat. Potius, in quo vera magia consistat, libro V ep. XIX declarat sequentibus verbis: *Quod ad postulatum Philosophiam attinet, te scire volo, quod omnium rerum opificem cognoscere artificem ipsum Deum, & in illum tota similitudinis imagine ceu essentiali quodam contractu siue vinculo transire, quo ipse transformeris, efficiareque Deus, ea demum vera solidaque philosophia sit: quemadmodum de Moyse ait Dominus, inquiens: Ecce ego constitui te Deum Pharaonis. Hæc est illa vera & summa mirabilium operum occultissima Philosophia. Clauis eius intellectus est, quanto enim altiora intelligimus, tanto sublimiores induimus virtutes, tantoque maiora & facilius & efficacius operamur. Verum, intelle-*

ctus noſter carni incluſus corruptibili, niſi viam carnis ſuperauerit, fueritque propriam naturam ſortitus diuinis illis virtutibus, non poterit vniri, (non enim niſi quam ſimilibus congrediuntur) ac peruidendis illis occultisſimis Dei & Naturæ ſecretis omnino inefficax eſt: atque

Hoc opus, hic labor eſt, ſuperas euadere ad auras.

Quomodo enim, qui in cinere & mortali puluere ſe ipſum amiſit, Deum ipſum inueniet? quomodo apprehendet ſpiritualia, carni immerſus & ſanguini? an videbit Dominum homo, & viuet? Quem fructum adferet granum frumenti, ſi prius mortuum non fuerit? Mori enim oportet, mori inquam mundo & carni ac ſenſibus omnibus ac toti homini animali, qui velit ad hæc ſecretorum penetralia ingredi: non, quod corpus ſeparetur ab anima: ſed, quod anima relinquat corpus, de qua morte Paulus ſcribit Coloſſenſibus: Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto: & alibi clarius de ſeipſo ait, ſcio hominem in Corpore, vel extra Corpus neſcio (Deus ſcit) raptum vsque ad tertium cœlum: & quæ reliqua ſequuntur. Hac, inquam, pretioſa in conſpectu Domini morte mori oportet, quod contingit paucisſimis, & forte non ſemper.

§. XXXII.

Huc faciunt *Clauiculæ Salomonis*, VALENTINI WEIGELII *Theoſophia Pneumatica*,

ca, *Semiphoras & Schemhamphoras Salomonis Regis*, *Arbatel de Magia Veterum*, *VALENTINI WEIGELII Geomantia noua*, quæ per *Andream Lupium*, *Vesaliæ* fuerunt edita *1686. 4.* Ista enim omnia ſunt ſcripta ſpuria, ex falſæ potius Magiæ principiis deducta.

§. XXXIII.

Magicæ artis fere Princeps habetur *IOANNES FAVSTVS*, Sueuus, ſub cuius nomine liber circumfertur Mſtus, quo necromantiæ habentur fundamenta. An ipſius ſit, pro certo nolim adſerere, neque etiam pro veris habere omnia, quæ de eodem dicuntur; hoc vnicum adfirmamus, aſtrologiæ ſtudio fere fuiſſe captum. Vitam eius, acta magica, finemque horrendum partim ex ipſius Fauſti, partim famuli ipſius Ioannis Waigeri ſchedis congesſit, vt ipſe teſtatur *GEORGIVS RVDOLPHVS WIDMANNVS*, *Hamburgi 1599. 4*, denuo additis vbique obſeruationibus. Hiſtoriam iſtam edidit & quibusdam obſeruationibus adauxit *IOANNES NICOLAVS PFITZERVS*, ſub titulo: *das ärgerliche Leben und ſchreckliche Ende des viel berüchtigten Ertz Schwartzkünſtler, D. Ioannis Fauſti, Nürnberg 1681. 8.*

§. XXXIV.

Ab his progredimur ad libros, qui ciuilem ſtatum turbant, in quorum numero primam conficiunt claſſem Monarchomachi,

de quibus ſpeciatim egimus Bibliotheca Philoſophica capite Septimo §. XXVII, quo in præſenti nos referimus. Licet hoc dicendum, damnatos ſæpe libros eiusmodi eſſe in regnis, quæ concernunt, in aliis vel iterato impreſſos eſſe, vel liberius ſaltim vendi, quod de ſcriptis Miltoni apud Anglos prohibitis, atque aliis facile patet.

§. XXXV.

Sed præter hæc, alia ſunt ſcripta, quæ vniuerſam turbare videntur Rempublicam. Nolumus huc referre NICOLAI MACHIAVELLI *Principem*, quem pro ſtatu Florentinæ ſuæ Reipublicæ ſcripſit, vt ciuibus ſuis dominatum, quem multi adpetebant, redderet exoſum. Multa alias prudentia politica inſtructisſimus erat Machiauellus. Progredimur potius ad THOMAM HOBBESIVM, cuius *Leuiathan* a multis pro monſtro horrendo venditatur. Prodiit hic liber primum anglice, *Londini 1651. f*, & cum appendice, latine *Amſtelodami 1668. 4*, cum ab iis, qui tunc prælo imperabant apud Oxonienſes, Londinenſes aut Cantabrigienſes, typorum licentia impetrari non potuiſſet. Belgice prodiit *1678. 4.* Summam libri Bathurſt in Hobbii vita habet p. 45. *Eius autem ſumma hæc fuit, ſine pace impoſſibilem eſſe incolumitatem, ſine Imperio Pacem, ſine Armis imperium, ſine opibus in vnam manum collatis nihil valere arma, neque metu*

metu armorum quidquam ad pacem profici posse in illis, quos ad pugnandum concitat malum morte magis formidandum, nempe dum consensum non sit de iis rebus, quæ ad salutem æternam necessariæ creduntur, pacem inter ciues non posse esse diuturnam. Scilicet, ad statum reipublicæ Anglicanæ, qui illo tempore erat, liber est diiudicandus, cum pro iure regio adserendo sit elaboratus. Neque tamen in omnibus excusamus Hobbesium, maxime, vbi de potestate ecclesiastica egerat, nisi forsan dicere velimus, ipsum obuiam ire voluisse ecclesiasticorum technis & adfectatæ pontificis Romani Monarchiæ. Atheum quidem eundem dicunt, sed de eo etiam ipsum defendit Bathurstus in vita p. 105, dm ait: *Deum autem agnouit, eumque Rerum omnium Originem, intra angustos tamen humanæ rationis cancellos nullatenus circumscribendum.* Sed audiamus Kortholtum, qui de tribus Impostoribus magnis sectione II §. XXVII plura ex Hobbesii scriptis deducit, quæ minime excusanda.

§. XXXVI.

Alii nefariis suis consiliis scriptisque classica cecinerunt bellis. Talis est CASPAR SCIOPPIVS, qui scripsit *Classicum belli sacri,* siue *Heldum rediuiuum, hoc est ad Carolum V Imperatorem Augustum Suasoriam, de Christiani Cæsaris erga Principes ecclesiæ rebelles officio, deque veris compescendorum Hæreticorum ecclesiæque in*

pace

pace collocandæ rationibus, Ticini 1619. 4, qua auctor est Imperatori, extirpandis principibus protestantibus, quos nefarie rebelles vocat. Huic tamen sub nomine THEODOSII BERENICI obuiam iuit MATTHIAS BERNEGGERVS in *tuba pacis, occenta classico Scioppiano, Augustæ Treboccorum 1623. 4,* qua Protestantium iura defendit. Immo nec Maiestati Regiæ Iacobi I, Magnæ Britanniæ Regis parcit, in libro, quem inscripsit: *Collyrium Regium Britanniæ Regi grauiter ex oculis laboranti muneri missum, 1611. 4.* Eundem & Thomasius & Bælius auctorem habet libri, qui prodiit sub titulo: ISAACI CASAVBONI *Corona regia, id est, Panegyrici cuiusdam vere aurei, quem Iacobo I, Magnæ Britanniæ Regi, fidei defensori delinearat, fragmenta ab Euphormione inter schedas τȣ̃ μακαρίτȣ inuenta, collecta, & in lucem edita, Londini 1615. 12.* Recudi postmodum fecit CHRISTIANVS THOMASIVS *Historia Sapientiæ & Stultitiæ Tomo primo p. 125.* Truculentissimum est scriptum, quo horrenda flagitia obiiciuntur, atque dira euomuntur in Iacobum, Eduardum, Elisabetham, & quidem sub specie Panegyrici posthumi, a Casaubono scripti, cuius quasi essent fragmenta, inter schedas eius reperta. Licet autem Puteanum alii pro auctore habeant, verius tamen sine dubio attribuitur Scioppio, qui etiam aduersus Casaubonum edidit *Holofernis Kriegsoderi, Landsberga Bauari responsionem ad episto-*

epiſtolam Iſaaci Caſauboni, Regis in Anglia archipædagogi pro viro clarisſimo Caſpare Scioppio.

§. XXXVII.

Tacemus iam de ſcriptis, tempore belli tricennalis hinc inde euulgatis; bina ſaltim proferre liceat. Prodiit quidem *quæſtio odioſa quidem, ſed maxime notabilis & ſingularis, an non præſentisſima ſit inclytæ domus Auſtriacæ modernæ abs Imperiali axiomate, clauo & ſceptro remotio*, quæ ſine auctore prodiit *1633. 12.* Sed, in pagellis meis nomen GREISLAVII adſcriptum eſt. In his autem, ex Scripturæ, maxime Apocalypſeos teſtimoniis, hoc declarare voluit, eo quod Imperatores domus Auſtriacæ veræ religioni ſeſe oppoſuerint, ideoque Sacræ ſcripturæ auctoritates, quæ interitum illis minantur, qui contra veram fidem agunt, ad eandem explicat.

§. XXXVIII.

Alterum eſt HIPPOLYTI a LAPIDE disſertatio *de ratione Status in Imperio noſtro Romano-Germanico, Freiſtadti 1647. 12.* Quis ſub hoc nomine lateat, adhuc dubitatur, dum alii IO. IOACHIMVM RVSDORFIVM, alii vel BOGISLAVM PHILIPPVM CHEMNITIVM, vel eiusdem adfinem IOACHIMVM DRANSEVM, vel vtrosque coniunctim auctores venditent. Durante bello, inter pacis negotia, hic libellus edebatur. Tribus continetur partibus, quarum priori Statum Imperii

perii noſtri Romano-Germanici auctor deſcribit, ita tamen, vt pluribus contra Monarchiam diſputet. Secunda parte veram ſtatus rationem, quæ in temperanda cum Maieſtate libertate conſiſtere debeat. Parte tertia de mediis agit, quibus Imperii noſtri ſtatus auitaque libertas reſtaurari atque firmari poſſit. Verum iſta non violenta ſolum ſunt, ſed etiam ſeditioſa, cum inter alia, domus Auſtriacæ extirpationem præſcribat: cum ſine hoc Reipublicæ Germanicæ integritas reſtitui non poſſet. Reſpondet eidem GOTTLIEB von HAGEN in *Comitiologia Ratisbonenſi, Francofurti 1614. 4.*

§. XXXIX.

Liberius de Germanorum aulis ſentit PHILIPPVS ANDREAS OLDENBVRGERVS in *Itinerario ſuo politico*, quod ſub nomine CONSTANTINI GERMANICI conſcripſit Coſmopoli editum. Summa libertate aulæ etiam arcana prodidit, ſæpe etiam vitia perſtringit, ita, vt ob nimiam dicendi libertatem liber prohiberetur, licet poſtea a bibliopolis lucri cupidis denuo ederetur. Hanc etiam dicendi libertatem in ſuis ad Inſtrumentum pacis diſcurſibus exercuit.

§. XL.

Ad horum claſſem etiam referuntur Hiſtorici, qui in præiudicium certæ domus multa ſcripſerunt. Talis eſt FRANCISCVS de RO-

ROSIERS, cuius *ſtemmata Lotharingiæ ac Barri Ducum* prodierunt *Pariſiis 1580, f.* Auctor enim ob hunc librum iuſſu Galliarum Regis deprehenſus, atque in Baſtiliam coniectus fuit, vix autem, Reginæ Catharinæ Medicææ interuentu, cum lamentabili voce veniam petiiſſet, eandem impetrauit, libro coram Rozerio lacerato. Ratio condemnationis hæc erat, quod Lotharingico ſtemmati, tanquam ex progenie Caroli M, optimum ius eſſe in regnum Gallicanum adſeruerat. Periculoſum hoc erat iſta ætate, cum Guiſii atque alii ex Lotharingica familia, ad regni habenas manus admouerent, vt parum abeſſet, quin Capetiorum progenie excluſa, ſolium regium adſcenderint, vti latius dictum Bibliotheca antiqua Ianuario 1705 p. 17. Plura in propatulo adduci poſſent exempla, ſi inſtituti ratio illud poſtularet.

§. XLI.

Progredimur ad Scriptores illos, qui corrumpunt probos mores, inter quos potisſimam partem faciunt obſcœni. Legenda de illis eſt diſſertatio ADAMI RECHENBERGII *de libris obſcœnis, Lipſiæ 1688. 4,* qua, libri quinam vere dici posſint obſcœni, declarat. Miramur certe, qui fiat, quod tot libri hodie commendentur, etiam iuuentuti, qui deteſtandi præ aliis, & ſub alio titulo maximum virus tegunt: paucisſimi inter prohibitos re

fe-

feruntur. Quis ignorat, Priapæa carmina, ab eruditis variis notis fuisse illustrata, & publice, sub censura etiam edita. Ouidii Metamorphoses, in quibus tot scandala deorum, Amorum libri, Terentius, Plautus, Martialis, Iuuenalis, Catullus, Apuleius, Petronius & tot scriptorum quisquiliæ in scholis etiam proponuntur & gymnasiis, immo iuuentuti commendantur. Rationem hanc probant, ob dictionis fieri venustatem. Verum, melius esset in scholis Orthuini Gratii delitescere, quam inter subsellia Priapæorum. Superest Cicero, superest Sallustius, quos felicius imitemur, quam scriptores eiusmodi. Tacemus Albertum M. Tacemus Pontificiorum Casuistas & Moralistas, quos non excusat, singulas factorum species exposuisse, omnes enim, etiamsi speciatim non expositæ, ex sacræ scripturæ canone facile poterunt decidi. Ast Petrus Bælius similem scribendi licentiam, si modo verborum lasciuia vitetur, defendere conatur in suis ad secundam Dictionarii editionem additionibus *p. 3159.* Ratione vtitur, quod nulla lege, inter eruditos recepta, fuerunt prohibita, nec etiam scriptores, qui impudicitiæ atque obscœnitatis notas in scriptis suis præ se ferunt, ideo vel honoris vel fortunæ quidpiam perdidisse, potius multi semper fuisse æstimatos, nec deesse auctoritates contrarias illorum, qui hæc in

scriptis

ſcriptis defenderent. Tandem concludit, tolerari hæc poſſe, quia non per ſtatuta Reipublicæ litterariæ, & leges ciuiles fuerint prohibita, ipſe tamen fatetur, cum legibus euangelii hæc ſtare non poſſe. Vno verbo, Bælius non eſſe contra decorum iudicat. Verum, dicat quid velit Bælius, multa legibus non ſunt prohibita, quæ tamen chriſtianis plane non conueniunt. Non prohibentur hæc ab eruditis, tolerantur, conceduntur, laudantur, immo commendantur, ſed quanta horum ſit peruerſitas, in propatulo eſt. Hoc enim certum, ſumma eruditio proximus eſt gradus ad Atheismum. Hic eſt acerrimus eruditorum hoſtis, cum quo quotidie eſt confligtandum. Neque etiam ex decori iure illa poterunt tolerari, cum & hoc ſanos proboſque mores requirat. Neque hæc a iuuenibus ſine offenſione vel ad malum propenſione leguntur.

§. XLII.

Longum quidem eiusmodi catalogum hic poſſimus nectere, ne tamen & nos ſimilem incurramus cenſuram, ſtudio hæc prætermittimus, hoc omnibus eiusmodi libris vt accidat, optantes, quod de Byzantinis ex Alcyonio narrat Paulus Colomeſius Cimeliis litterariis cap. XV. *Audiebam puer ex Deme-*

trio Chalcocondyla Græcarum rerum peritisſimo, Sacerdotes Græcos tanta floruiſſe auctoritate apud Cæſares Byzantinos, vt integra, illorum gratia, complura de veteribus Græcis Poëmata combuſſerint, inprimisque ea, vbi amores, turpes luſus, & nequitia amantium continebantur, atque ita Menandri, Diphili, Apollodori, Philemonis, Alexis fabellas & Sapphus, Erinnæ, Anacreontis, Minnermi, Bionis, Alomanis, Alcæi carmina intercidiſſe: tum pro his ſubſtituta Nazianzeni noſtri poëmata, quæ etſi excitant animos noſtrorum hominum ad flagrantiorem Religionis cultum, non tamen verborum Atticorum proprietatem & græcæ linguæ elegantiam edocent. Turpiter quidem ſacerdotes iſti in veteres Græcos maleuoli fuerunt, ſed integritatis, probitatis & Religionis maximum dedere teſtimonium. Factum hoc fuiſſe cum ſcriptis Adriani Beuerlandi, docent nos Nouuelles de la Republique des lettres Oct. 1699. p. 468. *M. Beverland fameux par des Ouvrages bien differens à envoyé en Hollande, pour etre imprimez, ſes Otia Oxonienſia: Notæ in Martialem, Iuuenalem &c. Iter ſuum Anglicum. Ceux qui ſe plaiſent dans la litterature trouveront leur compte dans ces Ouvrages; ſi ceux qui les ont reçus ne les ont pas brûlez, comme quelques perſonnes me l'ont aſſuré.* Imitetur, cui eiusmodi ſcriptorum copia datur, ni forſan idem accideret, quod Cardinali cuidam, Veneris ſtatuas abolere conanti: has enim quanto magis de-

ſtrue-

ſtrueret, tanto plures reperiebat. Caueat igitur, qui chriſtianus eſſe velit, ne in ſcandala incidat incautus.

CAPVT DECIMVM

DE

SOCIETATIBVS LITTERARIIS ET CONVERSATIONE ERVDITORVM.

§. I. Quinam de eruditorum ſocietatibus ſcripſerunt. §. II. Platonis Academia. §. III. Ciceronis Academia. §. IV. Plures apud veteres eruditorum ſocietates. §. V. Societas abbreuiatorum apud Italos. §. VI. Venetorum Academiæ. §. VII. Patauinorum Academiæ. §. VIII. Aliarum vrbium ditionis Venetæ Academiæ. §. IX. Academiæ Romanæ. §. X. Academiæ in terris Papalibus. §. XI. Academiæ Bononienſes. §. XII. Academiæ Neapolitanæ & aliæ Hiſpanæ ditionis in Italia. §. XIII. Academia Florentina. §. XIV. Aliæ Florentinorum Academiæ. §. XV. Senenſium & Piſanorum Academiæ. §. XVI. Parmenſium & aliorum Italorum Academiæ. §. XVII. Priuatorum apud Gallos ſocietates litterariæ. §. XVIII. Academia

trio Chalcocondyla Græcarum rerum peritissimo, Sacerdotes Græcos tanta floruisse auctoritate apud Cæsares Byzantinos, vt integra, illorum gratia, complura de veteribus Græcis Poëmata combussérint, inprimisque ea, vbi amores, turpes lusus, & nequitia amantium continebantur, atque ita Menandri, Diphili, Apollodori, Philemonis, Alexis fabellas & Sapphus, Erinnæ, Anacreontis, Minnermi, Bionis, Alomanis, Alcæi carmina intercidisse: tum pro his substituta Nazianzeni nostri poëmata, quæ etsi excitant animos nostrorum hominum ad flagrantiorem Religionis cultum, non tamen verborum Atticorum proprietatem & græcæ linguæ elegantiam edocent. Turpiter quidem sacerdotes isti in veteres Græcos maleuoli fuerunt, sed integritatis, probitatis & Religionis maximum dedere testimonium. Factum hoc fuisse cum scriptis Adriani Beuerlandi, docent nos Nouuelles de la Republique des lettres Oct. 1699. p. 468. *M. Beverland fameux par des Ouvrages bien differens à envoyé en Hollande, pour etre imprimez, ses Otia Oxoniensia: Notæ in Martialem, Iuuenalem &c. Iter suum Anglicum. Ceux qui se plaisent dans la litterature trouveront leur compte dans ces Ouvrages; si ceux qui les ont reçus ne les ont pas brûlez, comme quelques personnes me l' ont assuré.* Imitetur, cui eiusmodi scriptorum copia datur, ni forsan idem accideret, quod Cardinali cuidam, Veneris statuas abolere conanti: has enim quanto magis de-

struc-

ſtrueret, tanto plures reperiebat. Caueat igitur, qui chriſtianus eſſe velit, ne in ſcandala incidat incautus.

CAPVT DECIMVM

DE

SOCIETATIBVS LITTERARIIS ET CONVERSATIONE ERVDITORVM.

§. I. *Quinam de eruditorum ſocietatibus ſcripſerunt.* §. II. *Platonis Academia.* §. III. *Ciceronis Academia.* §. IV. *Plures apud veteres eruditorum ſocietates.* §. V. *Societas abbreuiatorum apud Italos.* §. VI. *Venetorum Academiæ.* §. VII. *Patauinorum Academiæ.* §. VIII. *Aliarum vrbium ditionis Venetæ Academiæ.* §. IX. *Academiæ Romanæ.* §. X. *Academiæ in terris Papalibus.* §. XI. *Academiæ Bononienſes.* §. XII. *Academiæ Neapolitanæ & aliæ Hiſpanæ ditionis in Italia.* §. XIII. *Academia Florentina.* §. XIV. *Aliæ Florentinorum Academiæ.* §. XV. *Senenſium & Piſanorum Academiæ.* §. XVI. *Parmenſium & aliorum Italorum Academiæ.* §. XVII. *Priuatorum apud Gallos ſocietates litterariæ.* §. XVIII. *Academia*

Francica. §. *XIX. Academia Inſcriptionum & Numismatum.* §. *XX. Regia ſcientiarum Academia.* §. *XXI. Aliæ Gallorum Academiæ.* § *XXII. Societas Athenienſis apud Anglos.* §. *XXIII. Collegium Antiquitatum Vpſalienſe.* §. *XXIV. Societas Germanorum Frugifera.* § *XXV. Collegium Naturæ Curioſorum.* §. *XXVI. Collegium Imperiale Hiſtoricum.* §. *XXVII. Conuentus eruditorum Berolinenſes.* §. *XXXVIII. Academia Regia ſcientiarum Berolinenſis.* §. *XXIX. Collegium Gellianum Lipſienſe.* §. *XXX. Societas Pythagorea Ienenſis.* §. *XXXI. Societas Disquirentium Ienenſis.* §. *XXXII. Societas Scrutantium Kilonenſis.*

§. I.

PLures & noſtra ætate & olim fuiſſe eruditorum ſocietates, vel omnes norunt, qui modo aliquam ſtudiis operam nauarunt. Nec deſunt, qui earundem nobis neceſſariam dederunt notitiam. Breuis eſt diſſertatio IOANNIS REISKII, qua *pinacothecas, cimeliothecas & ſocietates Doctorum in Europa* præcipuas explicat. *Guelferbyti 1665. 4* Sed plenius quid præſtitit GOTHOFRIDVS VOCKERODT amicus meus ſingularis, qui, dum in hac verſaretur academia, per varias diſſerta-

tiones

tiones *introductionem* dedit *in notitiam ſocietatum eruditarum*, quæ coniunctim poſtmodum prodierunt Ienæ. Has nuper denuo edidit hoc titulo: *Commentatio de eruditorum ſocietatibus & varia re litteraria*, *Gothæ 1704. 8.* Hac autem non generalia ſolum, atque harum ſocietatum vſum erudite demonſtrat; ſed etiam varias recenſet, atque exemplis ad rem litterariam facientibus ſingula illuſtrat egregie. Morhofius quoque Polyhiſtoris libro I cap. XIII & XIV ſecreta non ſolum collegia, ſed & eruditorum ſocietates erudite percenſet. Prouocat Morhofius ad Gregorium Letum in Italiæ regnantis parte tertia libro primo & Ioannis Ferri theatrum emblematum, ex quibus ſua hauſerit. Opus de iisdem meditatur Chriſtianus Iunckerus, cuius de hoc inſtituto verba ſunt: *aggrediar hiſtoriam ſocietatum per Europam litterariarum, cui deſcribendæ ingens iam adeſt apparatus, ex libris idiomatum plerisque peregrinorum ab aliquot hinc annis collectus.* Teſtatus iam clarisſimus Iunckerus ſuo de diariis eruditorum libello, quantum hac parte valeret, vt non niſi optima quæque ob impenſam operam ſperare liceat, quod vt propediem fiat, optamus. Interim tamen breuem recenſionem adgrediemur, non omnium quidem, ſed potiorum ſaltim, atque earum quidem quæ ad ſtatum faciunt litterarium.

§. II.

Notissimæ apud veteres erant societates eruditæ, alia Platonis, altera Ciceronis. Antiquissima est *Platonis Academia*, quæ aliud non erat, nisi conuentus eruditorum de rebus variis inter se agentium, aliis proponentibus, aliis vero audientibus. Quid de eadem moris fuerit, Cicero describit de diuinatione libro secundo, capite vltimo. *Cum autem*, ait, *proprium sit Academiæ, iudicium suum nullum interponere, ea probare, quæ simillima veri videantur, conferre caussas, &, quid in quamque sententiam dici possit, expromere, nulla adhibita sua auctoritate, iudicium audientium relinquere integrum, ac liberum, variæ tamen Platonicorum scholæ fuerunt & Academiæ.* Plato enim primam introduxit Academiam, cui successerunt discipuli, Speusippus, Xenocrates, Polemon, Cranthor, quos Academicos vocat Cicero V de Finibus capite tertio. Secundam, eandemque nouam scholam inuexit Polemonis discipulus, Arcesilaus. Tertiæ academiæ Principes fuere eius discipulus Carneades, huiusque successor Clitomachus. Quartam Academiam addunt Philonis, qui Clitomachum excepit & Charmidæ. Quintam Antiocho tribuunt. Hoc ipso factum, vt, dum a Platonis mente sæpius recederent, ipsi academici varie inter se dissentirent. Has autem diuersas academias descripsit Eusebius

biu: de Præparatione Euangelica libro XIV capite II, Clemens Alexandrinus Stromatum libro primo p. 301, & Io. Ionsius de Scriptoribus Historiæ Philosophicæ lib. III cap. X.

§. III.

Alia est *Ciceronis Academia*, quam ad Platonis exemplum instruxit, dum villam quandam hoc adpellaret nomine, de qua, Laurea, Ciceronis libertus apud Plinium Historia Naturali lib. XXXI cap. II.

atque Academiæ celebratam nomine villam.

Ex hac promanarunt Quæstiones academicæ & de finibus bonorum & malorum libri.

§. IV.

Licet autem has antiquiorum solas esse velit Ancillonus in miscellaneis suis, plures tamen adhuc reperiuntur. Nolumus iam prolixius agere de conuentibus Ægyptiorum in templo Vulcani Memphitico; Musæum Alexandrinum, Magorum Collegia apud Persas, Gymnosophistarum apud Indos, Æthiopum Sapientiæ Collegia, Græcorum Symposia atque ad aram Mineruæ conuentus, Romanorum secessus, Byzantinorum in Bibliotheca conuentus, Collationes monachorum vespertinas, & similes, de quibus iamdum egimus Obseruationum Halensium Tomo VII obs. IV. Saltim statum societatium litterariarum recentioris ætatis hic proponemus.

§. V.

Nulla Europæ eſt prouincia, quæ tot eruditorum ſocietates viderit ac Italia. Seculo decimo ſexto nota erat ſocietas Abbreviatorum Romana, a viris egregiis inſtituta, cui ſcopus alius non erat, quam vt bonas litteras propagarent. In horum numero cenſentur Baptiſta Platina, Pomponius Lætus, Philippus Geminianus, Iacobus Iouianus Pontanus, Antonius Coccius & Iacobus Sannazarius. Huius ſocietatis notitiam præbet Octauius Ferrarius Prolus. IX de litteratorum infelicitate, quam ſequitur in diſſertatione ſua de ſocietate abbreuiatorum Romana FRIDERICVS HANNIBAL STEMPELIVS, *Ienæ* 1704. 4.

§. VI.

Plures fuerunt & illius & ſuperioris ſeculi apud Italos ſocietates, miri plerumque nominis. Hæc illorum nomina recenſet Antonius Furreterius Dictionario ſuo vniuerſali, voce Academici. Indicauit ſingulas Italorum Academias Auctor der Souverainen von Europa p. 1479 & ſqq. atque illuſtris Auctor des Europæiſchen Herolds, vbi Italorum Status atque Reſpublicas deſcribit. Ab Venetorum vrbe initium facimus, in qua reperimus illam *Incognitorum*, quam inſtituiſſe dicitur Ioannes Franciſcus Loredanus, Senator Venetus, cuius ſocius fuit Angelicus Aproſius.

Prodiit

Prodiit de eadem liber, cui titulus: *Le glorie de gli Incogniti, overe gli huomini illustri dell' Academia dei Signori Incogniti di Vinetia, in Vinetia*, *1647. 4.* Huius libri auctorem Labbeus ipsum Loredanum facit, licet alii de eo dubitent. Pro symbolo habent Nilum, cum inscriptione: *incognito e par noto.* Præter hanc, alii apud Venetos Academici *I Filaleuterii*, *I Peregrini*, *gl' Academici della notte*, *Gli instaurabili*, *Academia Venatorum*, *Academia Historico-Theologica*, cuius conuentus in templo S. Mariæ matris Dominæ instituti solent. *Societas Panctetica*, cuius auctor est Marcus Antonius di Castagna. Præ cæteris laudanda *Societas Argonautarum Geographica.* Hæc ad emendandum globum terrestrem æque ac cœlestem, atque mappas Geographicas iuste concinnandas fuit instituta. Societatis Caput est Vincentius Coronelli, cuius curæ Dalmatiæ, Epiri, Moreæ atque Archipelagi descriptionem debemus, cui socius est P. Parisottus, Historiographus. Symbolum academiæ terræ globus cum naui, maria secante, cui inscriptum: *plus vltra.* Cœpit anno 1682 *Academia del Signore Sarotti*, Senatoris Veneti, quæ rerum naturalium arcana indagare sibi proposuerat, ista vero cum Sarotti in Angliam legatione desiit. Alios, qui in illa vrbe fuerunt, academicos, enumerat Morhofius Polyhistore, p. 145, quales sunt *Allettati*, *Approuati*, *Cortesi*,

della Calza, *Disgiunti*, *Disingannati*, *Immaturi*, *Intricati*, *Maritimi*, *Securi*, *Assecurati*, *Suegliati*, *Discordanti*, *Gussoni*, *Accesi*. Horum autem non nisi nomina amplius sunt nota.

§. VII.

Venetorum vrbs est Patauium, quæ æque societatibus suis clarissima. Noti apud eosdem *Gl' immaturi*, *Gl' anheliti s. aspiranti*, *Gl' eleuati*, *Gl' infiammati*, *Gl' orditi*, *I Seraphici*. Societatem academicorum *I Constanti* equites Patauini anno 1556 instituerunt, eo fine, vt liberi illorum in omni elegantiorum artium studio informarentur. Inter præcipuas referenda est Academia illorum, qui dicuntur *I Ricouerati*, quæ ex alia antiquiori, quæ *Delia* dicebatur, cœpit, per Carolum Patinum magis fuit illustrata. Ista adhuc hodie magni est momenti, atque recipiuntur in eandem etiam exterorum eruditi & sequioris sexus personæ. Alii ibidem memorantur academici, vtpote *Ætherei*, a Scipione Gonzaga instituti, *Animosi*, ab Ascanio Martinengo, de quibus duæ extant orationes ANTONII RICCOBONI, quarum prior est de primordiis academiæ animosorum, altera de insigni eorundem.

§. VIII.

Apud Vincentinos clari *I Resorati*. Apud Veronenses *Gl' Olympici*, *I Temperati*, *I Constantes*, *Gl' Insensati*, *I Refloridi*, *Philarmo-*

nici

nici & Aletophili, quæ academia anno 1606 inſtituta ad indagandas res naturales atque medicas. Brixienſes habent academicos *Gl' Occulti*, *Gl' Erranti*, atque academiam *Philo-exoticorum* naturæ & artis, cuius acta 1686 fuerunt publicata. Apud Bergamenſes nota Academia *della penna*. Apud Taruiſinos *Perſeuerantes*, *Sollicit* & *Coſpirati*.

§. IX.

A Venetis progredimur ad *Romanos*, non minus ſocietatibus ſuis celebres. *Lynceorum* academia a lyncis ſymbolo ſic dicta, auctorem habet Angelum Ceſium, Friderici filium. Sub initium ſuperioris ſeculi fundata, naturalem potisſimum hiſtoriam ſibi proponens, ſed cum eius morte 1630 deſiit. Altera eſt *Humoriſtarum*, in nuptiis Laurentii Manzini ſuaſu Caſparis Saleciani a Paulo Manzino, patricio Romano, inſtituta, teſte Erythræo pinacotheca I. n. 13 & 14. Symbolum habet nubem ex mari aſcendentem, cum inſcriptione: *redit agmine dulci*. Hæc inter ſocios etiam Gabrielem Naudæum & Nicolaum Fabricium Peireſcium vidit. Alii ſunt, *Phantaſtici*, *Infæcundi*, in oratorio Patrum Barnabitarum anno 1650 inſtituti, *de gl' intrecciati*, qui pro auctore adgnoſcunt Ioſephum Carpanum, Profeſſorem Collegii Sapientiæ Romanum, qui etiam de eadem publicauit, Faſtos Academiæ legalis Intrecciatorum,

Par-

Parthenici, ſ. della Aſſumpta Collegii S. I. Congregati, quorum potisſimum erat inſtitutum compoſitio Diarii, quod poſtea Romanum fuit dictum; & *Gl' Arcadi*. Præterea aliæ celebrantur, illa in palatio Cardinalis Sabaudici, in Palatio Alphonſi Gontzagæ, in Palatio Apoſtolico, Academia Gallica, Reginæ Chriſtinæ & Ioannis Ciampini Societas Phyſico-Mathematica.

§. X.

Plures adhuc in terris Papalibus Academici. Viterbi quidem *Obſtinati*, Peruſiæ *Gl' Inſenſati*, Spoleti *Obtuſi*, Fabriæ *Diſuniti*, Maceratæ *Catenati*, Firmi *Gl' Affrontati*, Anconæ *Caliginoſi*, Vrbini *Gl' Aſſorditi*, Eugubi, *Gl' Addormentati*. In Fano Fortunæ *Scompoſti*, *I Perſeueranti*, Arimini *Gl' Adagiati*, Cæſenæ *Offuſcati*, Rauennæ *Gl' Informi*, *I Siggi*, *Gl' Excitati*, *I Concordi*, Faenzæ *Filipponi*, Ferraræ *Intrepidi*, *Filareti*.

§. XI.

Nec minor numerus Academicorum eſt apud Bononienſes. Antiquisſima eſt *Sitientium*, quæ ab Celſo Socino, Iureconſulto 1 Maii 1454 fuit inſtituta. Symbolum erat mons Helicon, arboribus inſtructus, quæ a Caſtalionis fonte inundabantur, cui inſcriptum *non diu ſitient Sitientes*. Ex hac poſtmodum academia celeberrimi prodierunt Iureconſulti. Alii ſunt *Idomiti*, *Academici della*

Net-

Nette, qui Franciſcum Bentiuoglium auctorem habent, *I Gelati*, *I Seluagi*, *I Confortati*, *I Veſpertini*, *I Deſti ſ. della Viola*, *I Sonachioſi*, *Gl' Otioſi*, *Gl' Ardenti*, *Gl' Inhabili*, *Gl' Vnanimi*, *Del. Sig. Archi-Diacono*, per Carolum Bentiuoglium inſtituti, *omnium ſcientiarum*, ſocietas per Ioannem Dominicum Casſini erecta, *Della Traccia* ſ. indagantium, quæ experimenta physico-Mechanica pro ſcopo habet. *Marſiliana*, quæ ſibi Hiſtoriam eccleſiaſticam propoſuit, atque *Marſiliana* alia, pro Philoſophia experimentali.

§. XII.

Otioſorum academia Neapolitana Ioannem Baptiſtam Manſum, Villæ Marchionem habet auctorem. Ibidem quoque fuere academici *Ardentes*, *Errantes*, *Sirenes*, *Otioſi Intronati*. In Sicilia apud Mesſinenſes academia *della Fucina* claruit, cuius ſocii dicebantur *Fucinanti*. Apud Mediolanenſes floruerunt *gl' Intenti*, *I Naſcoſti*, *I Transformati*. Papiæ *Gl' Affidati* & *Cluavigeri* Alexandriæ *Gl' Immobili*. Licet ex omnibus iſtis pauciores adhuc ſuperſint. Propoſitum non omnibus idem eſt, vel enim ad noua inuenta, vel artes quasdam & experimenta, vel quod potisſimum eſt, ad poëſin faciunt, hiſtoriam & elegantiora. Numerus non in omnibus eſt certus, nec ſtatus ſemper, nec patriæ habetur ratio, quin etiam exteri admittantur. Habet

bet quæuis Academia Directorem principemque ſuum, qui & fundator eſt, vel ex eius familia. Certos in deſtinato loco habent conuentus, proponunt in iisdem, quæ erudita, admittuntque auditores.

§. XIII.

Apud Florentinos *Academia Florentina* adhuc celebrata. Cum enim ſtudioſi aliquot iuuenes Florentiæ d. 1 Nouembris anno 1540 in domo Ioannis Mazzuoli conueniſſent, oborto forte ſermone de lingua Etruſca, conſtitutum ipſis fuit, vt eius excolendæ cauſſa, per certa dierum interualla in vnum congregarentur, nouellamque academiam fundarent. Facto inde conſeſſu d. 14 Nouembris 1540, placuit ſingulis, vt myſterioſo *Humidorum* nomine inſignirentur. Creuit iſta academia magno ſociorum numero, certis etiam legibus præſcriptis, quarum non vltima eſt, quæ ſingulis diebus Solis & Iouis, Lyricum aliquod poëma Petrarchæ, priuatim inter ipſos prælegi iubet, & libros potiores in linguam Italicam transferre. Tribus elapſis menſibus in clientelam ſuam eandem recepit Coſmus I Magnus Etruriæ Dux, eandemque ſine alio cognomine Academiam Florentinam adpellari voluit. Hic etiam loco conuentibus primum in palatio ſuo, poſt in domo Conſilii Ducentorum adſignato, Conſulis, Cenſoris & Conſiliariorum officia illi aptari permiſit, ita quidem, vt penes

Con-

Conſulem omnis auctoritas ac iurisdictio academica, quæ antea penes Rectorem, esſet. In ſuis inſignibus Academia oſtentat fluuium Arnum imagine ſenis, qui in herba recumbit, vrnæque aquam copioſe effundens cubito innititur: laurum item, leonem, ac Capricornum cum verbis *Academia Florentina*, atque multo adplauſu adhuc hodie frequentatur. Prodierunt de eadem *Notitie Letterarie ed Iſtoriche, ſiue Notitiæ Litterariæ & Hiſtoricæ de viris illuſtribus Academiæ Florentinæ pars I, Florentiæ 1700. 4.* Auctores ſunt Laurentius Gherardini, Ferdinandus Biliotti, Nerus Scarlattus & Robertus Marucellus, qui auctoritate Iacobi Rillii, Conſulis academiæ, partitis inter ſe operis laborem ſuſceperunt. Hi autem non hiſtoriam ſolum Academiæ deſcribunt, ſed viros etiam, qui vnquam in eadem claruere. Inter hos, potiores nominare liceat Ioannem della Caſa, Benedictum Accoltum, Maffeum Barberinum, Ioannem Baptiſtam Donium, & alios. Recenſionem huius notitiæ præbent Acta Eruditorum anni 1701. p. 501, & Memoires de Treuoux Ianuarius Anni 1703 art. V.

§. XIV.

Alii Florentinorum Academici ſunt *Gl' inegali*, *I Peregrini*, *Gl' Apathiſtæ*, qui Benedictum Florentium Auctorem agnoſcunt, *Gl' Immobili* per Cardinalem Ioannem de Me-

Medices instituti, atque theatri operibus clari, *I Rinouati* comœdiis noti, *Gl' Alterati*, *Gl' infecati*, *Furfurarii s. della Crusca* nomen habent & symbolum a furfure, quod disputationibus suis farinam puriorem a furfuribus siue erroribus secernerent. Propositum illorum est cultura linguæ Italicæ. Academia *del Cimento*, s. Experimentalis, ab Leopoldo de Medicis olim erecta pro experimentis physicis & Mathematicis & Academia della Pittura.

§. XV.

Florentini Magni Ducis est Senensium vrbs, in qua reperiuntur *Gl' Intronati*, qui cœperunt 6 Nouembris 1525. Auctores erant sex nobiles, qui hac academia oratoriam atque poësin latina non solum, sed etiam Græca lingua excolere tentarunt, constituto postmodum Cancellario & Censore, qui errores corrigeret. Sunt præterea *I Trauagliati*, *I Desiosi*, *Gl' auualorati*, *I Filomati*, *Academia Phisico-Critica*. Pisanorum sunt *Gl' Accesi*, *Cortonensium*, *Gl' Humorosi*.

§. XVI.

Apud Parmenses sunt *Gl' innominati* & Societas Diarii Parmensis. Apud Modenenses *I Speranti*. Apud Mantuanos *Gl' Inuaghili*, Casali *Gl' Illustrati*. Apud Luccenses *Gl' Oscuri* & *Freddi*. Apud Genuenses *De gl' addormentati*.

§. XVII.

§. XVII.

Italorum exemplo fuerunt incitati Galli. Hi priuatis primum curis Musea cœperunt, post, publica auctoritate continuata. Cœptus enim fuit primus eruditorum conventus anno 1616 apud Thuanum, Parlamenti Parisiensis Præsidem. Institutum aliud non erat, nisi quod eruditi, quibus libera accedendi facultas, stato tempore conuenirent, & quæstionibus propositis de variis rebus ad eruditionem & litterariam rem facientibus inuicem differerent. Hoc licet anno 1617 mortuo, Puteani tamen fratres idem institutum in ipsius ædibus ad annum 1643 vsque continuarunt. His autem Puteanis fratribus, Petro & Iacobo, post Nicolai Rigaltii secessum, bibliotheca regia cum esset demandata, in eandem quoque hos eruditorum conuentus transtulerunt. Post horum obitum, in ædibus Thuani iunioris primum continuati, postea apud Dominum de Salmon, atque hoc anno 1680 defuncto, apud Dominum de Viluault, Consiliarium Regium & supplicum libellorum Magistrum. Ad huius tamen exemplum alii quoque eruditorum conuentus Parisiis fuerunt instituti apud Ægidium Menagium, Abbatem de Dangeau & Dominum de Herbelot, Bignonium & Ioannem Vaillantium, licet vltimæ istæ, antiquitates & rei nummariæ studium

pro ſcopo habeant. Harum ſocietatum notitiam nobis præbuit CLAVDIVS NICASIVS in libro, quem inſcripſit *Les Sirenes, où diſcours ſur leur forme & figure, à Paris 1691. 4.*

§. XVIII.

Priuatis primum curis anno 1629 cœpit *Academia Francica*, quæ auſpiciis Cardinalis Richelii anno 1635 erecta ad euehendam linguæ Gallicæ & ſimul gentis maieſtatem. Priuatis hæc primum auſpiciis in ædibus Conrarti, qui poſtea, dum vixit, in ea Secretarii munere fuit functus, cœpit, ſed Protectore Richelio, anno 1635 publica auctoritate fuit ſtabilita: ita, vt eius ſocii, numero quadraginta regulariter, [e quorum medio vnus Director, vnus Cancellarius, & Secretarius vnus eligitur,] egregiis ſimul priuilegiis fuerint mactati: nacti quippe non modo immunitatem ab excubiarum ac tutelarum onere, ſed & fori priuilegium, quod *Droit de Committimus* vocitant, vi cuius non niſi coram Senatu Regio conueniri queant. Tribus per hebdomadem vicibus in Luparenſi arce, quæ Pariſiis eſt, ſuos horis pomeridianis conuentus celebrant: colloquio vero finito, diſcedentibus, qualibet vice quadraginta diſtribuuntur argentei nummi [*iettons*] vna facie Regis effigiem repræſentantes, cum Gallica inſcriptione: Louis XIV Roi de France & de Nauarre; altera vero hæc verba

circa

circa marginem: *Protecteur de l' Academie*, & in medio corollam lauream, cui inſcriptum eſt *a l' Immortalité*, ea quidem conditione, vt præſentes abſentium portionem participent. Ad cooptandum collegio nouum ſocium opus eſt, vt viginti ad minimum præſentes adſint: exturbari vero ſemel receptus nequit, niſi quid admiſerit bono & honeſto viro indignum: nec hactenus niſi duo extitiſſe exempla ex collegio hoc remotorum dicit Richeletus, alterum quidem in Granerio quodam, ob interuerſum depoſitum ſibi concreditum: alterum in Fureterio, ob imputatum maxime crimen plagii litterarii, commiſſi in magno Dictionario, vti hæc ex Petri Richeleti notis, additis *les plus belles lettres des Meilleurs auteurs François*, *Amſtelodami 1690. 12*, editis habent Acta eruditorum anni 1690 p. 281, quorum verbis fuimus vſi. Hæc autem ſocietas ad puritatem & maieſtatem Gallicæ linguæ fuit inſtituta, atque in eadem triumuiris iſtis Vaugelaſio, Bouhourſio & Menagio plurimum debet, prout etiam auctor libri. *Le Genie de la langue Françoiſe*, *à Paris 1685. 8* demonſtrauit pluribus. Protector Academiæ olim Richelius erat, atque eodem mortuo, ipſe Galliarum Rex, Director, Cancellarius olim Seguierius. Huic præſidium competit, vt vota colligat, & membrorum opiniones, Cancellarius ſigilla ſeruat Academiæ, Se-

cretarius omnia designat. Inter membra potiora numerat Bossuetum, Perraltum, Flechierium, Gallesium, Huetium, Verium de Crecy, Boileau, Corneille, de Callieres, Renaudotum, Fenelonum, Bignonium, Cousinum. Scripsit *Historiam Academiæ Francicæ* gallico Idiomate PAVLVS PELISSONVS, *Hagæ Comitum 1687. 12.* Qua originem, statuta, modum conuentuum, personas & memorabilia alia huius academiæ describit.

§. XIX.

Altera Gallorum est *Academia Inscriptionum & Numismatum.* Hæc mense Februario anni 1663 fuit instituta, vt in Historia regni per monumenta illustranda occuparetur. Sed cum quatuor vel quinque personæ primum eandem constituerent, auxit eorundem numerum Rex, vt inposterum essent quadraginta Academici, decem Honorarii, decem Pensionarii, decem socii & decem eleuati, ita quidem, vt Galli essent, aliquot tamen loci etiam extraneis relicti. Præses est Abbas Bignonius. Institutum horum, vt toti essent in indagandis atque illustrandis statuis, nummis aliisque monumentis tum antiquitatis, tum æui recentioris, maxime vero ad monumenta Gallicana & ea, quæ ad Regis gloriam faciunt. Ita enim art. XIX du Reglement *L' academie des Inscriptions doit s' appliquer incessament à faire des medailles sur*

les

les principaux evenemens de l' Histoire de France, ſous tous les regnes iusqu' a l' origine de la Monarchie, & a composer les descriptions historiques desdits evenemens, par rapport ausquels les Medailles auront eté faites. Rex ſibi reſeruat per ſingulos annos Præſidem, huiusque deſignare vicarium, Secretarius vero & Theſaurarius perpetui ſunt. Reliqui ab ipſis membris eliguntur, cuius regulas conſtitutio Regia præſcribit. Numisma huius inſtaurationem indicat, cuius prima facies Regem repræſentat, addita hac inſcriptione *Ludouicus Magnus Rex.* Auerſa pars Muſam habet dextra manu lauri coronam præ ſe ferens, addita columna & Obeliſco inſcriptionibus repleto; cum inſcriptione: *Vetat Mori.* Infra ſcriptum legitur: *Regia Inſcr. & Numism. Academia MDCCI.* Recentiora huius Societatis membra deſcribunt Memoires de Trevoux Sept. 1703. art. XLI & Febr. 1703 art. II. Inter hos Ioannes Mabillonus, Dacherius, Felibianus, Vaillant, Fontenelle, Pouchardus, Vertotus, Corneille, ſunt præcipui. Conſtitutionis die XVI Iulii 1701 publicatæ, contenta exhibet Iournal des Sçavans anni 1702. p. 7, atque inſeruntur Gallorum ephemeridibus hinc inde diſcurſus varii in dicta academia habiti, iidemque perquam eruditi.

§. XX.

Alia apud Gallos eſt *Regia ſcientiarum*

Academia, quæ Regis auctoritate anno 1666 primum fuit instituta, & quidem non ad physicas solum & mathematicas disciplinas, sed historias etiam & politiores litteras. Sed cum Historiæ exercitium statim deficeret, humaniorum litterarum vero, cum illa Academiæ Francicæ iungeretur, sola remansit Geometrarum & Physicorum Academia, quæ die 22 Decembris anni 1666 per Colbertum fuit inaugurata, hoc instituto, vt omnes cum Geometræ, tum Physici bis in vnaquaque hebdomade vna conuenirent: sic tamen, vt die Mercurii, quæ ad Mathesin, die Sabbathi, quæ ad Physicam spectant, tractarentur. Auxit membrorum numerum Rex anno 1699, vsque ad septuaginta, ita, vt præter alios decem essent honorarii, decem pensionarii, decem socii & decem eleuati, protectione Domino de Pontchartrain demandata, qui præsidem elegit Abbatem Bignonium. Sociorum etiam numero ex Germanis adscriptos nouimus Leibnützium & Tschirnhausium. Varia ab iisdem quotidie producuntur experimenta, sumtus ad eadem rege largiter erogante. Regiæ huius scientiarum Academiæ Historiam descripsit IOANNES BAPTISTA du HAMEL, *Parisiis 1698. 4* recusam *Lipsiæ 1700. 4*, hac originem & progressum Academiæ, variasque dissertationes & obseruationes per triginta annos factas, experimenta etiam physica,

ſica, atque mathematica in certum ordinem digesſit. In quatuor libros diuiſa hæc eſt Hiſtoria, primus acta ab anno 1666 ad 1675 comprehendit, alter ad annum 1684, tertius ad annum 1692, quartus ad annum 1696 vsque progreditur. Continuauit eandem FONTENELLE anno 1699, quo ipſo anno etiam hæc academia, cum paullatim euaneſceret, denuo fuit reſtituta, *Pariſiis 1702. 4*, poſtea ad annum 1700, *Pariſiis 1703. 4*, ad annum 1701, *Pariſiis 1704. 4.* Huius autem ideo mentionem facere voluimus, cum non ſolum in Gallorum ephemeridibus, ſed etiam Bernardi nouis litterariis huius frequens fiat mentio.

§. XXI.

Vt taceam Academiam Architecturæ, Picturæ, Naualem, atque alias. Sic etiam ad Pariſienſis imitationem habent prouinciæ ſuas academias. Talis eſt illa *Arelatenſis*, quæ anno 1669 cœpit, apud *Sueſſiones* anno 1675. *Nemauſi* 1682. Noua haut ita pridem apud Cadomenſes erecta fuit Academia, de qua nos Nouvelles de la Republique des lettres docent Iulio 1705. p. 111. *On voit ici (Paris) vne Brochure intitulée Lettres Patentes avec le Statuts, pour l' Académie de Belles Lettres, établie en la ville de Caen 1705 in 4. Outre les Patentes & les Statuts, il y a le Diſcours, que Mr. Foucault, Intendant de Baſſe Normandie & Con-*

seiller d' Estat, qui est Protect.ur de cette nouvelle Académie, prononca à l' ouverture de la premiére seance de l' Académie, le 2 Mars 1705, avec la Réponse de Mr. le Président de Croisilles. On voit ensuite la Liste des Academiciens, qui sont au nombre de trente, en comptant Mr. Foucault Protecteur & cinq surnuméraires, Savoir le Prieur de S. Etienne, Moine Benedictin, vn Pere de l' Oratoire, le P. de Vitry Iesuite, vn Cordelier, Docteur de la Faculté de Pais, & vn Dominicain.

§. XXII.

De Societate Anglorum Regia dictum iam fuit superius, vbi de ephemeridibus eruditorum sermo esset. Sed præter hanc alia Londini celebratur *Societas Atheniensis*, quæ omnes quascunque quæstiones resoluendas sibi proponit, de qua alias nihil constat, nisi quæ Bernardus Nouis Reipublicæ Litterariæ inseruit mense Iulio 1703 p. 100. *Il y a huit ou dix ans qu' on publioit ici (Londres) vne ou deux fevilles volantes toutes les Semaines sou le Titre de Mercure Athenien. C' étoit vne espéce de Iournal, ou l'on pretendoit entr' autres Choses resoudre toutes les questions qu' on proposeroit sur les Arts & sur les Sciences. On vient de faire vn Reçueil de toutes ces Questions & d' en compóser deux gros in 8 intulez.* The Athenian oracle &c. *C' est à dire; L' Oracle de Athénes, ou Recueil complet de toutes les questions & les Réponses les plus considérables, qui se trouvent dans l' Ancien Mer-*

Mercure Athenien: avec plusieurs points de Théologie, d' Histoire, de Philosophie, de Mathematique d' Amour, & de Poësie, qu' on n'avoit point encore traitez, & vne Table Alphabétique &c. par vn Membre de la Societe Athenienne. Il y à bien de pauvretez dans tout cela.

§. XXIII.

Apud Suecos notissimum est *Collegium Antiquitatum Vpsaliense.* Huius iamdum fundamenta iecit Christina, potiora tamen eiusdem debentur Carolo Gustauo, successori. Huius instirutum solum est, antiquitates & linguam Gothicam illustrare, constituto certo præside atque Adsessoribus, in quo etiam tantum iam profecerunt, vt multa parum cognita illustrauerint.

§. XXIV.

Vltimum est, vt de societatibus Germanorum litterariis aliqua dicamus Prima est *societas Frugifera Teutonica*, dicta *der fruchtbringende Palm - Orden.* Cœpit ista in aula Vinariensi anno 1617, primam eiusdem ineundæ occasionem præbente Caspare Teutlebio, supremo aulæ Mareschallo. Potissimum societatis erat institutum, Germanicæ linguæ promouere præstantiam, ligato non solum, sed etiam prosaico sermone. Socii omnes singulari nomine ornabantur. Primum Societatis caput erat Ludouicus Anhaltinus, cui suffectus Wilhelmus Dux Saxoniæ, atque

hoc demortuo Augustus, Saxoniæ Dux, Archiepiscopatus Magdeburgici Administrator. Magno adplausu non solum, sed fructu etiam hæc societas vbique proferebatur, vt in eandem recipi peterent tot illustres etiam personæ, sed, cum reperirentur nonnulli, qui reiectis verbis peregrinis omnibus, non nisi Germanicæ saltem originis verbis vti vellent, atque eo multa ridule cogerent, sensim desiit hæc Societas tam illustris, & cum morte Augusti plane cessauit. Historiam istius scripsit Georgius Neumarck *im neusprossenden teutschen Palm-Baum, Nürnberg 1670. 4*, & *kurtzer Bericht von der fruchtbringenden Gesellschafft Vorhaben, auch dero Nahmen, Gemählde und Wörter in achtzeilige Reimgesetze verfasset*, & IOACHIMI FELLERI oratio *de fratribus Calendariis*, cum notis Christiani Francisci Paullini.

§. XXV.

Sequitur *Collegium Naturæ Curiosorum*, siue *Academiæ Leopoldinæ*. Consilium primum de instituenda ad Anglorum imitationem societate cœpit Ioannes Laurentius Bauschius, Suinfurtensis medicus, qui omnes vndique Medicos inuitauit ad communicandas inuicem obseruationes rariores. Hoc cum adprobaretur medicis eruditis, præsidem eundem eligebant, sed non nisi post ipsius mortem plene fuit stabilitum hoc collegium per

Ioannem Michaelem Fehrium, accedentibus sociis ex omni Germaniæ parte, qui symbolas suas conferrent; atque iisdem rariores obseruationes, medico-chymicas declararent. Annus primus Ephemeridum Medico-Physicarum Germanicarum Curiosarum prodiit *Lipsiæ 1670. 4.* Annus erat 1687, cum ipse Leopoldus Imperator hanc Societatem sua protectione dignaretur, diuersa eidem priuilegia concedens, atque inter hæc, quod Præsides & Directores Collegii Comites essent Palatini atque Nobiles Sacri Romani Imperii. Continuarunt postea *Miscellanea* sua *Curiosa*, siue *Ephemerides Medico-Physicas Germanicas Academiæ Cæsareo Leopoldinæ Naturæ Curiosorum vsque ad Decuriæ Tertiæ annum septimum & octauum anni 1699 & 1700, Berolini 1702* editum, quibus continerentur obseruationes variæ, eædemque rariores, quæ vel ad Physicam, Botanicam, Chymiam atque Anatomiam facerent. Prodierunt de eadem *Salue Academicum, vel iudicia & elogia super recens adornata academia naturæ Curiosorum, 1662. 4,* & *Progressus Academiæ Naturæ Curiosorum Catalogo Patronorum & Collegarum expressus a* GEORGIO WOLFFGANGO WEDELIO, *Ienæ 1680. 4.*

§. XXVI.

Vtilissimum foret, quod olim proponebatur *Collegium Imperiale Historicum*, si consiliis

filiis euentus respondisset. Historiam eiusdem, prout eandem ex Tentzelio potissimum hausimus, breuiter exponemus. Annus erat 1670, cum illustris Boineburgius Baro animo concepisset Collegium vniuersale Eruditorum, quo socii sibi inuicem communicarent, quidquid per litterarum commercia percepissent. Hoc vero institutum cum Boineburgii morte euanuit. Aliquot praeterlapsi erant anni, cum Christophorus Bernardus, Monasteriensis episcopus, Christiano Francisco Paullini, Medico atque Historico suo mandaret, vt omnem Corbeiensis Abbatiae Historiam indagaret, quod ipsum, dum plurima Manuscripta inquireret, ansam ipsi dedit, vt Collegii Imperialis Historici ideam primum animo conciperet. Hinc, communicatis cum variis eruditis, maxime vero Sagittario & Schmidtio nostro consiliis, cum horum adplausum animaduertisset, primum *delineationem Collegii Imperialis Historici* publicauit, quae Ratisbonae statim atque Altdorfi fuit recusa. Facile hoc institutum probabatur a singulis, nec deerant etiam, qui illud vel promoturos sese, vel manum operi admoturos testabantur. Quod ipsum Paullinum commouit, vt noua de eodem collegio propositione publicata, leges eiusdem euulgarentur, quae in eo constabant, vt Praeses eligeretur, quod munus Hiobo Ludolpho delatum,

cui

cui adessent ex quouis Germaniæ circulo adiuncti, socii eligerentur doctissimi viri, qui partitis inter se operis, vniuersalem Germaniæ historiam conderent, atque omnia agerent communicato consilio. His paterent archiva, haberent isti suos conuentus, constituerentur salaria, atque hæc omnia sub speciali protectione Imperatoria. Sed ob Martis negotia, quæ hucusque Germaniam nostram turbarunt, successu adhuc caruit hoc ipsum Collegium, quod tamen ob eximiam, quæ inde redundare posset, vtilitatem, omni studio esset promouendum. Historiam Collegii & quid de eo actum, ipse descripsit Paullini in litteris suis ad Tentzelium, quæ insertæ reperiuntur Colloquiis menstruis anni 1689 p. 535 & 1690 p. 462.

§. XXVII.

Berolinensium Regia splendore suo vbique superbit. Inter priuatas curas referendi eruditorum conuentus in ædibus illustrissimi Spanhemii. In his enim stato tempore conueniebant socii, inuicem collocuturi de variis eruditorum rebus, libris apud exteros recens editis, nouis litterariis, & quæcunque ad litterariæ rei facerent culturam. Admittebantur ad audiendum, quotquot Berolinum veniebant eruditi, propenso in studia fauore. Verum, desiit hic conuentus celebratissimus, postquam a Rege suo ad Gallos, Bel-

gas

gas Anglosque missus esset Spanhemius.

§. XXVIII.

Aliquot sunt anni, cum Regiis Curiis *Academia Scientiarum*, atque artium in eadem sede regia instituereretur. Erecta ista fuit publico diplomate die XI Iulii MDCC. Instituti campus latissime patet, cum suo ambitu non vniuersam modo Mathesin cum Mechanica, philosophiam naturalem & versantes circa tria naturæ regna disciplinas; sed antiquitates etiam & eas litteras, quæ ab humanitate nomen acceperunt, historiam quoque Ciuilem & ecclesiasticam, Germaniæ inprimis complectatur, ita, vt Teutonicæ quoque linguæ iuuandæ, emendandæ ac perpoliendæ ratio inprimis habeatur. Patrocinium Societatis sibi seruauit Rex Potentissimus, atque eam ex Præside, consilio & membris constare voluit, addito etiam, qui Societati esset a secretis. Præsidis munere fungitur illustris vir, Gothofredus Guilielmus Leibnützius. Assessores vel ex prouinciis regiis vel exteris cooptati, constitutis etiam certis salariis. Pleniorem huius Academiæ Historiam nobis exhibet Epistola ad Nobilissimum Wittium, consiliarium Regium de eadem scripta atque vna cum diplomate regio inserta Actis Eruditorum mensis Aprilis MDCCI p. 175. Tacemus nouam equestrem Academiam, quæ auspiciis Regiis superiori anno in eadem sede Regia fuit instituta, de quo singulare extat Diploma.

§. XXIX.

§. XXIX.

A publicis iſtis ad priuatas alias, Academiarum maxime, nos vertimus, inter quas occurrit *Collegium Gellianum* Lipſienſe. Primi eiusdem auctores fuerunt Caſpar Zieglerus, Ioannes Strauchius & Ioannes Schilterus, qui adſumtis ſibi ſociis, ſtato tempore conuenerunt, de variis ad omnem litteraturam ſpectantibus inter ſe collaturi. Aſt, euanuit poſtmodum hæc Societas, licet ex eiusdem Collegii radicibus exorta poſtmodum fuerit Societas Collectorum Actorum Eruditorum, quæ magno adplauſu adhuc conſeruatur.

§. XXX.

In hac academia anno 1672 inſtituebatur *Societas Pythagorea.* Auctorem illa habebat Erhardum Weigelium, coëuntibus in ſocietatem magiſtris quibusdam eruditione claris, qui ſtato tempore conuenientes, ſymbolas inter ſe conferebant, ſelectas tractantes quæſtiones, inter quas Tetractys iſta ab ingenioſiſſimo Weigelio inuenta, quæ tetracty Pythagoreæ reſpondebat, ad inquirendum vlterius proponebatur. Hinc Pythagorea hæc ſocietas *primum diſceptationum ſuarum ſpecimen* vlteriori curioſorum induſtriæ publice expoſuit *Ienæ 1673. 4*, in eodemque Tetractyn Weigelianam proponit. Adnexa eſt epiſtola IOACHIMI HENRICI HAGE-

NII

NII, in qua ſocietatis continetur hiſtoria.

§. XXXI.

Eodem anno cœpit quoque in hac academia *Societas*, dicta *Disquirentium*, a celeberrimo Polyhiſtore, Ioanne Andrea Boſio inſtituta, & poſt huius mortem, Præſide Ioanne Schiltero, atque hoc Ienam derelinquente, a Ioanne Andrea Schmidtio, viris conſummatisſimis, continuata. Conueniebant in eo Societatis Collegæ, quos conſtituebant Doctores & Magiſtri huius academiæ, recenſentes varios libros, nouos æque atque antiquos, potiora quoque in certos libros referentes. Nihil vero ex hac ſocietate actis eſt editum.

§. XXXII.

Nouam Societatem, *Scrutantium* dictam anno 1699, Kiloni cœpit Ioannes Burcardus Maius. Societatem hanc conſtituunt Præſes & membra, qui bis per hebdomadem in ædibus Maii conueniebant, de omnibus rebus, quæ ad Hiſtoriam litterariam faciunt, inter ſe agentes. Integrum relinquebatur omnibus, qui diſcurſus iſtos audire vellent. Edita ex hac ſocietate ſunt *Acta Litteraria ſocietatis ſcrutantium in academia Kilonenſi, Sereniſſi-*

renissimi Principis ac Domini Friderici IV, Hæredis Norvvegiæ, supremi Ducis Slesuic. Ducis Holsatiæ &c. clementissimo indultu recens instituta: in quibus, quidquid ad veram elegantemque litteraturam spectat, succincte traditur, Kiloni 1699. 4.

CAPVT VNDECIMVM
ATQVE VLTIMVM
DE
ORIGINE TYPOGRAPHIÆ, TYPOGRAPHIS, BIBLIOPOLIS ET CORRECTORIBVS.

§. I. *De Scriptoribus ad historiam typographiæ & typographorum facientibus.* §. II. *Sententia Zamoscii, qui Scythas auctores typographiæ facit, examinatur.* §. III. *Sinenses an pro inuentoribus habendi, disquiritur.* §. IV. *Harlemenses qua ratione dici possint inuentores.* §. V. *Germani rudem Harlemensium artem expoliuerunt.* §. VI. *Moguntini primi auctores.* §. VII. *Ioannes Gutenbergius inuentor typographiæ, sumtus præbente Ioanne Fausto.* §. VIII. *Ratio inuentæ artis breuiter exponitur.*

 §. IX.

§. IX. Vnde Io. Fausto & Petro Schöffero attribuatur typographiæ inuentio. §. X. Controuersia inter Faustum & Gutenbergium coorta, quilibet separatam instituit typographiam. §. XI. Fatum, quod cum libris suis ab initio Parisiis habuit Faustus. §. XII. Refutantur illi, qui Nicolaum Iansonium auctorem faciunt. §. XIII. Neque Argentoratensibus prima tribuenda est inuentio. §. XIV. Quo anno hæc ars typographica fuerit adinuenta. §. XV. Romam hanc artem introduxerunt Germani duo, Conradus & Arnoldus. §. XVI. Venetiis præter Nicolaum Iansonium clari Manutii. §. XVII. Daniel Bombergius excusis libris Hebraicis celebris. §. XVIII. Reliqui typographi, qui Venetiis fuerunt clari, recensentur. §. XIX. Antonius Bulifonius bibliopola Puteolanus. §. XX. Typographia Vaticana. §. XXI. In Galliis clari Stephani. §. XXII. Adrianus Turnebus typographiæ regiæ præfectus. §. XXIII. Morelli & reliqui apud Gallos typographi. §. XXIV. Wæchelii apud Gallos & qua ratione in Germaniam venerint. §. XXV, Iodocus Badius & Gryphii apud Lugdunenses, §. XXVI. Alii Typographi Lugdunenses. §. XXVII. Stephanus Doletus, Gryphii & alii clari apud Lugdunenses typographi. §. XXVIII. Typographi Basileenses, Frobenii, Ioannes Oporinus, Henricus

ricus Petri, Ioannes Amerbachius & alii. §. XXIX. *Antvverpienses Plantini, Ioannes & Balthasar Moreti, Michael le Iaye & alii.* §. XXX. *Hubertus Goltzius, Brugensis.* §. XXXI. *Franciscus Raphelengius, Elzeuiriorum & Hackiorum, aliorumque officinæ Lugduni Batauorum.* §. XXXII. *Amstelodamensium Elzeuirii, Iansonii, Blavii, Henricus Wetsteinius, Huguetani.* § XXXIII. *Cornelius a Beughem Embricensis.* §. XXXIV. *Anglorum theatrum Scheldonianum.* §. XXXV. *Apud Germanos typographia Wecheliana, & hæredum, Aubrii & Marnii celebris est.* §. XXXVI. *Typographia Commeliniana.* §. XXXVII. *Arnoldus Mylius, Godefridus Hittorpius & Garvvinus Calenius, aliique Colonienses typographi.* §. XXXVIII. *Simon Pauli bibliopola Argentoratensis.* §. XXXIX. *Bibliopolia nostro tempore celebriora apud Germanos.* §. XL. *Correctores olim celebriores.* §. XLI. *Quantum typographia nostræ ætatis distent ab antiquis.*

§. I.

CVm in ſuperioribus dictum fuerit, editionum quoque eſſe rationem habendam, non inconueniens erit, ſi de ipſa arte typographica & officinis typographicis præcipuis, hic aliqua proponamus. Artis typographicæ hiſtoriam qui ſcripſerit, primus eſt IOANNES ARNOLDVS BERGELLANVS, cuius *de chalcographiæ vel typographiæ inuentione* carmen elegiacum, primum prodiit *Moguntiæ 1541. 4*, poſtmodum extat cum ſupplemento Antonii Verderii ad bibliothecam Geſneri, editionis *Lugduni 1585. f.* Haut ita pridem Tentzelius idem Carmen cum notis quibusdam & Arnoldi & propriis, inſeri curauit Bibliothecæ Curioſæ Repoſitorii primi loculo decimo p. 986. Poſt hunc, GEORGIVS DRAVDIVS *typographicum diſcurſum experimentalem* edidit, cum præcipuorum typographorum inſignibus, eorundemque expoſitionibus coniecturalibus, *Francofurti 1625. 8.* Poſt hoſce, originem & hiſtoriam, prout controuerſa eſt, deſcripſerunt alii. Pro Harlemenſibus quidem pugnant HADRIANVS IVNIVS & PETRVS SCRIVERIVS in deſcriptione Batauiæ. Separatam vero diſſertationem edidit MARCVS ZVERIVS BOXHORNIVS *de typographicæ artis inuentione & inuentoribus*, *Lugduni Ba-*

tauo-

nuorum 1641. 4. Pro Germanis agit MICHAEL MAIERVS in *veris inuentis*, ſeu *muneribus Germaniæ ab ipſa primum repertis, Francofurti 1698*, vbi Germanis, & ſpeciatim Moguntinis attribuit. Argentoratenſium cauſſam ſuſcepit ADAMVS SCHRAGIVS *im Bericht von Erfindung der Buchdruckerey, Argentorati 1640. 4.* Quod etiam in tribus homiliis egit IOANNES SCHMIDIVS, & ſingulari oratione IOANNES HENRICVS BOECLERVS, quæ *Argentorati 1641. 4* prodiit. IACOBVS MENTELIVS medicus Pariſienſis, in *parænesi ſua de vera typographiæ origine*, quæ prodiit *Pariſiis 1650. 4*, gloriam Menteliorum familiæ vindicat. Id quod etiam egit ANTONIVS VITRE in *breui excurſu de loco, tempore, auctore & inuentione typographiæ, Pariſiis 1644. 4.* Moguntinenſes egregium defenſorem nacti in BERNARDO a MALLINKROT, in *diſcurſu* ſuo *Philologico de ortu ac progreſſu artis typographicæ, Coloniæ 1639. 4*, licet non tam Ioannem Gutenbergium, quam potius Fauſtum auctorem faciat. ZACHARIAS BEICHLINGEN *im Vnterricht von der Buchdruckerey, Islebiæ 1669. 4*, Gutenbergio attribuit, reiectis aliis. Adſtipulatur IOANNES de la CAILLE in libro, qui inſcribitur; *hiſtoire de l' imprimerie & de la librairie, Pariſiis 1689. 4.* In eodem præter originem, ordine chronologico percenſentur omnes typographi, quotquot a Gutenbergio,

cui inuentionem adſcribit, vsque ad annum 1689, Lutetiæ claruerunt, horumque nomina, patria, domicilium, opera primaria, ſymbola, epitaphia, quandoque & geſta præcipua. Cum autem Ioannes de la Caille nondum omnia exhauſiſſet, edidit ANDREAS CHEVILLIER ſpecialem tractatum *de l' origine de l' Imprimerie, à Paris 1695. 4*, qua potisſimum demonſtrat, quod Collegii Sorbonici curis typographica ars apud Pariſios fuerit introducta, primo libro apud Gallos per Vlricum Geringium impreſſo, & quæ iura ſint Sorbonæ in typographorum Collegia. Recentisſimum ſcriptum eſt GVILIELMI ERNESTI TENTZELII *diſcours von Erfindung der löblichen Buchdrucker - Kunſt in Teutſchland, bey Gelegenheit ihres fünfften Iubel - Iahrs, Gotha 1700. 12*, in quo exacte docet, Gutenbergio inuentionis honorem eſſe tribuendum, & numisma offert, quod in memoriam ipſorum quinti iubilæi inuenit. Celebriorum typographorum, qui a typographiæ incunabulis claruerunt, catalogum contexuit ADRIANVS BAILLETVS, in tomo ſecundo iudiciorum de eruditis, quem ideo inſcripſit *Iugemens de principaux Imprimeurs*. Sic etiam eorum notitia hauritur ex ALMELOVENIO *de vitis Stephanorum* & MALLINCROTI tractatu *de ortu & progreſſu typographiæ*, qui talem etiam indicem præmiſit. Ex his notitiam celebriorum typogra-

pographorum, quam ordine alphabetico contexuit, hausit IOANNES ALBERTVS FABRICIVS, quam *bibliothecæ* suæ *latinæ* adiunxit, quæ prodiit *Hamburgi 1697. 8.* CORNELIVS a BEVGHEM *incunabula typographiæ* edidit, seu *catalogum librorum, scriptorumque, proximis ab inuentione typographiæ annis vsque ad 1500, in quauis lingua editorum, Amstelodami 1688. 12*, ex quo nomina antiquiorum typographorum, quæ addidit, cognosci possunt, IOANNES SAVBERTVS *historiæ bibliothecæ Noribergensis*, quæ *Noribergæ 1643. 12* prodiit, appendicem addit, qua continentur libri antiquiores seculo XV impressi, qui in dicta bibliotheca adseruantur, additis etiam typographorum nominibus. Similem appendicem *indici* suo *manuscriptorum Bibliothecæ Augustanæ* addidit ANTONIVS REISERVS, *Augustæ 1675. 4*, vbi tamen typographorum nomina addita non fuere.

§. II.

Multa de origine typographiæ semper fuit controuersia. Disceptant inter se de eadem Orientales atque Europæi, inter hos Belgæ atque Germani: inter hos denique Moguntini atque Argentoratenses. Stephanus Zamoscius in analectis Daciæ antiquitatum p. 11. Scythas auctores facit typographiæ, cuius cum singularis plane sit sententia, integra hic verba adducemus: *Superest*, inquit, *apud*

apud hos in Transyluania, genus quoddam vernaculum scribendi, quod ab ἀρχαιογόνης eorum Scythis iam inde per multa secula, posteritati traditum ac ab Oriente in Europam illatum retinetur. Sicut autem linguarum dissimilitudine Asiatici ab Europæis herciscuntur, ita & litterarum notis, scribendique forma per omnia dissident. Nam cum Europæi dextrorsum elementorum figuras ducant, Asiatici sinistrorsus suas pingunt, καρινίζοντες. Ex his duabus scribendi formis cæteræ etiam in toto orbe, vt originem habent, ita & motus qualitatem alterutram sequuntur. Sola Siculorum scriptura noluit eas leges imitari. Ea enim non vltro citroque vti Græca & Hebræa, sed initium a summo faciens, horsum se capessit, litteris deorsum tendentibus, ac tam subtili complexione implicatis, vt paucissimis multa absoluatur sententia. Itaque non scriptorio semper atramento, sed particulis oblongis, fustellisque in quatrum dolatis, cultelli cuspide, velut stylo litteras confertim hærentes insculpunt. Quod genus ἐγγλυφογραφίας, cum iisdem priscarum litterarum notis, huiusque temporis penes illos remansit.

mansit. Talis typi exemplar perquam vetustum integro volumine in Bibliotheca Magni Ducis Hetruriæ, Florentiæ hodie extat, mirandis sane & incognitis Europæ litterarum notis, charta libris non est opistographa, sed aduersa tantum parte conscripta: verum ita ob papyri subtilitatem tralucent omnes litteræ, vt auersa quoque parte non minus quam aduersa legi pariter queant. Non e lineis chartis, quales hodie in vsu, sed Nilotica papyro, volumen constat, nec calamo est exaratum, sed typo impressum, vbi versuum συστοιχία, dependulæ singularibus lineis per quælibet interstitia insertis inter sese distinguuntur. Nec vero ipsi tantum caracteres, sed totus etiam codex multam vetustatem omnibus argumentis præ se fert, vt iam desinant gloriari Europæi de sua Cassiterographia nuperrime inuenta, cum hic liberante multa secula impressus litteris huic orbi incognitis Scythas eius rei auctores manifeste proclamet. Quod & Paulus Iouius ab Oriente per Scythas ad Europæos venisse iam pridem recte scripsit. Singula hæc verba ex Zamoscio repetiit Boxhornius *in historia vniuersali*

pag. 180. Prouocat igitur ad Codicem Bibliothecæ Florentinæ, in charta Nilotica impressum, sed non solum ἀυτοψία docebit, an liber impressus sit vel manu tantum exaratus, cum Ioannes Mabillonus de re diplomatica lib. I cap. VIII testetur, papyri Ægyptiacæ vsum in scribendis codicibus manuscriptis durasse vsque ad seculum XII. Verum etiam illud quam maxime in dubium erit vocandum, an caracteres isti, de quibus agit Zamoscius, sint Scythici. Dubitauit de illo iam Ioannes Tröſterus in Dacia nou-antiqua lib. III c. II. Rationes Zamoscii sunt, quod scriptura lectu difficilis, quod caracteres litteris deorsum tendentibus sint scripti. Sed hoc solum, ad probandum, Scythicos esse caracteres, non sufficit, Olaus Wormius quippe de litteratura Runica c. XXV iam obseruauit, hunc scribendi modum a summo ad imum Runis ac Danis iamdum fuisse cognitum. Hoc etiam ipso testante, vsi sunt incolæ Taprobanæ & etiamnum vtuntur Indi, præsertim Sinenses, qui a quibusdam Tæpocon dictus. Æthiopibus hunc modum familiarem fuisse docet Alexander ab Alexandro Genialium lib. II cap. XXX. Quod si ergo plures gentes hoc scribendi genere fuerunt vsi, an non potius caracteres istius codicis, si impressus, sunt Runici, vel quod magis probabile, Sinici, eo quod de litteris dicit, eas tam sub-

ſubtili complexione eſſe implicatas, vt paucisſimis multa abſoluatur ſententia, quod de Sinicis fere dici poterit, immo ex codice Florentino, ad quem prouocat, magis illud patebit, cum illum Sinicis eſſe exaratum caracteribus dicant.

§. III.

Sunt enim perplures ſcriptores, qui Sinenſibus artis inuentionem adſcribant. *Typographiæ apud Sinas antiquior aliquanto vſus eſt quam apud Europæos,* inquit Nicolaus Trigautius lib. I cap. IV, *nam a quinque retro ſeculis certum eſt ab iis vſu receptum, neque deſunt, qui aſſerant prius ea Sinas fuiſſe vſos, quam in hanc mortalitatem immortalis Deus ſeſe abieciſſet.* Quare antiquiorem fecit typographiam Chriſti natiuitate. Adſtipulatur Maffæus, Mendoza, Angelus Rocca, Iouius & plures, quos adlegauit Theophilus Spitzelius de re litteraria Sinenſium ſect. III pag. 35, & Bernardus a Mallincrot de origine artis typographicæ cap. I. Verum, licet denegandum non ſit, Sinenſes ante Europæos typographiæ vſum habuiſſe, neque tamen Europæi artem hanc a Sinenſibus didicere, neque hæc Sinenſium eadem cum arte Europæorum. Hanc autem, quæ apud Sinenſes vſitata eſt, imprimendi rationem, ex Trigautii hiſtoria de Chriſtiana expeditione apud Sinas refert Spitzelius, ex quo hæc adducemus: *Characteres,* inquit, *Sinæ*

Sinæ tabulæ e pyro fere malove insculpunt, h. m. folium exscriptum leuiter conglutinant, inde magno artificio iam siccam papyrum ita eradunt, vt non nisi tenuissima facie transparentes characteres videantur, cum stylis ferreis ita tabulam illam exsculpunt, vt sola caracterum vel picturæ lineamenta emineant incredibili tum facilitate ac celeritate folia pro arbitratu imprimunt, eaque sæpe typographus vnus, die vno quingenta supra mille expedit. In insculpendis quoque tabulis tanta celeritate versantur, vt nihilo plus temporis in sculpenda, quam nostri in componendi vna, emendandaque consumere videantur. Et hæc excudendi ratio ad Sinicos caracteres fere grandiusculos accommodatior est, quam ad nostros, neque enim tenuissima nostra elementa ligneæ tabulæ insculpi commode possunt. Typographiæ huic Sinicæ commodum accedit, quod auctor, vel typotheta non cogatur simul ac semel ingentem librorum multitudinem typis edere, sed quoties voluerit, aut opus fuerit, volumina pro arbitratu plura, aut pauciora excudere. Ex qua facilitate tanta nascitur librorum multitudo ac vtilitas, quantum non facile est ei, qui non nouerit,

ex-

explicare. Ex hoc, cum diuersitas facile adpareat, certum erit, manere omnino Europæos inuentores artis.

§. IV.

Maior adhuc erit controuersia Belgas inter atque Germanos, illos Harlemenses pro typographiæ auctoribus habentes. Latius hæc narrat Hadrianus Iunius in historia Batauiæ p. 255, ex quo sua plerumque hausit Theodorus Schreuelius in Harlemo p. 270. Hic de adinuenta arte typographica Harlemi ita loquitur: *Quotquot ciues Harlemi nati & educati, fide omnes digni hoc quasi per manus traditum a parentibus accepisse, ante annos CCVII. ciuem non e multis Harlemi fuisse, qui in ædibus satis splendidis foroque imminentibus e regione Palatii regalis habitabat: Ei nomen fuit Laurentius Io. Sacristeyn, quod ædituum significat, non familiæ, munus enim hæreditarium fuit in ista stirpe: ita, vt hic honos ipsi soli debeatur multis inuidendus. Is autem id pro more habebat, exspaciare in suburbano nemore, in siluis obambulare, & cum forte meditabundus in amœnis viretis consedisset, temporis fallendi caussa, venit in mentem in fagino cortice, litterarum typos formare, dein nomen incidere, quod impressit dorso manus, relictis totidem in cute litteris: mox*

mox verſiculum vnum atque alterum animi gratia ducere, & recta linea litteras; quas atramento imbuebat nouus artifex & puræ chartæ imprimebat. Hoc primum fuit artis maximæ rudimentum, quod vbi feliciter ſucceſſit, cepit animo altiora concipere. Primum omnium atramenti ſcriptorii genus glutinoſius, tenaciusque excogitauit. Placuit inventum. Adhibito tandem in conſilium & partem curæ genero ſuo Thomæ Petri, qui filios reliquit IV, qui omnes ſucceſſiue Coſſ. & conſulares fuere, ne quis exiſtimet e fece vulgi fuiſſe homines, qui tam præclaram artem inuenerint, Dei inuentum. Inde totos pinacas characteribus expreſſerunt, ſed ab vna tantum parte. Exſtant hodieque eius operis aduerſaria paginis tantum aduerſis impreſſa, quæ paginæ glutine commiſſæ inter ſe cohærent, vt videantur eſſe opiſtographæ. Ex hoc typographeo liber prodiit, qui lingua vernacula ſcriptus, Speculum ſalutis inſcribitur. Hæc prima quaſi infantia artis huius, quæ paulatim incrementa cepit. Nam auctor alta mente præditus, bacillos buxeos protinus mutauit, & caracteres plumbeos fecit, mox e ſtanno fuſiles litteras formauit,

magis

magis concinnas, & durabiles magis, quas Gerardus Thomæ diligenter asseruauit ad fidem posteritatis. Cumque iam progressus facerent indies maiores, etiam rem facerent ex arte, & ex voto inchoata succederent, quæstum etiam facerent, Authoer non fuit par labori typographico. Ita necesse habuit mercenariorum opera vti, quos non admisit in officinam suam, nisi dato primum fidelitatis iuramento, ne secreta artis typographicæ eliminarent, aut alios docerent quouis modo. Non obstante eo, Ioannes quidam, siue vt fert suspicio Faustus, hero suo inuidus, a quo artem omnem fuerat edoctus, ipso peruigilio natalis Dominici, omne typorum choragium inuolauit, asportauitque primum Amstelodamum, inde Coloniam Agrippinam, denique Moguntiacum: Vbi hic trifurcifer & sesquilauernio, sibi inuentionis nouæ laudem arrogans, intra vertentis anni spatium ad annum a nato Christo M. CCCC. XLII, iis ipsis, quos hero fuerat suffuratus, litteris in lucem edidit, Alexandri doctrinale cum Pet. Hispani tractatibus. Hinc rumor vulgo, Moguntiæ artem typographicam inuentam in præiudicium Laurentii Costeri.

Nolo

Nolo iam coarceruare plura teſtimonia pro Harlemenſibus, Ludouici Guicciardini, Iacobi Middendorpii, Valerii Andreæ Deſſelii, Franciſci Svveertii, Auberti Miræi, aliorumque, quæ latius adduxit Malincrot c. III, cum commune ſit adſertum ſcriptorum Belgarum, apud Harlemenſes hanc artem fuiſſe adinuentam.

§. V.

Si rem ipſam examinemus, manebit ſua gloria Harlemenſibus, manebit Germanis. Illis, quod primi artis in Europa auctores, [quæ tamen rudis adhuc erat,] occaſionem dedere Germanis in eandem vlterius inquirendi. His autem, quod perfectionem artis, qualis nunc eſt, maiori ingenio ipſis debeamus. Quod ſi enim conſideremus artem Harlemenſium, videbimus illam a noſtra plane diuerſam. Audiamus de eo Petrum Bertium lib. III. rerum Germanicarum *pag. 613*, vbi de Moguntiaco: *Inter prima huius vrbis decora refertur a multis inuentio artis typographicæ, quam laudem nos alibi noſtris Harlemenſibus adſeruimus. Et oſtendit nobis nuper humaniſſimus & antiquitatum Hollandicarum peritiſſimus Petrus Scriuerius citatum a nobis alibi Speculum ſalutis non Belgice, ſed latine editum, primum magnæ artis rudimentum, cuius paginæ glutine commiſſæ fuerant,*

vt

vt videri possent opistographa. Sed attentius consideranti facile adparuit, non collectas fuisse litteras singulas digestasque in vocem, vocem in versus, versus plures in paginam, sed singulas paginas, singulis tabellis ligneis expressas fuisse, imaginibus, litterisque extantibus & prominentibus, sicut sigillis & ectypis solent imprimi notæ rerum materia molliori, & vt ex libris ad nos euectis e Sina adparet, Sinenses libros suos adornare, quæ res vt adfinitatem aliquam cum arte typographica hodierna habet, ita multum adhuc a perfectione artis remota est. Adsentitur Chronicon antiquum Coloniense, quod artis typographicæ præludium fuisse Donatos Hollandiæ, adserit. Verba eius chronico, prout Belgico idiomate conscriptum, digna sunt, vt hic referantur. Continentur autem ad annum 1450. *Item dese hochwyrdige Kunst vurs is vonden allereyrst in Duyschland tzo Mentz am Rijne. Ind dat is der Duytscher Nacion ayn groisse Eirlichkeit dat sulche synrüche Mynschen syn dar tzo vynden. Ind dat is geschiet by den Iairen vns Herrn, anno Dni MCCCCXL, ind von der Zijt an biß man schreue L, wart vndersoicht die Kunst ind*

wat dairzo geboirt. Ind in den Iairen vns Herrn, do men schreyff MCCCCL, do was eijn gulden Iair, do began men tzo drucken, ind was dat eyrste Boich, dat men druckte, die Bybel tzo Latijn, ind wart gedruckt mit eynre grouer Schrifft, as is die Schrifft dar men nu Mysse-Boicher mit druckt. Item wie weil die Kunst is vonden tzo Mentz, als vurß vp de vvijse, als dan nu gemeynlich gebraucht vvirt, so is doch die eyrste Vurbyldung vonden in Holland vyßden Donaten, die dar selffst vor der tzijt gedruckt syn. Ind van ind vyß den is genommen dat begynne der vurß Kunst, ind ist viel meisterlicher ind subtilicher vonden, dan die selue Manier vvas, vnd ye lenger ye mere kunstlicher vvurden. Item eynre genant Omne bonum der Schrifft in eynre Vurrede vor dat Boich Quintilianus genoempt, vnd auch in anderen meir Boicher, dat eyn Wale vvyß Vranckreich, genant Nicolaus Genson haue alre eyrst dese meysterliche Kunst vonden, dat is offenbairlich gelogen. Wan Sy syn noch im Leuen, die dat getzuigen, dat men Boicher druckte zu Venedige, er der vurß Nicolaus Genson dar quame, dair be-began Schrifft zu snyden vnd bereyden. Mer

der

der eyrſte Vynder der Druckerey iſt gevveſt eyn Burger tzo Ment, ind vvas geboren van Straiſsburch, ind hieſch ioncker Iohann Gudenburch. Item van Mentz is die vurſs Kunſt kommen alre eyrſt tzo Coellen. Dairnae tzo Straisburg, ind dairnae tzo Venedige. Motus inde ipſe Belga Boxhornius, vt in theatro ſuo Hollandico, typos iſtos æneos, plumbeos vel ſtanneos, quibus hodie vtuntur typographi, Moguntinis acceptum ferat, dum ita loquitur: *ſed non difficile eſt, hanc tam grauem ac tam nobilem controuerſiam, & quæ clariſſima noſtri æui ingenia exercuit, componere, nempe ſi vel id, quod res eſt, concedamus, typos quidem ligneos a Laurentio Harlemenſi primum fuiſſe inuentos, typos vero ſtanneos, æreos & plumbeos ad horum exemplar efformatos eſſe a Ioanne Fauſto, ciue Moguntino.* Ex quo teſtimonio facile adparet, quid ſentiendum ſit de teſtimonio Schreuelii, itemque Petri Bertii, qui poſt inuentos typos ligneos, ſtatim etiam ſtanneos adinuentos dicunt, vti verba ſunt Bertii: *Non ergo mirum, ſi Harlemenſes noſtri, qui primi apud nos tabulas ectypas inuenerunt, & libros tabulis illis impreſſos ſuo commodo vendiderunt, iidem quoque inuitante lucro,*

impellente genio, ducente arte, inuenerunt modum litteras singulares seorsim dispositas colligendi, easque in syllabæ, vocabuli, sententiæ, versus ac paginæ modulum compingendi, cum hoc illo multo fuerit facilius, & a maioribus ad nos transmissæ narrationes (quæ fraude & fuco caruerunt) illud ab iis factum testentur, resque omnino per se sit vero adfinis. Non negauerim tamen, quin statim Moguntiaci, Ioannes Guttenbergius maiori copia libros ea ratione impressos euulgauerit, atque iccirco ad exteros pro primo istius artis Inuentore laudatus sit. Prouocant Iunius, & Schreuelius ad traditiones, quod scilicet etiam Laurentius typos ex metallo confecerit, nullum tamen adhuc librum monstrarunt Belgæ, ante expolitam a Germanis artem, qui aliter ac tabulis ligneis esset excusus. Hæc gloria manebit Harlemenses, expolitæ magis artis, Germanos. Hi enim typos æneos versatiles, & mobiles, quorum hodie vsus est, adinuenerunt, licet credendum facile sit, illam Laurentii inuentionem ad hoc Germanis ansam dedisse.

§. VI.

Sed, cum Germanis hanc artem vindicamus, iterum in diuersa trahimur, dum & Mogun-

guntini & Argentoratenses de eadem certent. Certum est, & probauit Mallincrot cap II, antiquiores scriptores, qui ætate Iunium antecedunt, Germanis, immo etiam Moguntinis adscribere. Primus, qui illam Moguntinis adscribit, Ioannes Trithemius est, scriptor seculi XV, & vere coæuus, in annalibus suis Hirsaugiensibus, vbi ad annum 1450, ita loquitur. *His temporibus in ciuitate Moguntia Germaniæ prope Rhenum, & non in Italia, vt quidam falso scripserunt, inuenta & excogitata est ars illa mirabilis, & prius inaudita imprimendi & characterizandi libros per Ioannem Guttenberger, ciuem Moguntinum, qui, cum omnem pene substantiam suam pro inuentione huius artis exposuisset, & nimia difficultate laborans, iam in isto, iam in alio deficeret, iamque prope esset, & desperatus negotium intermitteret, consilio tandem & impensis Ioannis Fust, æque ciuis Moguntini rem perfecit inceptam. In primis igitur caracteribus litterarum in tabulis ligneis per ordinem scriptis, formisque compositis Vocabularium, Catholicon nuncupatum impresserunt, sed cum iisdem formis nihil aliud potuerint imprimere, eo quod caracteres non fuerunt amobiles de tabulis,*

sed insculpti, sicut diximus. Post hæc, inventis successerunt subtiliora, inueneruntque modum fundendi formas omnium Latini alphabeti litterarum, quas ipsi matrices nominabant, ex quibus rursum æneos siue stanneos caracteres fundebant, ad omnem pressuram sufficientes, quos prius manibus sculpebant. Et reuera sicuti ante 30 ferme annos ex ore Petri Opilionis de Gernsheim, ciuis Moguntini, qui gener erat primi artis inuentoris, audiui, magnam a primo inuentionis suæ hæc ars impressoria habuit difficultatem. Impressuri namque Bibliam, priusquam tertium complessent in opere quaternionem, plus quam 4000 florenorum exposuerunt. Petrus autem memoratus Opilio, tunc famulus, postea gener, sicut diximus, inuentoris primi, Ioannis Fust, homo ingeniosus & prudens, faciliorem modum fundendi caracteres excogitauit, & artem, vt nunc est, compleuit. Et hi tres imprimendi modum aliquamdiu tenuerunt occultum, quousque per famulos, sine quorum ministerio artem ipsam exercere non poterant, diuulgatus fuit, in Argentinenses primo, & paullatim in omnes nationes.

Com-

Comprobauit illud quoque in Chronico Spanhemensi ad eundem annum Testimonium hocce quo magis ad inuentæ artis ætatem attingit Trithemius, tanto maiorem fidem habet. Maxime, cum ex ore Petri Schefferi, qui Fausti gener erat, se hausisse dicat. Videmus autem ex eo, tabulas easdem ligneas, excogitandis typis ex metallo occasionem dedisse. Adstipulatur, quantum ad auctorem artis, editor Liuii Germanici, qui anno 1505. Moguntiæ est impressus, vbi in præfatione ad Maximilianum: *in der löblichen Stadt Mayntz, in welcher Stadt auch anfänglich die wunderbahre Kunst der Druckerey, vnd im ersten von dem kunstreichen Iohann Guttenberg, da man zehlt nach Christi vnsers Herrn Geburt tausend vierhundert vnd funfftzig Iahre, erfunden, vnd darnach mit Vleiß, Kost vnd Arbeit Iohann Fausten vnd Peter Schöffers zu Mayntz gebessert vnd beständig gemacht ist worden, darum dieselbe Stadt nicht allein bey Teutscher Nation, sunder auch bey aller Welt in ewige Zeit (als wolverdynet) gepreysst vnd gelobt solle werden, vnd die Bürger vnd Einwohner daselbst des billig geniessen.* Et plures, quos adducit Mallincrotius.

§. VII.

Primus ergo auctor ab hisce probatur fuisse Ioannes Guttenbergius. Quare etiam præter typos antiquiores, quos se Moguntiæ adhuc vidisse, adseuerat Nicolaus Serrarius rerum Mogunt. lib. I cap. XXXVII, extat quoque ibidem, in iuris peritorum domo interiori stillicidio subiectus lapis, cui iuris quidam professor in academia Moguntina sequentem inscriptionem insculpi fecit: *Ioanni Guttenbergensi Moguntino, qui primo omnium litteras ære imprimendas inuenit, hac arte de toto orbe benemerenti Iuo Witigisis hoc saxum pro monumento posuit anno 1508.* Iacobus Wimphelingius quidem Germanicarum rerum epitome cap. LXV, Argentoratensem facit Guttenbergium, vbi ait: *anno Christi 1440. Friderico III. Romanorum Imperatore regente, magnum quoddam ac bene diuinum beneficium collatum est vniuerso terrarum orbi a Ioanne Guttenberg, Argentinensi, nouo scribendi genere reperto. Is enim primus artem impressoriam (quam latiniores excusoriam vocant) in vrbe Argentinensi inuenit. Inde Moguntiam veniens, eandem feliciter compleuit.* Quem fideliter exscripsit auctor Paralipomenon ad Chronicon Conradi Vrspergensis anno 1440. Verum, licet patria Argentoratensis fuisse videatur Guttenbergius, ciuis tamen Moguntinus Trithemio aliisque dicitur. Clarius id declaratur in Chronico Coloniensi: *der*

eyrste

eyrste Vynder der Druckerye is gevvest eyn Burger tzo Mentz, vnd vvas gebohren von Straisburch, ind hiesch ioncker Iohan Gudenburch. Immo ipse Wimphelingius sententiam postea videtur mutasse, cum in catalogo episcoporum Argentinensium, qui post epitomen confectus, ita scribat: *sub hoc Roberto nobilis ars impressoria inuenta fuit a quodam Argentinensi, licet incomplete, sed cum is Moguntium descenderet ad alios quosdam in hac arte fideliter laborantes, ductu cuiusdam Ioannis Gensfleisch ex senio cæci, in domo BoniMontis Guttenberg, in qua hodie Collegium est Iuristarum, ea ars completa fuit in laudem Germanorum sempiternam.* Sed magis credendum est Trithemio, qui in Chronico Spanhemensi ad annum 1450, ita loquitur. *His quoque temporibus ars imprimendi & characterizandi libros a nouo reperta est in ciuitate Moguntina, per quendam ciuem, qui Ioannes Guttenberg dicebatur, qui cum omnem substantiam propter nimiam difficultatem inuentionis nouæ in eam perficiendam exposuisset, consilio & auxilio bonorum virorum Ioannis Fust & aliorum adiutus rem inceptam perfecit. Primus autem huius artis dilatator fuit post ipsum inuentorem Petrus Opilionis de Gernsheim, qui multa volumina suo tempore impressit. Morabatur autem præfatus Ioannes Guttenberg Moguntiæ in domo zum Iungen, quæ domus vsque in præsentem diem illius nouæ artis nomine noscitur insignita.* Nihil ex hoc de Gänse-

 flei-

fleischio, nihil de domo zum guten Berge, sed plane diuersa. Quare, si quid concedendum est, Guttenbergius de arte, Argentorati cum adhuc esset, cogitauit, forian etiam manum adplicauit, Moguntiæ vero compleuit. Sic etiam Bernhard Hertfelder, Prior Abbatiæ Vdalrici & Afræ, in descriptione Basilicæ Sti Vdalrici & Afræ p. 181, ait de Melchiore de Stamhain Abbate XL. *Bibliothecam ampliauit, & conquisitis vndique libris tam excusis quam scriptis auxit. Vt fratres ad litteras magis animaret, & otium, perniciem monasteriorum fugaret, artem impressoriam a Ioanne Guttenbergio nuper inuentam in conuentum suum introduxit.*

§. VIII.

Scilicet, Ioannes Guttenbergius patria erat Argentoratensis, sed ciuis a longo tempore Moguntinus. Hic, teste Trithemio, in tabulis ligneis primum ex Harlemensium inventione, vocabularium Catholicum impressit, sed cum iisdem formis nihil aliud potuerit imprimere, eo quod caracteres insculpti, de noua ratione cogitare cœpit. Multis itaque impensis cum patrimonium exhausisset Guttenbergius, societate cum Ioanne Fausto inita, sumtus ab eodem accepit ad prosequendum id, quod cœperat. Fausto itaque sumtus præbente, Guttenbergio artem tractante, tandem post varia fata, Biblia latina

tina impressa fuerunt, sed tanta difficultate, vt iam quater millia florenorum aureorum Rhenanorum impensa essent, antequam duodecima plagula esset impressa. Sed cum typis tantum vterentur, fusis quidem ex metallo, sed cultro magis expolitis, meliorem artem fundendi typos adinuenit Petrus Schefferus, qui antea in ministerio erat, post in generum adlectus a Fausto, atque tales, quibus adhucdum vtimur, vti ex eiusdem ore se percepisse testatur Trithemius. Tres isti igitur, Guttenbergius, Faustus & Schöfferus ad perficiendam artem opem sumtusque adhibuere, adinuentæ artis gloria manente Guttenbergium. Quod testimonio omnium scriptorum seculi XV & initio seculi XVI comprobandum. Cum vero a multis, Guttenbergium a Ioanne Gänsefleischio adiutum esse dicatur, tales vero, qui hoc adserunt, nihil de Fausto memorant, hic non sine ratione concludit Tentzelius *von Erfindung der Buchdruckerey* p. 68. Faustum alias dictum fuisse Gänsefleischium, id quod variis rationibus firmat.

§. IX.

In dubium non solum hoc vocari cœpit seculo XVI, & vel aliis inuentio artis, Fausto inprimis, vel Argentinensibus attribui. Ioannes Auentinus primus est, qui sub finem libri VII. annalium Boiicarum p. 512. ad annum

num 1450 inuentionem Fausto & Petro Scheffero adscribere conatur, vbi ait: *hoc cœlestissimum munus à Fausto & Petro Scheffero de Garensheim genero suo, cui vnicam filiam Christinam desponderat, inter secreta adactis omnibus sociis fidem iurisiurandi religione habitam, decimo post anno Fausti minister Ioannes Guttenbergius Argentoratensis in Germania vulgauit.* Sed hoc æque inter errores Auentini numerandum, quorum plures notare sibi proposuerat Lambecius. Hunc sequitur Ioannes Schöffer, nepos Ioannis Fausti, qui in fine ad Trithemii compendium de origine regum & gentis Francorum ita loquitur: *impressum & completum est præsens chronicorum opus anno Dni MDXV. in vigilia Margarethæ virginis in nobili famosaque vrbe Moguntina, huius artis impressoriæ inuentrice prima, per Ioannem Schöffer, nepotem quondam honesti viri, Ioannis Fust, ciuis Moguntini, memoratæ artis primarii auctoris. Qui tandem imprimendi artem proprio ingenio excogitare specularique cœpit, anno dominicæ natiuitatis MCCCCL. indictione XIII. Regnante illustrissimo Rom. imperatore Friderico III. Præsidente sanctæ*

Mo-

Moguntinæ ſedi Reuerendisſimo in Chriſto patre, domino Theodorico, pincerna de Erpach, principe Electore. Anno autem MCCCCLII. perfecit deduxitque eam, (diuina fauente gratia) in opus imprimendi (opera tamen ac multis neceſſariis adinuentionibus Petri Schöffer de Gernsheim, miniſtri ſuique filii adoptiui) cui etiam filiam ſuam Chriſtinam Fuſthin prædigna laborum multarumque adinuentionum remuneratione nuptui dedit. Retinuerunt autem hi duo iam prænominati Ioannes Fuſt & Petrus Schöffer artem in ſecreto (omnibus miniſtris ac familiaribus eorum, ne illam quoquo modo manifeſtarent, iureiurando adſtrictis.) Quæ tandem de anno Dni MCCCCLXII. per eosdem familiares in diuerſas terrarum prouincias diuulgata haut paruum ſumſit incrementum. Hic tamen Schöfferus primum auctorem Fuſtum vocare non audet, tantum primarium, dicitque, quod tandem artem ſpeculari cœperit, ex quo patet, quodammodo ſupponere eum, alium fuiſſe, qui anſam dedit, retecto licet nomine. Henricus Salmuthus, qui notis ſuis ad Pancirollum appendicem addidit, quam inſcripſit verisſimam hiſtoriam de typographiæ, ſiue artis impreſſoriæ inuentione, Guttenbergio plane

plane inuentionem abiudicare conatur, vbi ait: *eodem tempore Moguntiæ commorabatur Ioannes Guttenbergius, honestis parentibus natus, qui proxime Fausti ædes habitabat. Hic cum animaduertisset insignem hanc artem, typographicam, non solum omnium ore passim celebrari, sed etiam admodum lucrosam esse, familiaritatem cum Fausto cantraxit, & quia opulentus erat, pecuniam ei ad sumtus necessarios obtulit. Quod Fausto minime ingratum fuit, quandoquidem comperiebat, sumtus quos in eam artem faciebat, quotidie crescere, & tunc opus chartæ pergamentæ imprimendum sub manibus habebat. Quapropter cum Guttenbergio conuenit & pactus est, vt, quidquid in illud opus impenderetur, communi vtriusque lucro vel damno cederet. Quoniam vero Faustus plus insumserat, quam Guttenbergius necessitatem postulasse arbitrabatur, hic dimidiam suam partem exsoluere detrectauit; qua ex re cum lis orta esset, alter alterum Moguntiæ in ius vocauit, vbi partibus auditis pronuntiatum fuit: Si Ioannes Faustus interposito iuramento adfirmare posset, omnem pecuniam, quam mutuam sumsisset, in commune opus erogatam,*

non

non autem in proprios ipsius vsus conuersam fuisse, Gutenbergium ad soluendum obligatum esse. Cui sententiæ Faustus paruit, sicut ex archetypo instrumenti, quod etiamnum superest, anno 1455 sexto Nouembris a Ioanne Vlrico Helmospergero notario ea de re confectum fuit, liquido demonstrari potest. Sed, cum singula hæc testimonia recentiora sint, atque ad antiquitatem Trithemii, aliorumque, quos supra memorauimus, non attingant, illis potius maiorem fidem habemus.

§. X.

Controuersiam tamen fuisse Faustum inter & Guttenbergium, certum est, non de inuentione artis, sed de lucro. Immo etiam concedendum, sententiam latam fuisse pro Fausto, tanquam opibus & gratia præualente, non tamen circumstantiæ reliquæ. Agit de hac lite Arnoldus Bergellanus in encomio suo Chalcographiæ, atque canit:

Fœdera sed lucri raro concordia nutrit,
indiga sunt pacis, dissidioque patent.
Sic postquam autores quæstus spes cœpit habendi,
ad lites vertunt pectora capta leues.

In

In partes abeunt, ſinceraque pacta reſoluunt,
& promiſſa cadunt, irrita ſitque fides.
Cuilibet vt propriis ſeruiret pergula prelis,
& ſibi multiiugas quisque pararet opes.
Non tulit iniuſtas mens Guttenbergica rixas,
teſtatur ſuperos fœdera rupta deos.
Cauſſa fori tandem pauidi defertur ad ora,
ſcribitur ac illis dica nefanda fori.
Tempore ſed longo res eſt tractata dicaci
lite, hodie pendet iudicis inque ſinu.

Non obſcure patet, ipſum pro Guttenbergio facere, & quidem Bergellano fides eo maior habenda, quod de eo teſtetur Mallincrot p. 46 ipſum correctorem fuiſſe, ſed etiam quod non adeo recens, cum ipſius carmen primum 1541 excuſum fuerit. Videmus autem ex verſu
Cuilibet vt propriis ſeruiret pergula prelis,
diſſoluta per has lites ſocietate, quemuis, & Guttenbergium & Fauſtum propriam inſtituiſſe typographiam. De Guttenbergio quidem non conſtat, eum vnquam nomen ſuum libris adpoſuiſſe, ita, vt credendum facile ſit, eum omni patrimonio exhauſto, ſumtibus ferendis parem amplius non fuiſſe. Fauſti vero & Schöfferi nomen præferunt plures impreſſi libri. Extat in bibliotheca noſtra, Durandi rationale diuinorum officiorum, in cuius fine hæc leguntur verba:

pra-

præsens rationalis diuinorum codex officiorum venustate capitalium decoratus rubricationibusque distinctus. Artificiosa adinuentione imprimendi ac characterizandi, absque calami exaratione sic effigiatus. Et ad eusebiam Dei industriæ est consummatus per Ioannem Fust, ciuem Moguntinum. Et Petrum Gernsheym, Clericum diœcesis eiusdem anno 1459 sexto die Octobris. Ita etiam in bibliotheca Petri Rami extitit olim codex officiorum Ciceronis, in cuius fine hæc scripta: *præsens Marci Tullii clarissimi opus Ioannes Fust Moguntinus ciuis non atramento plumali, neque area, sed arte quadam pulchra Petri manu Pueri mei feliciter effecit. Finitum anno 1465.* Alias inscriptiones, quæ Petri Schöfferi nomen tantum in fine ferunt, allegauit Mallincrot. c. VIII. p. m. 76, quibus tandem addimus, Ioannis de Turrecremata expositionem breuem & vtilem super toto Psalterio, quam in bibliotheca Mauritiana Magdeburgensi impressam reperi *Moguntiæ 1474 per Petrum Schöffer de Gernsheim*, quem annum vltimum cum nomine Schöfferi animaduerti. Licet Tentzelius *p. 88* subscriptionem antiqui Chronici Saxonici adducat, quod per Petrum Schöfferum 1492 impressam dicitur.

§. XI.

Singulare est fatum, quod cum libris suis impressis ab initio habuit Faustus. Scilicet, cum Bibliis suis Parisios tendebat, atque

vnum exemplar, quod antea manu impigri cuiusdam ſcribæ quadringentis aut quingentis coronatis venibat, ſexaginta coronatis ab initio, poſtea minoris vendidit. Hic enim cum exemplaria ſua demum triginta coronatis venderet, multa perpeſſus fuit ab iis, qui antea tanto maioris exemplaria emerant, pretium repetentibus, ita, vt relicta Pariſiorum vrbe, Moguntiam repetere cogeretur, teſte Ioanne Walchio in decade fabularum p. 181. 182.

§. XII.

Ex dictis itaque facile concluditur, quid ſentiendum ſit de illorum opinione, qui Nicolaum Genſonium artis typographicæ faciunt auctorem, quod ex Omniboni præfatione in Quintilianum teſtatur Chronicon Colonienſe l. c. Verum, hæc ipſa ſententia ibidem refutatur ex eo, quod Venetiis iam libri fuerint impreſſi ante Ienſonii aduentum. Illud tamen credendum, Ienſonium hanc artem Venetiis, vel in Gallia, vti teſtatur Melchior Adami in vita Ioannis Fauſti, excoluiſſe. Nec puto longiori examine indigere, quæ adfert in exegeſi ſua Franciſcus Irenicus, locum inuentionis faciens Ruſſenburgum, Alſatiæ oppidum, quod etiam ex officinarum ſtrepitu nomen hoc adeptum eſſe dicit. Nec etiam quæ Gilbertus Cognatus lib. III. Narr. ſylu. habet,

Petrum

Petrum Schöfferum inuentorem faciens, & Augustanum. Quæ omnia nulla alias proba auctoritate constant, ideoque nullius habenda sunt momenti.

§. XIII.

Sed dicendum nunc erit de Argentoratensibus, qui etiam sibi inuentionem artis attribuunt. Argentoratensem fuisse Guttenbergium, dubium non est, verum isti non Guttenbergio artem adscribunt, sed Ioanni Mentelio. Bina monumenta potissimum in testimonium vocant, quæ in ipsorum archiuis continentur: alterum est Chronicon anonymi, ex quo sequentia adducunt: *Anno 1440, als zum dritenmahl von der Küfferzunfft zum Ammeister erwehlet worden Herr Claus Schalitt, vnd Stadtmeister gewesen sind, Walter Spiegel, Burckhard von Müllenheim, Cuno zum Treubel, Hans Balthasar von Endingen, ist die herrliche vnd sehr nützliche Kunst der Buchdruckerey erstlich offenbahr, vnd zwar allhie zu Strasburg an Tag gebracht, vnd erfunden durch Ioan Mentelin, welcher am Fronhoff zum Thiergarten wohnete, der hatte einen Diener mit nahmen Hans Gänsfleisch von Mentz gebürtig, diesem vertraute er seine neue Inuention, weil er ihn sehr anschlägig vnd scharffsinnig befand, verhoffend durch ihn noch weiters zu kommen: Er wurde aber von ihme schändlich betrogen, denn dieser itzgemeldte Gänsfleisch mit Iohann Guttenberg kundschafft machte, so ein an-*

sehnlicher reicher Mann war, vnd auch etwas Wissenschafft von des Mentelins Kunst hatte, dem offenbahrte er alle Heimlichkeit, vnd weil sie in Hoffnung stunden, mit dieser Kunst gros Geld vnd Gut zu erwerben, vnd aber allhie in Strasburg vor dem Mentelin die Sach nicht wohl würden können ins Werck richten, schlugen sie an, sich von dannen nach Mentz zu begeben, alsdann auch geschehen & paullo post: *aber Gott, der keine Vntreu vngestrafft läst hingeben, strieff endlich den Gänsfleisch also, das er seines Gesichts beraubet vnd blind wurde.* Alterum ex Chronici Danielis Specklini, in quo ad annum 1440 hæc verba: *damahlen ward die herrliche Kunst die Buchdruckerey zu Strasburg erfunden, durch Iohann Mentele an Fronhoff zum Thiergarten, sein Schwager Peter Scheffer vnd Martin Flach verlegten solches, aber sein Diener Iohann Gänsfleisch, als er ihm die Kunst hatte genugsam abgestohlen flohe er in seine Heimath gen Mayntz, da er solches durch den Guttenberger, welcher reich war, alles besser in Ordnung bracht, über diesen bekümmert sich der Mentele so hart, das er starbe vor Leyd, ward zü Ehren der Kunst ins Münster begraben, vnd eine Drucker-Press auf seinen Grabstein gehauen.* Sed horum Chronicorum auctoritas non sufficit, licet enim in archiuo Argentoratensi conseruentur, ex eo tamen vim non habent authenticam. Probauit potius Tentzelius *im Bericht von Erfindung der Buchdruckerey p. 62*, quod ex colla-

collatione horum cum aliis documentis seculi XV pateat, eas ætate longe esse recentiores, & vix centesimum ætatis annum adimplere. Antiquiores autem scriptores quotquot sunt, contrarium tenent. Immo ipse Wimphelingius, scriptor Argentoratensis Mentelium hanc artem a Guttenbergio didicisse testatur in epitome rerum Germanicarum c. LXV, vbi ait: *anno Christi 1440. Friderico III. Romanorum Imperatore regnante, magnum quoddam ac pene diuinum beneficium collatum & vniuerso terrarum orbi a Ioanne Guttenberg, Argentinensi, nouo scribendi genere reperto. Is enim primus artem impressoriam (quam latiniores excusoriam vocant) in vrbe Argentinensi inuenit, Inde Moguntiam veniens, eandem feliciter impleuit. Interim Ioannes Mentel id opificii genus inceptans multa volumina castigate & polite Argentinæ imprimendo factus est breui opulentissimus.* Wimphelingius autem cum omnia collegerit, quæ ad gloriam Argentoratensium possunt conducere, sane non omisisset, Mentelio inuentionis honorem adscribere, si ipsi conueniret. Maxime, cum hanc epitomen Thomæ Wolphio, Icto dedicauerit, qui filius erat Thomæ Wolphii, typographi, ex quo & Sixto Russingero, typographo Argentoratensi, qui adhuc in viuis, facile melius instrui potuisset, si falsa narrasset. Immo constat, nullos reperiri libros a Mentelio

 ante

ante annum 1490 impreſſos. Vt taceam, alias rationes, quibus contra Schragium vtitur Tentzelius, quæ ſane inuictæ videntur. Habent tamen, vnde glorientur Argentoratenſes, quod a conciue illorum inuenta, & forſan etiam Argentorati adfecta fuerit ars typographica. Immo vltro concedimus, Mentelium primum hanc artem Argentorati exercuiſſe, non vero inueniſſe.

§. XIV.

Dicendum nunc reſtat de tempore & propagatione artis. Variæ de hoc ſunt opiniones, quas adducit Mallincrot cap. X. De Cüſteri inuentione ipſi diſcrepant Belgæ Scriuerius definit annum 1428 hoc Chronographico:

hICſago eXsCVLptas LaVrentI CVspIde forMas, Boxhornius autem, auctoritate Ioſephi, cuiusdam Rabbini, inuentionem ad annum 1420 ponit, atque ait: *circa annum 1420 prima nobiliſſimæ artis typographicæ fundamenta a Laurentio Coſtero, Harlemi poni cœpta ſunt. Quod in annum huius ſeculi vigeſimum, non triceſimum, aut quadrageſimum, vt fit vulgo, artem hanc periclitatam velim, ſuadet Rabbi Ioſephus, qui in Chronico ſuo, exemplar omnium vetuſtiſſimum Venetiis excuſum refert anno Iudaico 5188.* Sed hæc omnia incerta nituntur auctoritate. In Germania inuentionem plerique vel ad annum 1440 vel 1450 referunt. Quare credimus potiſſimum

tisſimum Chronico Colonienſi, quod in hac arte adlaboratum fuerit ab anno 1440 vsque ad 1450, quo primum ad perfectionem venerit. Licet Schefferus annum 1452 ſupponat, vti ex loco ſupra §. IX adducto patet. Trithemio tamen potius credimus, qui primum librum 1450 impreſſum dicit. Facile itaque credendum, quid ſentiendum de libris illis, qui annum præferunt 1450 anteriorem. Extat in bibliotheca noſtra Ioannes de Tambaco de conſolatione Theologiæ, in cuius fine hæc verba habentur: *explicit liber de conſolatione Theologiæ per fratrem Ioannem de Tambaco, ordinis prædicatorum, prouinciæ Theutoniæ ſacræ Theologiæ profeſſorem conſummatus Anno Domini Mo. CCCo LXVIo in die Ambroſii.* Sed hæc intelligenda de tempore, quo codex iſte Manuſcriptus, quem ad impresſionem adhibuerant, finitus fuit. Scilicet mos erat typographis quibusdam rudioribus, vt ſingula, prout in Mſtis repererant, æque exprimerent. Quare, cum in codice Mſto hanc clauſulam reperirent, eandem exacte quoque impreſſerunt. Quod animaduertere licet in variis. Propagata autem hæc ars primum fuit Argentinam, vbi, teſte Wimphelingio, in epitome rerum Germanicarum c. LXV. Ioannes Mentel id opificii genus inceptans, multa volumina caſtigate & polite Argentinæ imprimendo factus eſt breui opu-

lentissimus. Inde Coloniam, Venetias, Romam, Neapolim, Florentiam, Reutlingam, Basilem, aliasque Germaniæ vrbes fuit traducta, vti hanc propagationem latius describit Mallincrot c. XIII. Occasionem artis in alia loca traductæ Tentzelius p. 55. 56 facit, nocturnam vrbis Moguntinæ occupationem ab Adolpho de Nassau episcopo factam, prout describit Mutius Chron. Germ. lib. XXIX p. m. 300. Quod fatum vrbis coniectatur, etiam typographiam fuisse expertam, vt typographi exinde per varias partes dissiparentur. Quid quod, ad ipsos quoque Turcas propagata hæc ars, cum Cyrilli Lucaris, Constantinopolitani Patriarchæ curis, in eadem vrbe Græca erigeretur typographia, quæ tamen ex peruersa Iesuitarum delatione, & plusquam Vatiniano contra Græcos odio breui fuit dissipata, vti Thomas Smith in narratione de vita Cyrilli Lucaris plenius enarrauit.

§. XV.

Absoluta nunc artis typographicæ historia, pergimus ad typographos & bibliopolas potiores, cum priori ætate hi ab inuicem non veniant distinguendi. Primos artem typographicam Romam inuexisse *Conradum* & *Arnoldum* Germanos, ex Ioannis Aleriensis epistola ad Paulum II probauit Ioannes Mabillonus in Museo Italico. Maxime vero nomina illorum

lorum adparent ex versibus, quæ in fine Apocalypseos & Bibliorum ab iisdem excusorum reperiuntur:

Aspicis illustris Lector quicunque libellos,
si cupis artificum nomina nosse, lege.
Aspera ridebis cognomina Teutona: forsan
mitiget ars musis inscia verba virum.
Conradus Suueynheym: Arnoldus Pannarzque Magistri
Romæ impresserunt talia multa simul.
Petrus cum fratre Francisco Maximus ambo
huic operi aptatam contribuere domum.

Ex hisce quam facile non fratres fuisse, prout Raphael Volaterranus contendit, patebit, sed Germanos quidem, ex diuersis tamen ortos familiis. Ita etiam Andreas Fuluius de vrbis antiquitatibus libro IV p. 314, ita loquitur: *Inuenta memoria nostra, noua admirabilisque librorum imprimendorum ars, prodigiosis hominum ingeniis excitata, auctores, duo ex Germania fratres. Impressores primi, Conradus & Arnoldus Romæ cœperunt in ædibus Petri de Maximis Patricii Romani MCCCCLV. Primique omnium Augustinus de Ciuitate Dei & Lactantius prodiere, vnde hodie vbique Gentium ex omnium lingua impressi characteres gratissimo compendio adparent.*

§. XVI.

Venetias artem typographicam induxisse

xisse *Hanisonem Hammanum*, dictum *Hertzog* & *Octauianum Scotum*, auctor est Melchior Adami in vita Fausti. Alii autem *Nicolaum Iensonium* supponunt, qui Ius Canonicum *Venetiis 1477. f* impressit, IV Tomis. Inter præcipuos omni iure habendus est ALDVS PIVS, qui repetita ad Florentinam gentis suæ origine dictus fuit MANVTIVS, Romanus, qui Venetiis ante annum 1500 celeberrimam instituit officinam, ex qua plures egregii auctores prodierunt. Primus hic habetur, qui græcos libros excudit, non autem fuit, qui caracteres græcos inuenit. Ante Mauritium enim græcis quidem caracteribus iamdum fuere vsi, ad explendas vero lacunas saltim, vbi in latinis codicibus vna vel altera græci sermonis vocula intercurreret. Antiquissimi enim typographi, teste Mallincroto cap. XIV vacua spatia relinquere solebant, ob Græcorum caracterum defectum: Testatur autem in epistola quadam Erasmus, ante annum 1520 vix quidquam, nisi profani generis, ex Aldina officina typis Græcanicis exiisse. Ipse quoque vsus fuit litteris Hebraicis, vt ipsemet testatur in epistola ad Conradum Cellam & Vincentium Longium, quæ extat inter epistolas Philologicas Goldasti. Singulari autem industria libri ex Aldina fuerunt impressi, cum testetur Angelus Rocca, in bibliotheca Vaticana

cana p. 412 duo ad ſummum folia ſingula quaque hebdomade fuiſſe impreſſa. Quare facile reputandum eſt, vnde editiones Aldinæ tanti æſtimentur, vt manuſcriptis fere æquiparentur. Signum editionibus ex typographia Aldina additum eſt ancora, cum circumuoluto ſerpente, cui ad latus adſcriptum: *Aldus.* Hoc vero anno 1515 demortuo, eiusdem typographiam continuauit *Andreas Aſulanus*, ſocer. Quare in fine librorum hæc videmus; *Venetiis in ædibus Aldi, & Andreæ ſoceri.* Licet iam anno 1513 eadem in Strozziorum carminibus obſeruauerim. Secutus hunc in typographia fuit PAVLVS MANVTIVS, filius, qui Venetiis primum in typographia paterna hanc artem exercuit, poſt a Pio IV largo ſtipendio Romam accitus, ad dirigendam officinam libris ſanctorum patrum accurate & integre imprimendis inſtitutam, teſte Panuinio in vita Pii p. m. 421. Hic Paullus, patre adhuc doctior erat, quod teſtantur ipſius epiſtolæ & antiquitatum libri, quos edidit. Editio Ciceronis, quæ ipſius cura erat, prodiit *Venetiis 1582. 8* decem voluminibus, poſt recuſa eſt *Venetiis 1583. f* præſtantiſſima habetur. Succedebat illi ALDVS MANVTIVS, filius, hæres in bibliotheca & typographia paterna. Sed vir meliori fato dignus. Venetiis quidem Romam vocatus a Sixto IV, vt profiteretur ibi eloquentiam,

tam

tam exiguis erat facultatibus, vt aureorum aliquot centena ad transuehendam bibliothecam fœnori adſumere centeſima vſura cogeretur. Ipſe quoque a diſcipulis derelictus, ante gymnaſii oſtium docendi hora vix cum vno alteroue obambulabat, teſte Tollio in appendice ad Pierium Valerianum *pag. 26.* Licet eum Bononiæ magna frequentia docuiſſe teſtetur Thuanus lib. CXIX. *p. m. 817*, poſtea vero ſub Clemente VIII typographiæ Vaticanæ factus fuit rector.

§. XVII.

DANIEL BOMBERGIVS, Antvverpienſis patria, in Venetorum vrbe omnium primus anno 1511 cœpit libros Hebraicos magna copia imprimere, chartæ & typi & nitore & fere incredibili diligentia. Referente Scaligero in Scaligerianis poſterioris p. 34. 35. tres milliones Imperialium typographiæ ſuæ impendit, indeque ad paupertatem redactus, vti teſtatur Iſaacus Voſſius, in Epiſtola dedicatoria tractatus de oraculis Sibyllinis. Huic adſcribunt originem punctorum, quæ hodie vigent, licet iſta antiquiora eſſe alii demonſtrauerint. Inter potiora, quæ impreſſit, ſunt eiusdem Biblia cum Commentariis Talmudicis, ex quibus ſua Biblia Rabbinica deſumſit Buxtorfius & Opus Talmudicum, hodie rariſſimum.

§. XVIII.

Superſunt quidem alii adhuc bibliopolæ Veneti, inter quos *Dominicus Baſanus*, *Bernardus Iunta* & *Latzarus* de *Soardis* atque alii, de quibus tamen, cum obſcurioris nominis ſint, non adeo multa dicenda. Hoc vnicum de Soardo dicendum, quod in fine Marialis Alberti Magni de eodem reperi: *excellentisſimi & ſanctisſimi viri, domini Alberti Magni, epiſcopi Ratisbonenſis: ordinis prædicatorum in euangelium: miſſus eſt Gabriel angelus, aureum & deuotisſimum opus feliciter explicit, diligentisſime emendatum & impreſſum Venetiis per Latzarum de Soardis: qui obtinuit a dominio Veneto, quod nullus poſſit imprimere: nec imprimi facere in eorum dominio ſub pœna, vt patet in ſuis priuilegiis die 24 Aprilis 1504.* Hoc priuilegium tamen non ad ipſam typographiam eſt extendendum, ſed ad illum ipſum tantum librum reſtringendum, cum eodem tempore noti ſint libri ex Aldina impresſi.

§. XIX.

Ab aliquo tempore innotuit ANTONIVS BVLIFONIVS, bibliopola Puteolanus, poſt Neapolitanus. Notus hic eſt alias ex litteris hiſtoricis, politicis & eruditis, quas con-

congessit, sed etiam ex compendio vitarum regum Neapolitanorum, explanatione variorum marmorum antiquiorum & editione scriptorum quorundam ad historiam Neapolitanam facientium. Vir eximius est, qui non solum inter claros bibliopolas nostræ ætatis, sed etiam eruditos omni iure numerari meretur.

§. XX.

Altera typographia nota est Vaticani palatii, Romæ, quæ a Pio IV prius instructa, vti in vita testatur Panuinius, a Sixto V magis instructa. Pleniorem eius cognitionem præbet Angelus Rocca in appendice bibliothecæ Vaticanæ *p. 413*, vbi ait: *quare Sixtus Quintus ad præclara omnia & sane pia contendens, Typographiam Apostolicam Vaticanam magnificentissime instruit, viris doctis vndique conquisitis, ad Concilia generalia imprimenda, Sanctorum Patrum monumenta restituenda, ecclesiasticosque libros promulgando, nec non ad Catholicam disciplinam toto terrarum orbe propagandam: Quantum enim iacturæ passa sit vniuersa Theologorum Catholicorum schola, quantoue discrimine exposita sit, optime ipse nouit. Hinc nobilissimam typographiam, rem quidem pontifice, quin seipso dignam,*

gnam, in Vaticano instituit. Dominico Basa, Veneto typographo, homine quidem nauo & industrio ac sagaci, ad typographiam erigendam & regendam electo; qui pro huiusmodi re præstanda circiter quadraginta aureorum millia insumsit, nullo parcens incommodo, nullique impensæ. Hæc præterea Typographia Apostolica, Vaticana & elegantia ac varietate ingentique caracterum copia, latinis scilicet litteris, Græcis, Hebraicis, Arabicis & Seruianis, nec non Chartarum pulcritudine ac bonitate, aliisque rebus imprimendi arti necessariis, cæteras typographias longe antecellit, viris eruditissimis ad exemplaria, (quod caput est,) recognoscenda & illustranda selectis. Id quod Typographiam ipsam reddit nobiliorem, in qua Scripturæ Sacræ, Concilia, Sanctorum Patrum scripta, aliorumque Doctorum libri, tum scholastici, tum Scripturales, omnesque denique Codices ad Theologiam, Catholicamque disciplinam, historiasque ecclesiasticas pertinentes accurate in dies imprimuntur. Papa, qui nunc præest sedi Romanæ, Vaticanam illam typographiam collapsam, nunc quouis modo accitis viris celebratissimis restituere conatur.

§. XXI.

§. XXI.

Gallia nouit ſuos Stephanos, qui & ſuis & aliorum operibus edendis multum profecerunt rei litterariæ. HENRICVS STEPHANI ſenior erat, a quo impreſſi libri hanc clauſulam habent: *impreſſum in Alma Parrhiſiorum academia per Henricum Stephanum in vico clauſi brunelli e regione ſcholæ decretorum Anno Chriſti, piisſimi ſaluatoris, entis entium, ſummique boni 1512 pridie Kalendas Februarii.* Huic demortuo ſuccesſit, nupta vidua, SIMON COLINÆVS, qui & ipſe in calce elucidatorii eccleſiaſtici Clichtouæani, ſucceſſorem Stephani ſe vocat, atque ex eadem de domo & typographia multos libros impresſit. Filios Henricus reliquerat tres, e quibus ROBERTVS, eiusdemque frater Franciſcus, typographiæ vitrici, per aliquot annos præfuerunt, vsque dum ipſe Robertus officinam exſtrueret, & tam aliorum, quam ſuos labores, inter quos Theſaurus latinæ linguæ operoſisſimus eſt, ederet. Gener autem factus fuit IODOCI BADII, qui ex prelo ſuo Aſcenſiano notus eſt. Poſtea præfectus fuit typographiæ regiæ Franciſci I, quod varii libri ex eadem exſcripti teſtantur. Quare etiam thyrſo quanſdoque vtitur pro ſigno cum lauri ramo ac erpente circumflexis, quod commune alias typographis regiis. Poſt, cum glosſis ſuis in nouum Teſtamentum irritaſſet doctores Sorbo-

Sorbonicos, atque ipſe reformatæ religioni addictus, periculum, quod ipſi imminebat, euaſit & Geneuam effugit, vbi etiam mortuus eſt, ipſius effigie manu carnificis combuſta. Libri, quos edidit, ſunt melioris notæ, tum Græci, tum latini, qui etiam chartæ typorumque nitore fulgent, & quod emendati omnes, magni venduntur. Signum librorum eſt oliua, in ramos porrecta, inſertis ſurculis, addita figura ſpeculantis & indice digito demonſtrantis, cui circumſcriptum *noli altum ſapere.* Filios reliquit tres, *Robertum II*, qui pontificiam religionem amplexus, typographiæ regiæ præfuit & libros poſt annum 1560 cœpit imprimere, cuius filius, *Robertus III*, æque typographus fuit doctiſſimus, ad quem libri poſt annum 1588 editi, ſub nomine Roberti Stephani exſcripti, ſunt referendi. Alter Roberti filius erat *Franciſcus*, qui Geneuæ libros impreſſit. Tertius, idemque celeberrimus, HENRICVS STEPHANI. Hic, perluſtratis primum terris peregrinis, in patriam redux, Hulderici Fuggeri typographus fuit ab anno 1558 ad 1569, ſed hoc ob motus inteſtinos Galliæ in Germaniam cedente, noſter quoque Henricus curſum flectit in Germaniam, domum poſt aliquos annos redux factus, totum ſe dedit curis typographicis. Poſtea vero, cum ob poëma quoddam multorum odia concitaſſet, ipſe quoque

fuga ſibi conſulere coactus, donec Lugdunum reuerſus, fatis concederet anno 1598. Ingenio fuit arrogantiori, rixoſiori, moroſiori, dicaciori, magisque mordaci, prout de eo teſtatur Caſaubonus, gener eius ep. LXXXIX. Inter opera quæ edidit, præcipuus eſt *Theſaurus linguæ Græcæ*, quatuor voluminibus conſtans. Signo quandoque vſus eſt oleaſtri, cui rami inſerti, alii decidui ex olea palmites, cum adſtante viro & inſcriptione, *defracti ſunt rami, vt ego inſerar*, vti ex Serrani Platone, quem impreſſit, conſtat. Huius index librorum prodiit *1569. 8*, cum *epiſtola, de ſuæ typographiæ ſtatu & ſuo Theſauro linguæ Græcæ*, & quam miſera ſit veterum ſcriptorum conditio in quorundam typographorum prela incidentium. Filios reliquit, *Paulum*, qui patris typographiam Romæ fuit perſecutus & *Antonium*, regium typographum. Et ſane dicendum eſt de ſcriptis, Stephanorum cura editis, omnia eſſe egregia atque emendatisſima. Egregiam de iis habemus diſſertationem epiſtolicam THEODORI IANSONII ab ALMELOVEN *de vitis Stephanorum, celebrium typographorum, ad Ioannem Georgium Græuium, Amſtelodami 1683. 8*, vbi & ſingulorum vitæ & ſcripta ab iis edita accurate recenſentur.

§. XXII.

ADRIANVS TVRNEBVS, regiæ typographiæ Pariſienſi præfuit, ſub medinm ſeculi

decimi

decimi sexti, post in ordinem professorum regiorum cooptatus. Aulicus homo erat, quod de eo testatur Michael de Montagne Essais lib. I. c. XIV. *p. m. 148*, qui nihil eum habuisse dicit, quod magistellum saperet, præter togæ suæ gestamen, & aliquem externum habitum, quæ aulico cultui forsan per omnia erant conformia. *Nec etiam*, addit, *ex salutatoria flexione, gestu corporis, ocreis & similibus eum pronuntiari deberi, cum intus nemo vsquam terrarum excultioris animi fuerit.* Signum eiusdem est thyrsus lauru & serpentibus circumdatus, prout typographis regiis conuenit.

§. XXIII.

Successit in eadem typographia regia eidem GVILIELMVS MORELLVS, prope Caletum in Neustria natus, *Michaelis Vascouani* gener, eiusdemque fratres *Ioannes* & *Claudius Morellius*, qui Græcis præcipue auctoribus in lucem proferendis magnam laudem adepti, ipso teste Thuano lib. XXXV. Alias memorantur *Ludouicus Billænius*, *Ioannes Camusatus*, qui academiæ Gallicæ fuit typographus, *Sebastianus Cramoisius*, typographus regius, *Gabriel Cramoisius*, *Sebastianus Mabre Cramoisy*, *Sebastianus Niuellus*, *Mamertus Palissonius*, Roberti Stephani, filii socius, cuius postea typographiam accepit, *Gothofredus Thory*, *Ioannes Ludouicus Tiletanus*, *Antonius Vitreus* atque alii.

§. XXIV.

Dicendum ſaltim eſt de CHRISTIANO WÆCHELIO. Hic Pariſiis typographiam erexerat, tanto adplauſu, vt inter præcipuos haberetur typographos. Multæ ipſi mouebantur controuerſiæ, ob librum Erasmi *de eſu interdicto carnium* diuenditum. Ad ſummam paupertatem ipſum poſtea redactum volunt, quod librum quendam impium impreſſiſſet, iuſta pœna diuina. Licet hunc non illum de tribus Impoſtoribus, ſed alium, inſcriptum: *Querela infantium in limbo clauſorum aduerſus diuinum iudicium ab Antonio Cornelio, Lutetiæ 1537. 4* eſſe contendat Bælius.

§. XXV.

Apud Lugdunenſes olim clarus fuit IODOCVS BADIVS, profeſſor æque Græcæ linguæ, poſt Pariſios delatus, de quo Eraſmus Roterodamus in dialogo Ciceroniano, hunc cum Budæo, Galliæ ornamento comparare non dubitauit. Ibidem clarus fuit Sebaſtianus Gryphius, natione quidem Germanus, ſed typographus Lugdunenſis, quem magni fecerunt omnes eruditi. Primus ab eodem liber impreſſus dicitur Ioſephus, & præcipue æſtimantur Eiusdem Biblia Latina. Bailletus quidem contendit, quod Scaliger ipſi dedicauerit librum ſuum de cauſſis linguæ latinæ, cui tamen reſpondet Menagius, quod librum non dedicauerit, ſaltim de eodem epiſtolam ad Gryphium ſcripſerit.

§. XXVI.

§. XXVI.

Lugduni quoque claruit STEPHANVS DOLETVS, qui tamen poſtea ob atheismi ſuſpicionem combuſtus fuit. GVILIELMVS ROVILLIVS, qui ex promptuario ſuo Numismatum & herbario notus eſt, magis tamen a caracterum nitore, quam librorum præſtantia, quos ſæpe ipſe compoſuit, eſt commendandus. Signum eſt aquila globo inſidens, cum ſerpente ab vtroque latere.

§. XXVII.

Baſileenſes habent typographos, de quibus gaudeant. Claruit ibi 1490. *Nicolaus Keslerus*, inde *Ioannes Amerbachius*, qui & Auguſtini opera primus excudit, & poſt eum *Ioannes Frobenius*, eius ſucceſſor, quorum poſterior Patrum eccleſiæ voluminibus imprimendis magnum ſibi toto orbe nomen parauit, tum Erasmi etiam contubernio & ſcriptis æternitati ſe conſecrauit, inquit Mallincrotius p. 85. Ex Frobeniis notus præcipue eſt *Hieronymus*, Ioannis filius, qui & fortunarum & artis hæres, cui *Ambroſius* & *Aurelius*, filii ſucceſſerunt, præclaris operibus & emisſis auctoribus admodum celebres. Signum Frobenianum eſt Caduceus, ſuper inſidente columba, tenentibus duabus manibus. Claruerunt ibidem *Nicolaus Epiſcopius*, Ioannis Frobenii gener, *Adamus* & *Henricus Petri*, *Petrus Perna*, *Ioannes Heruagius*, *Antonius Winterus*, & præci-

pue *Ioannes Oporinus*, alias *Herbst* dictus, qui professor licet græcæ linguæ esset, attamen cum magisterii gradum in se conferri detrectaret, qui requirebatur, sponte relicta professione, ad typographiam animum adplicauit, multisque libris tum elaboratis tum ex typographia sua editis inclaruit. Tiguri clarum fuit nomen *Christophori Froschoueri*, ab editis scriptis Gesnerianis præcipue notum, Geneuæ *Wiederhold* & *Chouet*, *Iacobus Stoer*, *Eustachius Vignon*.

§. XXVIII.

Apud Belgas nobilis primum est typographia Plantiniana. *Antvverpiam enim*, inquit Mallincrotius cap. XIII. CHRISTOPHORVS PLANTINVS *Turonensis, præ reliquis hoc artificio mire illustrauit, qui, vti forte prædictorum aliquibus de eruditionis palma concedit, ita celebritate nemini inferior est, ac primus extitit, qui architypographi (in calce regiorum Bibliorum prototypographum se scribit) titulo insignitus fuit, quo honore a Philippo II. Hispaniarum rege donatus est, cuius etiam auspiciis nitidissimis typis suis excudit immortale illud opus Regiorum Bibliorum, Aria Montano doctissimo Theologo, & linguarum plurimarum cognitione nemini sui temporis secundo legatione regia editionem curante.* Non adeo doctus quidem fuit, multam tamen cum eruditis coluit amicitiam, & correctoribus vsus semper fuit accuratissimis.

Neque

Neque tamen iisdem vel ipsimet sibi, licet oculatissimus esset, satis fisus fuit, sed antequam per preli pressuram multiplicarentur exemplaria, proposito præmio quosuis inuitauit, ad indicandos, qui adhuc superessent, errores. Sane, omnes Plantinianæ editiones emendatissimæ sunt, & in latinis, reliquis omnibus præferendæ, sicut Stephanorum in Græcis, quare etiam hodie sunt rarissimæ & magni veneunt. Hæres typographiæ fuit IOANNES MORETVS, gener eius, ex singulari amicitia, quam cum Lipsio coluit, notus, cuius etiam opera nitidissimo caractere edidit, quæ editio est optima. Successit eidem BALTHASAR filius, de quo Mallincrot cap. XIII, quod numerosa quotidie præla quadraginta & octo ad minimum operarum ministerio exercuerit. Signum typographiæ manus circinum dirigens, cum inscriptione *labore & constantia.* Commendat etiam Mallincrot ibidem *Ioannem Bellerum & Nútium*, & quem ex subscriptionibus noui *Guilielmum Syluium*, typographum Regium.

§. XXIX.

Apud Brugenses post medium seculi decimi sexti claruit HVBERTVS GOLTZIVS. Hic enim, teste Bullarto, intra proprios lares insignem typographiam instruxit, in qua editiones omnes manibus eius tractabantur, & ab illo solo corrigebantur, quoniam verebatur,

ne illaberentur menda in operum suorum impressionem. Excellebat præterea in cælandi arte, quare numismata sua, in quibus colligendis sedulus erat, non autem accuratus semper, nitidissime ipse æri insculpsit. Prior ergo operis eius editio *Brugis 1566. f* excusa fuit, post, ex Plantiniana recusa *Antvverpiæ 1645. f*, ita, vt mihi videatur, Plantinos eiusdem typographiam & tabulas æneas coëmisse.

§. XXX.

In Lugdunensi apud Batauos academia floruit FRANCISCVS RAPHELENGIVS, Flander. Hic, cum Cantabrigiæ in Anglia Græcas litteras professus fuisset, ad Plantinum, in Belgium delatus, correctorem eiusdem egit, eidemque se probauit, vt generum eligeret. Multum in Plantiniana contulit ad editionem Bibliorum Antvverpiensium. Nota etiam est typographia Raphelengiana, quam a socero sibi demandatam Lugduni postea instituit, ex qua varia scripta ad Orientalem litteraturam, cum ipse Arabicæ linguæ esset professor, prodierunt. Signo eodem vsus fuit, ac Plantini. Nostro tempore floruit ibidem *Elzeuiriana*, quæ ex rerum publicarum collectione, quæ ideo dictæ Elzeuirianæ, & auctoribus classicis, cum notis variorum clara est, in qua præcipue noti, *Bonauentura, Abrahamus, Ludouicus*, & qui vltimus obiit 1680 DANIEL ELZEVIRIVS. Commendandæ horum editiones

tiones a chartæ typorumque nitore, atque accuratis emendationibus. Signum eſt olea, cum adſtante Minerua, & ab altera parte vlula, cum inſcriptione: *ne extra oleam.* Nec minor erat officina Hackiana FRANCISCI & DANIELIS HACKII, quorum ſymbolum eſt aquila per aërem volitans, cui inſcriptum eſt *mouendo:* & qui nuperrime Lugduni notus fuit bibliopola *Petrus von der Aa* ab editis theſauris antiquitatum Romanarum & Græcarum cum Franciſco Halma, Vltraiectino, nobilis.

§. XXXI.

Apud Amſtelodamenſes nobilis eſt præter Elzeuirianam, BLAVIANA vel IANSONIORVM officina, quæ præcipue ex Atlante Magno omnibus nota eſt. Officina erat ſumtuoſi oris, ſed cum multis libris combuſta eſt. Id quod pretium librorum huius officinæ maxime adauxit. Noſtræ ætatis officina WETSTENII, & præcipue HVGVETANORVM, qui ex patria Lugduno apud Gallos extorres, Amſtelodami ſedem fixerunt, edendis magnis operibus & ſcriptis egregiis curam ſumtusque impendunt. Splendidas autem editiones non ſolum adornant, ſed etiam emendatisſimas.

§. XXXII.

Apud Embricenſes extat bibliopola CORNELIVS a BEVGHEM. Prodeſſe cupit rei litterariæ, atque ea de cauſa plures

tractatus iam edidit, inter quos ipsius incunabula quoque typographiæ sunt, seu catalogus scriptorum librorumque, qui ab inuentione typographiæ vsque ad annum 1500 fuere editi. Eiusdem variæ bibliographiæ & apparatus ad historiam litterariam, quos in superioribus iamdum memorauimus.

§. XXXIII.

Anglia celebrat suum THEATRVM SCHELDONIANVM, a Gilberto Scheldono, Archiepiscopo Cantuariensi ita denominatum. Hoc enim ipse propriis sumtibus extrui fecit, antemuralibus apothecis, sedilibus, variaque supellectile & apparatu instructum academiæ donauit, ea quidem intentione, vt comitiis atque exercitiis academicis solennioribus commodior imposterum haberetur locus, vti carta donationis die XXV Maii 1669 scripta testatur apud Antonium a Wood p. II. Historiæ & antiquitatum academiæ Oxoniensis *p. 26.* Insuper curauit, vti verba dictæ cartæ habent, *vt res typographica, e cuius incrementis bonæ litteræ vberrimos profectus merito sperauerint, idoneis conclauibus, forulis & officinis, deinceps instrueretur.* Prodierunt ex hoc theatro scriptores selectissimi, huiusque editiones certum iudicium faciunt de libri præstantia. Signum est ipsa theatri figura, æri incisa & titulo inserta.

§. XXXIV.

In Germania nostra primum occurrit ty-

typographia *Wæcheliana*, quam Francofurti erexit ANDREAS WÆCHELIVS, Christiani filius, cum Galliam derelinquere cogeretur. Ope hic vsus fuit IO. AVBRII & CLAVDII MARNII generorum, qui post mortem soceri, primum sub Hæredum Wæchelianorum, post sub proprio nomine typographiam continuarunt, ita, vt de iis Andreas Schottus in præfatione tomi tertii rerum Hispanicarum adserere non dubitauerit, Wæchelianos suo seculo sic typis suis historiarum seriem adornasse, pecuniaque locupletasse, vt dicere possit, regiam posse bibliothecam summi etiam pretii ab vnis illis commode instrui. Maxime ex horum officina prodierunt scriptores historici tum Græci, cura Friderici Sylburgii procurati, tum latini, maxime Scriptores rerum Hispanicarum, Italicarum, Britannicarum, aliarumque, vti testatur catalogus scriptorum ex Wæcheliana editorum, sub signo caducei alati, cum duobus cornubus Amaltheæ, quem manus ex nubibus porrectæ tenent, insultante Pegaso. Continuauit illam postea *Clemens Schleichius*, Aubrii gener. Floruerunt quoque Francofurti *Feierabendii*, *Kopfii*, *Palthenii*, *Emmelii*, *Schonvvetteri*, *Bassæi*, *Rosæ*, *Fischeri*, sed ad celebritatem Wæchelianam non attingunt.

§. XXXV.

Bibliopolium COMMELIANVM inter eruditos æque notum. Sufficiet nobis de

de eo teſtimonium Thuani, quod ſub finem libri CXIX *p.m. 817.* habet, vbi ait: *Hieronymus Commelinus, alias Santandreanus dictus, natione Gallus, qui translato e patria Geneuam primum, dein Heidelbergam domicilio, rem litterariam multum iuuit, editis tum veterum Græcorum plurimis nunquam antea editis monumentis, tum Athanaſio inprimis & B. Io. Chryſoſtomi magna operum parte, in quibus & propria induſtria multum contulit, & immatura morte hoc anno (1567.) exeunte nobis ereptus, filiis eandem curam quaſi hæreditario iure demandauit.*

§. XXXVI.

Noriberga ſuum habuit *Antonium Kobur-gerum*, typographum ſui temporis præcipuum, Auguſta *Ioannem Bemlerum*, Colonia *Petrum Quentelium, Gotfridum Hittorpium, Geruinum Kalenium, Hermannum Mylium, Maternum Cholinum, Ioannem Gymnicum*, eiusque hæredes numerat. Argentoratum *Adolphum Ruſchium, Martinum Flachum, Sixtum Ruſingerum, Vdalricum Han*, de quo dicitur, quod formas librarias, rem inauditam, nec vnquam Romanis viſam, Romam attulerit, & qui ſub initium ſuperioris ſeculi ibidem claruit LATZARVM ZETZNERVM, vt taceam alios vbique locorum.

§. XXXVII.

Famam quidem docti bibliopolæ ſibi vindicare voluit SIMON PAVLI, poſt medium ſuperioris ſeculi apud Argentinenſes bibliopolam

bliopola. Nec plane rudis fuit, ſcripta tamen ex eius typographia edita, in eiusdemque bibliopolio vendita, nitorem & præſtantiam Plantinianorum & ſimilium plane non habent. Laudandus tamen viri fuit conatus.

§. XXXVIII.

Si typographos noſtri temporis præcipuos conſideremus, fere nulli ſunt, qui clarent, ſi excipiamus vnicam officinam Vaticanam, quæ nunc ſumma cura reſtituitur, & Huguetanorum Amſtelodamenſem. Inter bibliopolas autem habemus, quos commendemus. Non ſolum enim *Petri Mortieri* Amſtelodami, ſed etiam *Petri von der Aa*, Lugduni, & *Franciſci Halmæ*, Vltraiectini bibliopolia notiſſima ſunt. In Germania noſtra *Gleditſchius* Lipſienſis, ſuc ceſſor Schüreriorum & Fritſchiorum, maxime notus & præcipue *Thomas Fritſchius*, qui edendis operibus & ſcriptis præſtantioribus clarus eſt. Haut ita pridem eminere cœpit typographia atque bibliopolium *orphanotrophii Glauchenſis*, in ſuburbiis Halenſibus, quod ab exiguis fundamentis creuit, atque adaugetur quotidie, vt credendum facile ſit, ex incrementis, quæ hucusque cœpit, palmam illam ſingulis bibliopoliis eſſe prærepturam.

§. XXXIX.

Reſtat nunc, vt paucis aliqua memoremus etiam de correctoribus celebrioribus.

Hans

Hanc autem *correcturæ artem*, inquit Mallincrotius cap. XV. *alii factitarunt, quorum vel facultates non ferebant, vel voluntas & inclinatio non erat propriam instituere typographiam, ideoque aliis potius, quos cura & opera sua dignos existimarent, diligentiam & eruditionem suam impendere maluerunt.* Celeberrimus inter omnes fere est FRIDERICVS SYLBVRGIVS. Præerat hic correcturæ in typographia Wæcheliana, quod ipsum haut parum ad ipsius famam attulit, cum ipsorum editiones ideo essent emendatissimæ. Insigne est elogium, quod ipsi præbet Thuanus libro CXVII. p. m. 770. *quamplurima*, inquit, *veterum, præsertim Græcorum scripta partim iam edita, denuo recognita ac variis lectionibus, notis, indicibusque illustrauit, partim primum ipse summa cura elaborauit, ab omnibus, qui rei litterariæ consultum cupiunt, & a posteritate non ingrata iniuit gratiam, eoque maiorem meruit laudem, quod in tam laudabili publicæ vtilitatis promouendæ studio adsiduus, propriam gloriam contemnere visus est: decessit Heidelbergæ XV Kal. Mart. non ita senex, sed improbo labore ac vigiliis attenuato corpore. Cornelius Kilianus*, & quem supra adduximus, FRANCISCVS RAPHELENGIVS in typographia Plantiniana claruerunt. Collegas autem habuit Kilianus *Theodorum Pulmannum, Antonium Gesdalium, Victorem Geselinum & Franciscum Harduinum*, teste Auberto Miræo, in elogiis. In Henrici Stephani

phani typographia correctorem egiſſe ISAACVM CASAVBONVM, generum, communis eſt traditio. Licet perpetuum fuiſſe maxime dubitem. Ioannis Frobenii correctores fuere *Ioannes & Vitus Amerbachius*, Hieronymi Frobenii *Wolffgangus Musculus, Sigismundus Gelenius* atque alii. *Nicolaus Gerbelius* in Schüreriorum Argentinenſium typographia correctoris munus egit. ERASMVS quoque ROTERODAMVS apud Louanienſem typographum, Theodoricum Martinum, correctoris officio aliquamdiu functus fuit, teſte Opmeero. Idem munus in Aldina typographia gesſisſe Scaliger in refutatione Ciceroniani, oratione priore obiicit, quod tamen Eraſmus negat, nec niſi propriis ſcriptis id operæ illic impendiſſe adſerit, teſtante Mallincrotio. De *Petro Trecio* teſtatur Sabellicus, gloriari eum fuiſſe ſolitum, triginta voluminum millia a ſe reuiſa & recognita e prælis prodiiſſe. Nec deſunt noſtro æuo viri, qui corrigendis olim ſcriptis in typographorum officinis operam curamque impenderunt, poſt euaſerunt viri celebres, quorum exempla in propatulo.

§. XL.

Ex his, quæ adducta ſunt, vltro conſtabit, quantum typographiæ priſtinæ ratio ab hodierna diſcrepet. Quod ſi primum ipſos libros a ſuperioris ætatis typographis editos conferamus cum noſtris, multum diſcrepant.

Olim

Olim nulli edebantur, nisi qui probi essent & multi vsus, quod vel omnes catalogi veterum officinarum testantur, hodie libri quiuis: & certe maiorem longe numerum faciunt libri nullius momenti. Percurramus aliquot paginas catalogorum Francofurtensium & Lipsiensium, vix vnus atque alter liber adparebit eruditionem sapiens. Visitemus bibliopolia, obuiæ erunt quisquiliæ, vt vix in angulo quodam reperiamus librum vtilem. Plane hæc contra morem veterem. Si chartæ & typi nitorem inspiciamus, quantum differunt a Plantinianis. Si emendationem a mendis typographicis, multum cedunt Plantinis, Stephanis, Manutiis, Wæcheliis & similibus. Ipsi Belgæ, qui in librorum emendationibus seduli fuerunt maxime, ab aliquo tempore degenerarunt plane, vt facile pateat, eos correctoribus industriis destitui. Anglorum hodie præcipua laus est, & in Belgio Huguetanorum. Recentiores Lipsiensium editiones nitorem & emendationem præ se ferunt, & quandoque Halensium: rarius aliarum academiarum.

Optandum itaque, vt barbaries ista, quæ Germaniam tantum adflixit, aliquando repurgaretur.

INDEX AVTORVM, QVI IN HAC INTRODVCTIONE RECENSENTVR.

A.

ABrecombius *Dav.* 416
Accoltus *Benedict.* 334
Agrippa *Henr. Corn.* 470
Adami *Melchior.* 324. 366. 371
Albertus M. 440
Albericus *Iac.* 341
Albertus *Leander.* 351
Albinus *Petr.* 327
Alegambe *Phil.* 350
Alexius *Cæsar.* 340
Alethæus *Theoph.* 459
Alidosius *Nicolaus Paschal.* 337. 366
Allardus *Claud.* 332
Allatius *Leo.* 237. 336. 377. 415
Allais *S. D. V.* 454
ab Almelouen *Iansenius Theod.* 416. 418. 518. 562
Altamura *Ambr.* 391
Ammonius *Clem.* 317
Ancillon. 405. 487
Andreæ *Io. Valent.* 466
Anonymus. 285
Antonius *Nicol.* 342
Aprosius *Angel.* 37. 339

Arisius *Francisc.* 336
Arndius *Car.* 395
Arnoldus *Gothofr.* 455. 461
d' Artis. 273
Augustinus *Francisc.* 223. 341

B.

BAchinus *Bened.* 265
Bælius *Lud.* 361
Bælius *Petr.* 296. 414. 429
Bagnatorius *Nic.* 351
Bailletus *Adrian.* 207. 237. 386. 414. 518
Baillionus *Io. Bapt.* 379
Balæus *Io.* 346
a Baldhofen *Mart.* 224
Balsacius *Io. Lud. Guez.* 430
Bartholinus *Albert.* 348
Bartholinus *Thom.* 75. 236. 295. 378
Barvötius *Alex.* 44. 84
Basnagius *Henr.* 300
Batesius *Guilielm.* 319
Bathurst. *Rad.* 372
Baudelot. 242
Becmannus *Io. Christoph.* 188
Beichlingen *Zach.* 517
Begerus *Laur.* 134
Bellarminus *Rob.* 356
Bellorius *Io. Petr.* 379
Benthemius *Henr. Lud.* 346. 348
Berenicus *Theod.* 476

Ber-

Bergellanus *Io. Arnold.* 516
Bernardus *Eduard.* 100
Bernardus *Iac.* 297. 299
Berneggerus *Matth.* 476
Bertrandus *Io.* 365
a Beughem *Corn.* 32. 250. 307. 519
Beyerus *Geoeg.* 389
Beyerus *Adrian.* 382
Beza *Theod.* 312
Bidloo *Godefr.* 417
Bigotius *Emer.* 377
Birckheimerus *Bilibald.* 428
Bismarcus *Io.* 362
de Blegny *Nic.* 254. 396
Blesdickius *Nic.* 460
Blount *Thomas Pope.* 385
Bocatius *Io.* 223
Bodinus *Io.* 444
Boiſſardus *Ian. Iac.* 316
Bœclerus *Io. Henr.* 3. 15. 22. 375. 517
Böhmius *Iac.* 460
de Boineburg *L. B. Io. Chriſt.* 14
Boileau *Iac.* 237
Bolduanus *Paul.* 30
Bonciarius *Marcus Anton.* 340
Bonifacius *Balth.* 48. 374
Borrichius *Ol.* 378. 465
Boſcha *Petr. Paul.* 117
Boſe *Auguſt.* 288
Boſius *Io. Andr.* 3. 22. 374. 393. 395

Boſſuetus. 462
Bouhours *Domin.* 215. 228
Boulduccius *Iac.* 52
Boxhornius *Marc. Zuer.* 516
Bourignonia *Ant.* 457
Bracellus *Iac.* 338
Brasſicanus *Io. Alex.* 48
Braſichellanus *Io. Mar.* 442
Braſſeur *Philipp.* 345
Brecklingius *Fried.* 461
Bredenburgius *Io.* 452
Brixianus *Nic.* 352
Brovvne *Thom.* 454
a Brune. 437
Brunnius *Aug.* 363
Brunus *Iord.* 453
Buchnerus *Aug.* 3
Buddeus *Io. Franciſc.* 275. 424. 427. 464. 466
Budæus *Guil.* 6
Bulialdus *Ism.* 36
Buliartus *Iſaac.* 318
Bumaldus *Io.* 368
Bunderius *Io.* 345
Burlæus *Io.* 370
Burmannus *Petr.* 429
Burnetus *Gilbert.* 436
Burrhus *Franciſc. Ioſ.* 458
Burſellus *Hier.* 352
Bury *Richard.* 49

C. Cam-

C.

CAmpanella *Thom.* 449
de la Caille *Io.* 517
Ca lidius *Corn.* 324
Camdenus *Guilielm.* 433
Canonherius *Petr. Andr.* 411
Campægius *Symphor.* 367
Canagnesius *Iacob.* 333
Capponus *Io. Bapt.* 368
Cardanus *Hier.* 381
Caroli *Ferd.* 112
Caroli *Io.* 351
Casaubonus *Isaac.* 476
Caselius *Io.* 327
Castellanus *Petr.* 366
Castellionensis *Franc.* 351
Castricomius *Pancrat.* 343
Caue *Guil.* 358
Cellius *Erhard.* 328
Chappuzeau *Sam.* 423
Chauuin *Steph.* 294
Baro de Cherbury *Ed. Herb.* 458
du Chesne *Andr.* 330
Chemnitius *Bogisl. Phil.* 477
Cheuillier *Andr.* 518
Chioccus *Andr.* 338
Chifletius *Iac.* 88
Chytræus *Dau.* 327
Chytræus *Nath.* 411
Cinellus *Io.* 337. 418

Cirarella *Ant.* 48. 114
Clarmundus *Adolphus.* 314
Cleanthes. 215
Clemens *Claud.* 24
Clericus *Io.* 236. 256. 301. 304. 420
Colerus *Christoph.* 176
Colomesius *Paul.* 252. 331. 359. 404. 417. 432
de Conceptione *Ant.* 351
Conradi *Casp.* 313
Conringius *Herm.* 11. 12. 49. 138. 391. 394. 396. 434
Constans *Luc. Ant.* 451
Coppinus *Aquilin.* 431
Corberus *Casp.* 434
Corderius *Balth.* 48
Cordona *Io. Bapt.* 25. 84. 112
Coronellus *Vincent.* 425
Coruinus *Matth.* 66
Cotta *Catell.* 365
Cozzandus *Leonard.* 339. 417
Cramerus *Io. Frider.* 216
Crassus *Laur.* 321
Crassus *Nic.* 322
Crinitus *Petr.* 378
de la Crose *Io. Conrad.* 301
Crenius *Thom.* 393. 397. 406. 417
Cresollius *Lud.* 396
Crucimanius *Francisc. Grud.* 329
Curtius *Corn.* 353
Cygnæus *Euchar.* 468
Cyprianus. 335
D. Da-

D.

DAtus *Car.* 379
Deckherrus *Io.* 413
Desselius *Valerius Andr.* 105. 343
Diaconus *Petr.* 341
Diecmannus *Io.* 4+4
Dietericus *Io. Conr.* 377
Dionysius *Io. Bapt.* 248
Donus *Anton. Francisc.* 233
Drabitius *Nic.* 464
Draudius *Georg.* 3. 30. 516
Dranseus *Ioach.* 477
a Dudinck *Iodoc.* 47

E.

EBerti *Io. Casp.* 224
Eccardus. 289
Ehingerus *El.* 151
Elsius *Phil.* 353
Ernestus *Henr.* 115
Erythræus *Ianus Nicius.* 335. 430
Eunapius. 369
Eybenius *Christianus Wilbelm.* 385

F.

FAber *Ioannes Albert.* 416
Faber *Tanaquill.* 378
Fabricius *Ioannes Albert.* 375. 396. 408. 519
Fechtius *Io.* 428
Fauchetus *Claud.* 329

Faustus *Io.* 473
Felibianus. 379
Felgenhauer *Paul.* 461
Fellerus *Ioachim.* 184. 326. 506
Fendius *Tob.* 414
Fernandez *Alph.* 351
Fers *Christoph.* 190
Fibiger *Mich. Ios.* 327
Fichardus *Io.* 366
Ficinus *Mars.* 361
Fludd *Rob.* 468
Flaminius *Io. Ant.* 357
Flaminius *Sebast.* 357
Folieta *Vbert.* 338
Fontana *Augustin.* 389
Fontana *Vinc. Mar.* 352
Fontanelle 503
Forsterus *Val. Guil.* 365
Franciscus *Erasm.* 225. 387
von Franckenberg *Abrah.* 461
Francus *Dan.* 441
Freherus *Paul.* 313
Frisius *Io. Iacob.* 28. 372
Fuchsius *Ren.* 366
Furckius *Sebast.* 317
Fuhrmann *Aug.* 461

G.

Gaddius *Iac.* 386
Galeottus *Barthol.* 337

Galterius. 296
Gallesius *Io.* 46. 247
Gandolfus *Ant.* 353
Garnier *Io.* 37
Garzon *Io.* 351
Gassendus *Petr.* 104. 312. 371. 372
Gaudentius *Pagan.* 384
Gebhardus *Ian.* 177
Gemblacensis *Sigeb.* 355
Gennadius 355
Georgi *Dau.* 460
Georgius *Mediolanens.* 352
Germanicus *Constant.* 478
Gesnerus *Conr.* 3. 7. 27
Ghilinius *Hier.* 322
Goetzius *Georg. Henr.* 174
Goldastus *Melch.* 432
Gottschlinck *Casp.* 22
Gozzæus *Ambr.* 351
Grevv *Nehem.* 262
Græuius *Io Georg.* 39
Gratarolus *Guil.* 463
Gratianus *Thom.* 353
Greislauius. 477
Gretserus *Iac.* 440
Gröningius *Io.* 389
Grossius *Io.* 412
Grotius *Guilielm.* 365
Grotius *Hug.* 430
Grunæus *Sim.* 412

Gualterus *Io.* 37
Gudius *Marquard.* 429
Gundeling *Nicolaus Hieron.* 293
Gutmann *Ægid.* 455
Gyraldus *Lil. Gregor.* 378

H.

Händelius *Christoph. Christ.* 224
von Hagen *Gottl.* 478
Hagenius *Ioach. Henr.* 511
Hallervordius *Io.* 28. 373
Hallay *Edm.* 262
Hamconius *Mart.* 345
du Hamel *Io. Bapt.* 502
Hamelmannus *Hermann.* 327
Hanckius *Mart.* 326. 374. 396
ab Hardt *Hermann.* 187
Heckelius *Io. Frid.* 364
Hedovillius de Sallo. 247
Heidemannus *Christoph.* 187
Heinsius *Dan.* 104
Heinsius *Nic.* 38
Henelius ab Henefeld *Nic.* 327. 365
Henischius *Georg.* 151
Henninius *Henricus Christ.* 50. 377
Henrici *Christoph.* 29. 133
Herrera *Thom.* 353
Hervvartus ab Hohenburg *Io. Georg.* 134
Hesychius *Miles.* 370
Hieronymus. 355

Hoch-

Hochstetterus *Andr. Ad.* 97
Hodanus *Io. Frid.* 237
Hoburg *Christ.* 461
Hobbesius *Thom.* 474
Höschelius *Dau.* 151
Hoffmannus *Io. Iac.* 419
Holstenius *Luc.* 115
Hommey P. 253
Honorius. 355
Hoock. 261
Hopferus *Bened.* 437
Hottingerus *Io. Henr.* 24. 47. 122. 388
Hottomannus *Franc.* 365
Hovvels *Iac.* 432
Huguetanus. 435
Huldericus *Henr.* 122
Hyde *Thom.* 101

I.

IAcobaeus *Olig.* 124
Iacobi *Lud.* 45. 225. 331. 350. 353
Iacobilius *Lud.* 340
Iamblichus. 371
Iamesius *Thom.* 102
Iessenius *Frid.* 355
Imperialis *Io.* 334
Ionsius *Io.* 371
Iouius *Paul.* 321
Isidorus. 355
Iunckerus *Christian.* 194. 225. 245

Iunius

Iunius *Hadrian* 516
Iustinianus *Mich.* 338

K.

KHunrathus *Henr.* 464
Kirstenius *Mich.* 169
Knorrius *Christiana Rosenroth.* 464
Königius *Georgius Matthias.* 28. 311
Kortholdus *Christian.* 452
Kortholdus *Sebast.* 208
Kötter *Christoph.* 463
Krätz *Gottlob.* 12. 177
Kuhlmannus *Quir.* 461
Kulpisius *Io. Georg.* 390

L.

de Labbadie *Io.* 455
Labbeus *Phil.* 84. 322. 350. 357. 377
La Brune. 437
Laertius *Diog.* 369
Lambecius *Petr.* 10. 52. 129
Lancius *Io. Bapt.* 352
Langius *Wilh.* 115
Lantana *Hermes Francisc.* 268
a Lapide *Hyppol.* 477
Launoius *Io.* 332
Laurentius *Ioseph.* 431
Lautensack *Paul.* 455
Leade *Iana* 458
Lehmannus *Petrus Ambros.* 274. 294
Leibnizius *Ioannes Iac.* 154

Lei-

Leikherus *Frid. Iac.* 366
Lelandus *Io.* 346
Leopardus *Paul.* 371
Leopoldi *Ach. Dan.* 273
Leti *Greg.* 112, 385
Leubſcherus *Io. Theod.* 399. 415
Lichtenberg *Io.* 463
Lilius *Georg.* 347
von der Linden *Io. Ant.* 367
Lippenius *Mart.* 34
Lipſius *Iuſt.* 45. 47
Locrius *Ferreol.* 346. 403
Lœſcherus *Val. Ern.* 16. 223. 291
Lomeierus *Io.* 46. 49
Looſeus *Corn.* 324
Lorichius *Io.* 365
Lotichius *Io. Petr.* 378
Lucentius *Iul. Ambr.* 340
Lucius *Petr.* 353
Ludouici *Io. Petr.* 396
Ludouicus *Chriſtianus Theophil.* 31
Lundius *Zachar.* 377
Lurbeus *Gabriel.* 333
Lycoſthenes *Conr.* 28
Lyſerus *Io.* 459

M.

MAbillonus *Io.* 112. 436
Machiauellus *Nic.* 474
Maccius *Sebaſt.* 391

Maderus *Ioach. Io.* 47. 48. 51. 326
Magirus *Tob.* 385
Magliabechius *Ant.* 340
Magnus *Georgius Frid.* 152
Maierus *Mich.* 469. 517
de la Maine *Crucim.* 330
Maius *Io. Burc.* 18
Malchus. 371
Mallettus *Ant.* 352
a Mallincrot *Bernard.* 373. 406. 517. 518
Malpæus *Petr.* 352
Mandosius *Prosper.* 336
Mantua *Marc.* 366
Manzani *Petr. Paul.* 267
Marcellinus *Amm.* 2
Maresius *Roland.* 428
Marinus. 371
Marrier *Mart.* 354
Martinius *Io. Bapt.* 411
Marus *Ioannes Baptist.* 341
Mascardus *Augustin.* 391
Massonus *Io. Papir.* 316
Mastricht *Gerard.* 413
Matamorus *Alfons.* 341
Mauritius *Eric.* 390
Matthæus *Anton.* 434
Matthæus *Io.* 223
Mayerus *Io. Frid.* 388
Meibominus *Henr.* 21
Meibomius *Io. Henr.* 368. 391
Meie-

Meierus *Gerbard.* 388
Meierus *Gebbardus Theod.* 326
Meelfuhrer *Rud. Mart.* 418
Meelius *Io. Guil.* 433
a Mellen *Iac.* 273
Menagius *Ægid.* 224. 368. 387
Mencius *Balth.* 363. 412
Menckenius *Otto* 3. 269
Mentelius *Iacob.* 517
Mercklinus *Georg. Abrah.* 367
Meth *Ezech.* 455
Meursius *Io.* 344. 377. 415
Miegius *Lud Christian.* 433
Milletti *Francisc.* 264
Miræus *Aubert.* 343
Molinetus *Claud.* 90
Molinos *Mich.* 458
Mollerus *Io.* 20. 170. 327. 348. 415
Mollerus *Io. Gottl.* 12. 15
Moltkenius *Leu. Nic.* 454
Monconnysius 435
Montalbanus *Ouid.* 336. 368
Montfauconus *Bernhard.* 50. 112. 436
Morerus *Lud.* 419
Moretti *Petr.* 264
Morhoffius *Dan. Georg.* 3. 20. 394. 396. 427
Mornacius *Anton.* 330
Mortarius *Barth.* 352
Moya *Io. Perer.* 223
Moyne *Steph.* 152. 392
Morus

Morus *Henr.* 464
Musgraue *Wilh.* 262
Myleus *Christoph.* 7

N.

NAgelius *Io.* 461
Nasturcius *Petr.* 407
Naudæus *Gabr.* 3.25.37.49.394.430.469
Nazarius *Francisc.* 263
Neander *Io.* 367
Neander *Mich.* 8
Neocorus *Ludolph.* 303.370
de Nessel *Dan.* 130
Neu *Io. Christ.* 392
Neuhusius *Henr.* 467
Nicodemus *Leonard.* 340
Nicasius *Claud.* 498
Nigidius *Petr.* 328
Nitschius *Frid.* 250

O.

OChinus *Bernh.* 448
Oldenburger *Phil. Andr.* 478
Oldenburgius *Henr.* 261
Olearius *Io. Gottfr.* 358
Oldoinus *August.* 338.340.350
de Olmedo *Sebast.* 352
Omeis *Magnus Dan.* 188
Oudinus *Casimir.* 357

P.

PAncirollus *Guid.* 366
Pansa *Mut.* 111
Pandocheus *Ei.* 450
Pantaleon *Henr.* 324
Panuinius *Onuphr.* 48. 112
Paranus *Xaver.* 408
Paschalis *Io. Nic.* 366
Paschius *Io.* 224
Pastorius *Io. Iust.* 328
Patinus *Car.* 50. 329. 436
Patinus *Guid.* 431
Pauli *Sim.* 38
Pauli *Christ. Francisc.* 225
Pelissonus *Paul.* 335. 500
Peirerius *Isaac.* 456
Perraltus *Claud.* 217
Perraltus *Car.* 331
Periers *Bonau.* 453
Perry *Claud.* 338
Petreius *Theod.* 354
Petri *Suffrid.* 345
Peucerus *Casp.* 367
a Pfluck *Iul.* 49
Pfitzerus *Io. Nic.* 473
Philatæus *Lucill.* 431
Philelphus *Franc.* 428
Philostratus. 370. 371
Photius. 246
Pignorius *Laur.* 411

Picus *Ranut.* 339
de Piles. 380
de Pin *Lud. Ell.* 360
Pippingius *Henr.* 49. 193. 325
Piranus *Paul.* 391
Piſtorius *Io.* 464
Pitſeus *Io.* 346
Placcius *Vincent.* 412
a Plettenberg *Chriſt.* 327
Plot *Robert.* 262
Poiretus *Petr.* 458
Pocociantius *Mich.* 337
Polentonus *Xich.* 333
Pomponatius *Petr.* 446
Poniatouia *Chriſt.* 463
Portenarus *Angel.* 339
Portius *Sim.* 447
Poſſeuinus *Anton.* 21
Poſtellus *Guil.* 450
Praſchius *Dan.* 412
a Praro *Lucas Ferrin.* 337
Prince *Io.* 348
Prioratus *Gal Guald.* 335
Puffendorf. *Sam.* 430
Puteanus *Eryc.* 106. 117
Puteanus *Iac.* 36
a Puteo *Iul.* 338
Putherbeus *Gabr.* 383. 441

Q.

QUenstadihs *Ioannes Andr.* 313
Quesnell *Ioseph.* 36

R.

RAbus *Petr.* 303
Rachelius *Sam.* 390
Rathmannus *Herm.* 455
Raynaudus *Theoph.* 384. 441
Razzius *Seraph.* 351
Reboulet. 437
Rechenbergius *Ad.* 428. 479
Reinesius *Thom.* 368. 373
Reiserus *Anton.* 151. 364. 519
Reiskius *Io.* 484
Reusnerus *Nic.* 313
Rhodius *Io.* 413
Ribadeneira *Petr.* 350
Riccobonus *Anton.* 339. 490
Richardus *Sim.* 254
Richey *Mich.* 216
Richterus *Georg.* 397. 431
Ripamontius *Ios.* 117
Ristius *Io.* 287
Robertus *Gaudent.* 265. 354
Rocca *Ang.* 52. 111
de la Rochemaillet *Gabr. Mich.* 330
de la Roque. 253
de Rosieres *Franc.* 479
Roscius *Io. Victor.* 335

Rotenbeck *Mich.* 412
Roverta *Andr.* 337. 352
Rumetschius *Io. Christ.* 364
a Ryssel *Io. Iac.* 282
Rusdorfius *Ioach.* 477
Rutilius *Bernh.* 365

S.

SAchini *Franc.* 237
Sagittarius *Casp.* 49. 184. 359. 412
a Sala *Ant.* 370
Saldenus *Guil.* 384. 441
de Salignac *Fenelonus Franc.* 461
Sambucus *Io.* 369
Sammarthanus *Scauola.* 331
Sanderus *Anthon.* 106. 344. 415
Sandius *Christoph.* 373
de Sandrart *Ioach.* 379
Sanrey *Agnus Benignus.* 233
Sarrauius *Claud.* 429
Sarayna *Torell.* 338
Sarcmasius *Eubulus Theodat.* 407
Saubertus *Io.* 154. 519
Sauerbrey *Io.* 224
Saussay *Andr.* 357. 415
Scaliger *Ioseph.* 429
Scardeonius *Bernh.* 339. 366
Scauenius *Petr.* 37. 124. 413
Schefferus *Io.* 348
Schenckius *Io. Georg.* 369

Scheuch-

Scheuchzerus *Io. Iac.* 306
Scheurlius *Henr. Iul.* 394. 396
Schmidius *Io.* 517
Schmidtius *Io. Andr.* 47
Schopfius *Io.* 362
Schottus *Andr.* 81. 86. 342. 381
Schottus *Franc.* 48. 111
Schraderus *Laur.* 410
Schragius *Adam.* 517
Schubartus *Georg.* 3. 374. 394
Schvvartzius *Io. Conr.* 417
Schurtzfleischius *Conr. Sam.* 3. 434
Schützius *Guil. Ignat.* 224
Scioppius *Casp.* 237. 475
Sclei *Barthol.* 455
Scriuerius *Petr.* 516
Scultetus *Dau.* 208. 225
Seguinus *Phil.* 354
de Seine *Franc.* 37
Sennertus *Andr.* 186. 412
Sevvel *Wilh.* 303
Sickius *Henr.* 304
Sigebertus *Gemblac.* 355
Sigonius *Car.* 374
Simlerus *Iof.* 28
Simon *Dionyf.* 389
Simon *Richard.* 254
Sirmondus *Ant.* 447
Sloane *Io.* 262
Slufius. 37

Smetius *Thom.* 103
Smithius *Thom.* 433
Sorbierius *Sam.* 437
Sorionius *Balth.* 352
Sorellus *Car.* 330
Sothuellus *Nath.* 350
a Sotomaior *Ant.* 442
Spencerus *Io.* 96
Sperberus *Iul.* 496
Sperlingius *Otto.* 224
Spitzelius *Theoph.* 30. 49. 152. 363. 410
Spinotza *Bened.* 451
Sponius *Iac.* 435
Spratius *Thom.* 260. 437
Starouolſcius *Sim.* 349
Stempelius *Frid. Hannib.* 488
Stenger *Io. Melch.* 455
Stephanus *Henr.* 238
Stiefelius *Eſ.* 455
von Stöcken *Gerh.* 318. 381
Stolterfoth *Iac.* 460
Strasburg *Godofred.* 274
Struue *Burc. Gotth.* 276
Stryckius *Sam.* 390
Stübelius *Io. Iac.* 270
Suareſius *Ioſ. Mar.* 45
Sueuus *Gothofr.* 328
Suidas. 419
Superbus *Auguſt.* 339. 341
Svvertius *Franc.* 112. 344. 412
Sueto-

Suetonius. 375
Sylburgius *Frid.* 92

T.

TAxander *Valerius Andr.* 341
Teisserus *Anton.* 319. 322. 402
Tentzelius *Guilielmus Ernest.* 283. 285. 518
Tetius *Scip.* 85
Theuetus *Andr.* 315
Thomasius *Christian.* 275. 279. 476
Thomasinus *Iac. Phil.* 48. 119. 120. 334
Thomasius *Iacob.* 416
Thuanus *Iac. August.* 318. 381
Thurmannus *Casp.* 34
Tilemannus *Frid.* 391
Tollius *Cornel.* 409
Tollius *Iac.* 50. 436
Toniola *Io.* 412
Toppius *Nic.* 340
della Torre. 267
Tresslerus *Flor.* 24
Trithemius *Io.* 323. 336
Tsesch *Io. Theod.* 461

V.

de la Valee *Gothofr.* 453
Valerianus *Io. Pier.* 409
Valiensis *Io.* 370

Vanninus *Iul. Caes.* 447
Vannocius *Bonif.* 429
Varenius *Aug.* 357
Vasarius *Georg.* 379
Vaultierus. 420
le Vayer *de la Mothe.* 374. 393
Vectianus *Iac.* 431
Velschius *Georg. Hier.* 13. 45. 367. 418. 432
a Verasio *Labro.* 407
Verdierius *Ant.* 28. 329
Verdierius *Claud.* 237
Verheiden *Iac.* 363
Vertonus *Alb. Lain.* 387
de Vigneul Marville. 406
de Vesan *Abb.* 420
Villanius *Io. Petr. Iac.* 414
Vindingius *Erasus.* 377
Vindingius *Paul.* 414
Visch *Car.* 354
Vitre *Anton.* 517
de Vize *Ioannes Daneau.* 451
Vockerodt *Gothofr.* 484
Voetius *Giseb.* 388
Voglerus *Valentinus Henr.* 21
Volaterranus *Raph.* 371
Vossius *Gerhardus Io.* 372. 375. 378. 392. 432
de Vries *Sim.* 284
Vrsinus *Flau.* 47
Vssan *Abb.* 420
Vulcanus *Bonau.* 28

W. Wa-

W.

Wadingus *Luc.* 354
Wagenseil *Io. Christoph.* 132 154
Waller *Rich.* 262
Waræus *Iac.* 348
Weckius *Ant.* 135
Wedelius *Georg Wolffg.* 279. 507
Weigelius *Valent.* 455
Weigelius *Erh.* 511
Weigelius *Valent.* 472. 473
Werenfelsius *Sam.* 233
Whartonus *Henr.* 539
Whear *Dhegor.* 392
Widmannus *Georg. Rud.* 473
Willotus *Henr.* 354
Wittenus *Henning.* 314. 334. 366 371
Wolfius *Const.* 246
a Wood *Anton.* 347
Wottonius *Wilh.* 229
Wouvverius *Io.* 6. 431
Wusthoffius *Barth. Henr.* 32

Z.

Zeilerus *Mart.* 358. 375
Zennerus *Gottfrid.* 268
Zeumerus *Io. Casp.* 329

INDEX SECVNDVS TYPOGRAPHORVM, BIBLIOPOLARVM ET CORRECTORVM PRÆCIPVORVM.

von der Aa *Petr.* 569. 573
Amerbachius *Io.* 565
Arnoldus. 552
Aubrius *Io.* 571
Badius *Iodocus.* 560. 564
Baſanus *Dominicus.* 557
Baſſæi. 571
Bellerus *Io.* 567
Bemlerus *Io.* 572
a Beughem *Cornelius.* 569
Blauiorum officina. 569
Billænius *Ludouicus.* 563
Bomberg *Dan.* 556
Bulifonius *Anton.* 557
Camuſatus *Io.* 563
Cholinus *Maternus.* 571
Chovet. 566
Colinæus *Simon.* 560
Commelinus *Hieronymus.* 572
Conradus. 552
Cramoiſy *Gabriel.* 563

Cra-

Cramoiſy *Sebaſtianus.* 563
Cramoiſy *Sebaſt. Mabre.* 563
Doletus *Stephanus.* 565
Elzevirius *Dan.* 568
Emmelius. 571
Epiſcopius *Nic.* 565
Feirabendii. 571
Fiſcheri. 571
Flach *Mart.* 572
Fritſchius *Thomas.* 573
Frobenius *Ambroſ.* 565
Frobenius *Hieron.* 565
Frobenius *Io.* 565
Froſchouerus *Chriſtoph.* 566
Glauchenſe *Orphanotrophium.* 573
Gleditſchius. 573
Goltzius *Hubertus.* 567
Gryphius *Sebaſt.* 564
Gymnicus *Io.* 572
Hackius *Franciſcus & Daniel.* 569
Halma *Franciſcus.* 573
Hamman *Hamſon.* 554
Han *Vdalricus.* [illegible]2
Hervagius *Io.* 565
Hittorpius *Gottfried.* 572
Huguetani. 569
Ianſonii. 569
Ienſonius *Nicolaus.* 546
Iunta *Bernardus.* 557
Kalenius *Gervinus.* 572
Keslerus *Nicolaus.* 565

Ko

Koburgerus *Antonius.* 572
Kopfii. 571
Manutius *Aldus.* 554. 555
Manutius *Paulus.* 555
Marnius *Claudius.* 571
Morellus *Guilielm.* 563
Morettus *Balth.* 567
Morettus *Io.* 567
Mortier *Petrus.* 573
Mylius *Hermannus.* 572
Niuellus *Sebaſtianus.* 563
Nutius. 567
Oporinus *Io.* 566
Paliſſonus *Mamertus.* 563
Palthenius. 571
Pauli *Simon.* 572
Perna *Petrus.* 565
Petri *Adamus & Henricus.* 565
Plantinus *Chriſtophorus.* 566
Quentelius *Petrus.* 572
Raphelengius *Franciſcus.* 568. 574
Roſæ. 571
Rouillius *Guilielm.* 505
Ruſingerus *Sixtus.* 572
Ruſchius *Adamus.* 572
Scheldonianum *Theatrum.* 570
Schleichius *Clemens.* 571
Scotus *Octauianus.* 554
de Soardis *Latzarus.* 557
Stephani *Henricus.* 560. 561

Stephani *Robertus.* 560
Stoer *Iacobus.* 566
Syluius *Guilielmus.* 567
Thory *Gothofredus.* 563
Tiletanus *Io. Lud.* 563
Turnebus *Adrianus.* 562
Typographia *Vaticana.* 558
Vignon *Eustachius.* 566
Vitreus *Antonius.* 563
Wæchelius *Andreas.* 571
Wæchelius *Christian.* 564
Wetstenius *Henr.* 569
Wiederhold. 569
Winterus *Anton.* 565
Zetznerus *Latzarus.* 572

CLARI CORRECTORES

Amerbachius *Ioannes & Vitus.* 575
Casaubonus *Isaacus.* 575
Erasmus *Roterodamus.* 575
Gelenius *Sigismundus.* 575
Gerbelius *Nicolaus.* 575
Gesdalius *Anton.* 574
Geselinus *Victor.* 574
Harduinus *Franciscus.* 574
Kilianus *Cornelius.* 574
Musculus *Wolfgangus.* 575
Pulmannus *Theodorus.* 574
Raphelengius *Franciscus.* 574
Sylburgius *Fridericus.* 574
Trecius *Petrus.* 575

INDEX RERVM.

A.

Abbreuiatorum ſocietas p. 488. §. 5.
Abysſinorum Bibliothecæ p. 79. §. 3.
Academia Anglorum p. 504. §. 22. Berolinenſis ſcientiarum p. 510. §. 28. apud Bononienſes p. 492. §. 11. Ciceronis p, 487. §. 3. Curioſorum p. 279. §. 13. Francica p. 498. §. 18. Gallorum p. 497. §. 17. Prouinciarum in Gallis p. 503. §. 21. Germanorum p. 505. §. 24. Italorum p. 488. §. 6. Otioſorum p. 493. §. 12. in terris Papalibus p. 492. § 10. apud Parmenſes p. 496. §. 16. Platonis p. 486. §. 2. Regia ſcientiarum p. 501. §. 20. Romanorum p. 491. §. 9. Suecorum p. 505. §. 23. Venetorum p. 490. §. 7. Vincentinorum p. 490. §. 8.
Acta Brixienſia philexoticorum p. 267. §. 19. Eruditorum Lipſienſia p. 269. §. 20. Medica Hafnienſia p. 295. §. 41. Litteraria ex Manuſcriptis eruta p. 277. §. 25.
Ægypti Bibliothecæ p. 78. §. 2.
Ætas Scriptorum quænam ſit præferenda p. 227. §. 18. an hodierna antiquiori p. 229.
Alexandrinæ bibliothecæ p. 54. §. 8.
Amſtelodamenſes typographi p. 569. §. 30.
Anglorum Academiæ litterariæ p. 504. §. 12. Bibliothecæ p. 95. §. 12. eminent in Hiſtoria atque antiquitatibus Eccleſiaſticis p. 211. §. 9.

cata-

catalogus Scriptorum Anglicorum p. 346. §. 22. Societatis Anglorum Regiæ historia, p. 260. §. 1. & seqq. Typographi celebriores p. 570. §. 34.

Antiquitatibus Ecclesiasticis eminent Angli p. 211. §. 9. Collegium Antiquitatum Vpsaliense p. 505. §. 23.

Anonymi, pseudonymi & suppposititii p. 412. §. 18.

Architectorum vitas qui scripserint p. 379. §. 40.

Argentinensibus prima inuentio typographiæ non est tribuenda p. 547. §. 13. typographi clari p. 572. §. 37.

Aristoteles non fuit primus auctor bibliothecarum apud Ægyptios p. 53. §. 7. eius Opera fuerunt in bibliotheca Alexandrina. p. 55.

Athei libri p. 444. §. 4. & sqq.

Auctores ficti pro veris p. 5. §. 4. Auctores clasici in vsum Delphini quid præstent p. 210.

Augusti Principis Bibliotheca p. 59. §. 12.

B.

B*ailleti* Controuersia cum Menagio p. 387.

Belgæ in Iure Ciuili atque elegantiori litteratura præstant p. 213. §. 11. Catalogus Scriptorum Belgarum p. 343. §. 21.

Bibliotheca Abbatiæ S. Galli p. 123. §. 27. Abyssinorum p. 79. §. 3. Academiæ Cantabrigiensis p. 102. §. 14. Heidelbergensis p. 186. §. 33. Iuliæ p. 186. §. 34. Lipsiensis p. 184. §. 34. Wit-

Wittebergensis p. 185. ad S. Adelbertum Dominicanorum p. 178. Ægyptiaca p. 78. §. 2. Alexandrina p. 54. §. 8. Ambrosiana p. 132. §. 3. Anglorum Westmonasteriensis p. 95. §. 12. Annæbergensis p. 174. §. 26. Antvverpiensis p. 105. §. 18. Arnstadii Schvvartzburgica p. 148. §. 15. Attalica Pergamenorum p. 57. §. 9. Augustiniana Ecclesiæ Erfurtensium p. 192. §. 39. Barbariniana p. 113. Bauarica Monachii p. 134. §. 5. Bernhardiana p. 177. §. 30. Bernensis p. 123. §. 27. Berolinensis p. 132. §. 3. Bituricensis p. 91. §. 8. Bodleiana p. 97. §. 13. Bononiensis p. 121. Bremensium p. 156. §. 19. Budensis p. 66. §. 18. Budissensis Gymnasii p. 175. §. 27. Byzantina p. 62. §. 14. Cæsar Augustana p. 86. §. 5. Capitolina p. 61. Cardinalium p. 113. a Carolo M. institutæ & Regibus Francorum p. 65. §. 17. Cassellana p. 145. §. 13. Citicensis p. 143. §. 12. Colbertina p. 95. §. 11. Collegii Claromontani p. 91. § 8. Sorbonici p. 90. §. 7. Complutensis p. 86. §. 5. Constantinopolitanæ p. 76. §. 1. Cottoniana p. 103. §. 15. Cracouiensis p. 126. §. 31. Dominicanorum ad S. Adelbertum p. 177. Ecclesiæ Cathedralis in Insula D. Ioannis p. 177. §. 30. Erfurtensis p. 189. §. 36. p. 192. §. 29. Ferrariensis p. 120. §. 26. Florentina p. 114. §. 21. Francofurtana ad Viadrum p. 188. §. 35. Francofurtensium ad Mœnum p. 170. §. 21. Abbatiæ S. Galli p. 123. §. 27.

§. 27. Gallicanæ p. 87. §. 6. Gandauensis p. 106. Geneuensis p. 121. Gerani templi p. 192. §. 39. S. Germani p. 90. §. 8. Gothana p. 139. §. 9. Gottorpiana p. 145. §. 14. Græcorum p. 58. §. 11. Guelferbytana p. 136. §. 8. Hafniensis p. 124. §. 29. Hallensis Senatoria p. 175. §. 28. Hamburgensium p. 168. §. 20. Hebræorum p. 57. §. 10. Heidelbergensis p. 69. §. 19. Heilsbergana p. 125. §. 30. Helvetorum p. 122. § 27. Herbipolitana p. 190. §. 37. Hierosolymitana ab Alexandro Episcopo instructa p. 64. Hispanica p. 81. §. 4. Holmiensis p. 123. §. 28. Humfrediana p. 97. §. 13. Iesuitarum p. 112. §. 12. Ingolstadiensis p. 190. §. 37. Isenacensis p. 143. §. 11. Lamoniana p. 95. §. 11. Laurentiana p. 154. §. 18. Lipsiensis p. 173. §. 23. Lipsiensis Thomana p. 193. §. 40. Louaniensis p. 105. §. 18. Lubecensium p. 172. §. 23. Lucensis p. 121. Lugdunensis p. 104. §. 16. Luneburgensium p. 172. §. 24. Magdeburgensis Ecclesiæ Cathedralis p. 190. §. 38. Mazariniana p. 91. §. 9. Mediolanensis p. 115. §. 22. Meinungensis p. 143. §. 11. Moguntinæ p. 190. §. 3. Monachii Bauaricæ p. 134. §. 5. Murciana p. 86. §. 5. Mutinensis p. 121. Neapolitana p. 122. §. 26. Noribergensium p. 152. §. 17. Orientalis p. 63. §. 15. Occidentalis & OstroGothorum p. 65. §. 16. Oxoniensis p. 97. §. 13. Pacis p. 60. §. 13. Papiensis p. 121. apud Pa-

risienses p. 90. §. 7. Patauina p. 120. §. 23. Pergamenorum p. 57. §. 9. Persarum p. 57. §. 10. Pisana p. 121. Pisistrati apud Græcos p. 58. §. 11. apud Prædicatores p. 91. §. 8. Ratisbonensium p. 171. §. 22. Regiomontana p. 125. §. 30. de primis Romanorum bibliothecis vsque ad tempora Augusti p. 59. §. 12. Rothomagensis p. 91. §. 8. Sabaudica p. 119. §. 24. Salmanticensis p. 86. §. 5. Saxoniæ Electoris p. 135 §. 6. Schleusingensis Gymnasii p. 193. §. 41. Seguieria p. 94. §. 11. Senensis p. 121. Societatis Regiæ Anglicanæ p. 96. Syrorum p. 57. §. 10. Telleriana p. 95. §. 11. Thuani p. 93. §. 10. Ticinensis p. 121. Tiberianæ domus p. 60. §. 13. Tigurinorum p. 122. §. 27. Traiana p. 60. §. 13. Validolitana p. 86. §. 5. Vaticana p. 106. §. 19. Venetorum p. 116. §. 23. Vinariensis p. 142. §. 10. Vindobonensis p. 128. §. 1. Viterbiensis p. 121. Vlpia s. Traiana p. 60. §. 13. Vltraiectensis p. 105. §. 17. Vpsaliensis p. 123. §. 28. Vratislauiensis p. 176. §. 29. 30. Windhagiana p. 131. §. 2.

Bibliothecæ qua ratione adeundæ p. 196. §. 1. prima bibliothecarum cura ab Ægyptiis petenda p. 53. §. 7. antidiluuianas non dari, contra Maderum asseritur p. 52. §. 6. Bibliothecæ antiquæ institutum p. 278. §. 26. sub appellatione bibliothecæ quæ comprehendantur p. 51. §. 4. qui Catalogos bibliothecarum ediderint p. 36. §. 23. aliter disponuntur

tur

tur bibliothecæ, aliter excerpta litteraria p. 39. §. 24. quænam excerpta in bibliothecis facienda p. 240. §. 23. bibliothecæ sub Impp. Rom. p. 60. §. 13. Scriptores, qui certas saltem Bibliothecas in itinerum relationibus descripserint p. 50. §. 3. Librorum notitia ex bibliothecis hauritur p. 2. §. 1. Scriptores bibliothecæ latentis p. 418. §. 21. quam originem habuerint bibliothecæ p. 51. §. 5. quomodo bibliothecis vtendum in peregrinando p. 240 §. 24. Scriptores bibliothecæ promissæ p. 418. §. 21. Scriptores bibliothecarum realium p. 30. §. 21. & seqq. Scriptores, qui rei litterariæ atque bibliothecariæ dispositionem docent p. 24. §. 18. & seqq. Scriptores de bibliothecis in genere p. 45. §. 1. & seqq. Quid in vsu bibliothecarum obseruandum p. 239. §. 22.

C.

Cabalistici Scriptores p. 464. §. 27.
de *Casuistis* Pontificiorum iudicium p. 480.

Catalogos Bibliothecarum qui ediderunt p. 36. §. 21. & seqq. qui catalogos vniuersales ediderunt p. 27. §. 20 Catalogus librorum Anglicorum p. 346. §. 22. Belgarum p. 343. §. 21. Florentinorum p. 337. §. 16. Hispanorum p. 341. §. 20. Veronensium p. 338. §. 17.

Chymici Scriptores p. 465.
Classici Auctores in vsum Delphini p. 210.
Collegium Antiquitatum Vpsaliense p. 505. §. 23. Gellianum Lipsiense p. 511. §. 29. Imperiale Historicum p. 507. §. 26. Naturæ curiosorum p. 506. §. 25.
Conradus & Arnoldus Germani primum typographiam Romam introduxerunt, p. 552. §. 25.
Correctores celebriores recensentur p. 573. §. 39.
Criteria, iuxta quæ libri sunt diiudicandi p. 199. §. 3. & seqq.
Curiosorum Academiæ Miscellanea p. 279. §. 27. Collegium Naturæ Curiosorum p. 506. §. 25.

D.

Dani in scriptis Germanos imitantur p. 214. §. 12.
Diaria vid. Ephemerides.
Dictionaria historica atque ad rem litterariam facientia p. 419. §. 22.
Dictorum collectores a claris viris p. 397. §. 11.

E.

de *Elogiis* Scriptores atque iudiciis clarorum virorum p. 385. §. 2. Scriptores vitarum & elogiorum variorum Eruditorum p. 319. §. 1. & seqq.

Encyclo-

Encyclopædia differt ab hiſtoria litteraria p. 7. §. 6.

Ephemerides Anglorum p. 260. §. 12. Belgarum p. 295. §. 42. Danorum p. 295 §. 41. Ferrarienſium p. 267. §. 17. Gallorum p. 247. §. 3 Germanorum p. 268. Heluetorum p. 305. §. 51. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ p. 253. §. Litterariæ §. 7. & ſeqq. Italorum p. 263. §. 14. Parmenſium p. 265. §. 16. Scauantes p. 272. §, 21. Scriptores Ephemeridum p. 248. §. 2. & ſeqq. Venetorum p. 264. §. 5. Vtilitas p. 245. §. 1.

Epiſtolarum Scriptores quæ ad rem litterariam faciunt p. 427. §. 22.

de *Epitaphiis* & monumentis Scriptores p. 410. §. 13.

de *Eruditorum* fatis qui ſcripſerint p. 409. §. 16.

Excerpta. Ordo quidam demonſtratur, quomodo excerpta litteraria ſint dirigenda p. 39. §. 24. quænam in bibliothecis facienda p. 240. §. 23.

Expurgatorii Indices Pontificiorum quid & quotuplices p. 441. §. 2. quis eas deſcripſerit. *Ibidem.*

F.

F*Auſtus* fatum quod cum libris ſuis habuit ab initio p. 545. §. 11. vnde Ioanni Fauſto & Petro Schöffero attribuatur typogra-

phiæ inuentio p. 539. §. 9. ſumtus præbuit Guttenbergio ad typographiam p. 536. §. 7. poſtea ſeparatam inſtituit p. 543. §. 10.

in *Fide hiſtorica* quinam Scriptores præferendi p. 221. §. 15.

Fratres roſeæ crucis & illorum ſcripta p. 466. §. 29.

G.

GAlli litteras elegantiores ſcriptis præcipue excolunt p. 209. §. 8. Gallorum Societates litterariæ p. 497. §. 17. in Prouinciis p. 503. §. 21.

Gänſ-fleiſchius videtur idem fuiſſe cum Guttenbergio p. 539. §. 8.

Germani quid ad artem typographicam contulerint p. 528. §. 5. Germanorum pruritus in ſcribendo notatur p. 203. Germanorum ſcribendi ingenium p. 215. §. 13. & rationes indagantur p. 216. Res litteraria apud Germanos qua ratione cœperit p. 3. §. 2.

Guttenbergius inuentor typographiæ, ſumptus præbente Fauſto p. 536. §. 7. videtur idem fuiſſe cum dicto Gänſefleiſchio p. 539. §. 8.

Gymnaſia. Scriptores qui Profeſſores in Gymnaſiis recenſuerunt p. 339. §. 18.

H.

HÆretici Scriptores p. 455. §. 16. seqq.
Hamburgensia noua litteraria p. 274. §. 25.
Harduinus in suo Plinio plagium commisit, p. 210.
Harlemenses an inuentores typographiæ, disquiritur p. 525. §. 4.
Heluetica Noua litteraria p. 305 §. 51.
Hispanorum scribendi mos p. 203. Moralem disciplinam scriptis potissimum excolunt p. 209. §. 7.
Historia litteraria p. 235. §. 7. & seqq. historia litteraria in quo discrepat a polymathia, p. 5. §. 5. ab encyclopædia p. 7. §. 6. diuisio historiæ litterariæ p. 9. §. 7. de Scriptoribus historiæ typographicæ p. 516. §. 1. Autores instituti historiæ vniuersalis recensentur, p. 7. §. 7. & seqq.
Historici qui in præiudicium certæ domus scripserint p. 478. §. 40. Scriptores qui de scriptis historicorum iudicarunt p. 391. §. 6. vitas historicorum qui scripserint p. 372. §. 37.
Homonymi. Scriptores de homonymis p. 415. §. 19.

I.

IAnsonium non fuisse typographiæ autorem, probatur p. 546. §. 12.
Iesuitarum Bibliothecæ p. 112. §. 10.
Indices Pontificiorum expurgatorii quid & quotuplices p. 441. §. 2. quis eos descripserit. p. 16.
Ingenia præcocia eorum, qui tenera ætate scripta ediderint p. 206.
Inscriptiones. Academia Francica inscriptionum atque numismatum p. 500. §. 19.
Iournal vide Diarium.
Itali in iure Ciuili præcipue excellent p. 212. §. 10. Societates litterariæ Italorum p. 488. §. 6. & seqq.
Itinerariorum Scriptores qui ad rem litterariam faciunt p. 435. §. 24. Scriptores qui certas saltem bibliothecas in itinerum relationibus descripserunt p. 50. §. 3.
Iudicia virorum celebrium de scriptis sunt attendenda p. 225. §. 16. Scriptores de Elogiis atque Iudiciis clarorum virorum p. 385. §. 2. Iudicia quorundam Scriptorum nouiter edita p. 407. §. 15.
Iureconsultorum vitas qui scripserint p. 389. §. 4. de Ictorum scriptis qui egerint p. 399. §. 4.

L.

LIbrorum notitia ex bibliothecis hauritur. p. 2. §. 1. Scriptores qui modum de libris iudicandi docuerunt p. 383. §. 1. raritas libri vnde accidat p. 225. §. 20. præstantiores typographi ad criterium boni libri pertinent p. 220. §. 14. quænam librorum editiones optimæ p. 221. §. 14. quid in libris inspiciendis obseruandum p. 197. §. 2.

Litteraria Acta vid. Acta litteraria *Noua* vid. Noua litteraria *Res* vid. Res litteraria *Societates* vid. Societates.

Logica. Qui de Logicis scriptis iudicarunt p. 296. §. 9.

Ludicra Scripta varia recensentur p. 232.

M.

MAgici libri p. 469. §. 30. & seqq.

Manuscripta Bibliothecæ regiæ Galliarum quis ediderit p. 88. Acta litteraria ex Manuscriptis eruta p. 277. §. 25.

de *Medicorum* scriptis qui iudicarunt p. 390. §. 5. vitas medicorum qui scripserint p. 366. §. 34.

Menagius. Controuersia cum Bailleto p. 387.

Mercurii Gallici p. 251. §. 4.

Methodus bona est criterium boni libri p. 231. §. 19.

Miscellanea Academiæ curiosorum p. 279. §. 27.

Moguntini an primi fuerint inuentores typographiæ p. 532. §. 6.

Monarchomachorum scripta p. 473. §. 34.

Mulieres. Scriptores de mulieribus doctis p. 223.
Mystici libri p. 460. § 22.

N.

Naturalistarum Catalogus exhibetur p. 458. §. 20. & seqq.
Naudæus non fuit primus inter Gallos, qui rem litterariam docuerit p. 3. §. 2.
Noua litteraria Hamburgensia: directores & iudicium de iis p. 274. § 23. Heluetica p. 305. §. 51. Maris Balthici p. 273 §. 22.
Numismatum Academia Francica p. 500. §. 19.

O.

Obscæni Scriptores p. 479. § 41.
Ordinis Augustinianorum p. 353. §. 27. Carmelitarum p. 16. §. 28. Dominicanorum Scriptores p. 351. §. 26.
Ostrogothorum Bibliothecæ p. 65. §. 16.

P.

de *Philologorum* scriptis qui iudicarunt p. 396. §. 10. qui vitas Philologorum scripserint, p. 375. §. 38.
Philosophorum vitas veterum ac recentiorum, qui scripserint p. 369. §. 15. & seqq.
de *Philosophiæ* moralis scriptis nonnullorum, iudicium p. 394. §. 7.
de *Physicis* scriptis qui iudicarunt p. 396. §. 9.
Pictorum vitas qui scripserint p. 379. §. 40.
de *Plagio* litterario Scriptores p. 416. §. 20.
Poetarum vitas qui scripserint p. 378. §. 39.

de

de *Politicorum* ſcriptis, qui ſcriptores iudicarunt p. 394. §. 8.
apud *Polones* rariores ſunt eruditi p. 115. §. 11.
Polymathia quomodo differat ab hiſtoria p. 5. §. 5. exempla πολυμαθῶν ſunt in Hippia, Iul. Cæſare Bottiſanga p. 5. §. 5.
de *Pontificum* vitis Scriptores p. 350. §. 24.
de *Præadamitis* opinio excutitur p. 456.
qui *Profeſſores* in Academiis & Gymnaſiis recenſuerunt p. 326 §. 11. & ſeqq.
de *Principibus doctis* Scriptores p. 223.
de *Prognoſticis* Scriptoribus p. 462. §. 25.
de *Pſeudonymis* Scriptores p. 412. §. 18.

R.

R*Es litteraria.* Scriptores præcipui qui in rem litterariam introducunt p. 20. §. 16. & ſeqq. diſcrepat a Polymathia p. 5. §. 5. apud Germanos qua ratione cœperit p. 3. §. 2. Scriptores qui rei litterariæ atque bibliothecariæ diſpoſitionem docent p. 24. §. 18. & ſeqq. Ephemerides hiſtoriæ litterariæ p. 253. §. 7. & ſeqq. Rei litterariæ vtilitas p. 4. §. 3.

S.

S*Criptorum* ætas quænam præferenda an hodierna antiquiori p. 227. §. 18. & ſeqq.
Sculptorum vitas qui ſcripſerint p. 379. §. 40.
Scythæ an fuerint primi auctores typographiæ p. 519. §. 2.

Sinenses an artem typographicam primum invenerint, disquiritur p. 523. §. 3.

Societates litterariæ in genere de iis, qui scripserint p. 484. §. 1. & seqq. Abbreuiatorum p. 488. §. 5. Anglorum p. 504. §. 22. Societas regia Anglorum, eius historia, institutum vtilitas p. 260. §. 12. & seqq. Bononiensis p. 492. §. 11. disquirentium p. 512. §. 31. Gallorum p. 497. §. 17. Germanorum p. 505. §. 24. Italorum p. 488. §. 6. & seqq. Kiloniensis p. 512. §. 32. Pythagorea Ienæ p. 511. §. 30. Scrutantium p. 512. §. 31. apud Romanos p. 491. §. 9. Venetorum p. 490. §. 7. apud Vincentinos p. 490. §. 8.

Societatis Iesu Scriptores p. 350. §. 25.

contra *Politicum* statum scripta p. 473. §. 34. ac in specie Imperii Romani Germanici p. 477. §. 38.

Sueci in peruestigandis patriæ antiquitatibus seduli p. 214. §. 12. Scriptores qui vitas clarorum Suecorum scripserint p. 348. §. 23.

de *Suppositiis* Scriptores p. 412. §. 18.

Syrorum Bibliotheca p. 57. §. 10.

T.

de *Theologorum* scriptis qui iudicarunt p. 388. §. 3. vitas, tam veterum quam recentiorum qui scripserint p. 361. §. 31.

Translatio in exteras linguas est nota boni libri p. 226. §. 17.

Typographi præstantiores ad criterium boni libri pertinent p. 220. §. 14. Typographi apud Amstelodamenses p. 569. §. 30. Angli p. 570. §. 33. Argentinenses p. 572. §. 37. Basileenses p. 565. §. 27. Belgæ p. 566. §. 28. Brugenses p. 567. §. 29. Embricenses p. 569. §. 32. in Galliis p. 560. §. 21. & seqq. Germani p. 570. §. 34. Lugdunenses p. 564. §. 25. & seqq. Neapolitani p. 557. §. 19. Noribergenses p. 572. §. 36. Puteolis p. 557. §. 19. Venetiis p. 553. §. 16. & seqq.

Typographia. De origine & inuentoribus typographiæ, variæ opiniones recensentur, p. 519. §. 2. & seqq. an Scythæ *ibid.* an Sinenses p. 523. §. 3. an Harlemenses p. 525. §. 4. an Moguntini p. 532. §. 6. an Nic. Iansonius p. 546. §. 12. an Argentinenses p. 547. §. 13. de propagatione artis typographicæ p. 550. §. 14. Romam hanc artem duo Germani induxerunt p. 552. §. 15. ratio inventæ artis typographicæ exponitur p. 538. §. 8. I. Guttenbergius verus fuit inuentor, sumtum præbente Fausto p. 536. §. 7. Germani quid ad artem typographicam contulerint p. 528. §. 5. Vaticana typographia p. 558. §. 20.

V.

VIta, in vitæ deſcriptione an etiam minima ſint recenſenda p. 311. §. 3. Scriptores vitarum & elogiorum virorum Eruditorum p. 310. §. 1. & ſeqq. vitas Scriptorum certæ alicuius Facultatis quinam illuſtraverint p. 355. §. 29. Scriptores qui propriam vitam ſcripſerint p. 380. §. 41.

Vitarum Scriptores Angli p. 319. §. 7. Galli p. 315. §. 5. it. p. 329, §. 12. Germanorum p. 323. §. 10. Itali p. 321. §. 8 p. 333. §. 14. Neapolis p. 340. §. 19. Vniverſales p. 322. §. 9. Particulares p. 323. §. 10.

FINIS.

BURCARDI GOTTHELFII STRUVII

SUPPLEMENTA AD NOTITIAM REI LITTERARIÆ ET USUM BIBLIOTHECARUM

ACCESSIT ORATIO.

DE MERITIS GERMANORUM IN HISTORIAM

IENAE.

SUMPTIBUS ERNESTI CLAUDII BAILLIAR

CIϽ IϽCCX.

B. L.

VErſamur iam in Seculo rei litterariæ fertiliſſimo, quæ indies maiora capit incrementa. Ex eo factum, vt introductio noſtra continuis indigeret ſupplementis, ob totidem quæ quotidie euulgantur, ſcripta litteraria. Licet autem eandem nunc curam rei litterariæ adhibere haut liceat, qualem olim, cum increſcentes occupationes aliæ illud minime admittant, neque tamen omnem plane curam depoſui, cum inter legendum diaria eruditorum, vel quæuis alia ſcripta, hinc inde obſeruem quæ neceſſaria, maxime vero ea, quæ ad generalem faciunt rei litterariæ notitiam. Dum igitur tertia nunc vice in lucem prodat hæc noſtra introductio, dedi illud inuitus licet, deſiderio Auditorum, dedi petitis bibliopolæ, & quas introdu-

ctio-

ctioni meæ adſcripſerā notas, horis ſucciſiuis in ordinem redegi, easdemque ſeparatim edi curaui, vt & ipſis qui ſecundæ iamdum editioni adſueti, ſubuenirem. Reperiuntur in hisce ſupplementis vel quæ recentius prodierunt ſcripta, vel quæ alias in introductione ſupplemento vel emendatione indigere putaui. Adieci indicem auctorum, qui in ſupplementis hiſce recenſentur. Tuis igitur vſibus Tuoque fauori, B. L. hæc ipſa commendo ſupplementa. Nec ingratum erit, ſi promouendæ vtilitatis publicæ ergo addas vel emendes quæ neceſſaria.

Supplenda vel emendanda

Ad Cap. I. §. IV.

De erroribus litterariis.

LVdouicus Iacobi Traitté des Bibliotheques *pag. 200.* verba Adami in vita Brentii *sequenti die venit Halam quidam Hispaniensium episcopus*, ita interpretatur; *vn eveque nommé Halam.* Addimus Eiusdem errorem in Geographicis, quem paullo post committit *p. 203. Dans la mesme Prouince de Franconie, ou France Orientale est la ville de Mont-Real, vulgairement appellée Konigsberg, & en Latin Mons Regius, dans laquelle à prins naissance ce fameux Mathematicien Iean Muller surnommé Regiomontanus.* Eiusmodi errores litterarii indicantur etiam in Marville Melanges *p. 2. p. 205.* Molleri Homonymoscopia *l. I. c. 5.* *Bericht von neuen Büchern. p. 7. p. 666.*

Ad §. VII. p. 7.

De Gesneri Pandectis.

De Gesneri Pandectis hic quædam addere libet. Integer Titulus est: *Pandectarum siue partitionum vniuersalium* CONRADI GESNERI *libri XXI. Tiguri excudebat Christophorus Froschouerus* 1548. *f.* Secundus hic Bibliothecæ Tomus dicitur totius philosophiæ & omnium bonarum artium atque studiorum Locos communes & ordines vniuersales simul & particulares complectens. Ordo librorum in altera tituli pagina talis exponitur: Liber primus de Grammatica & Philologia, secundus de Dialectica, tertius de Rhetorica, quartus de Poëtica, quintus de Arithmetica, sextus de Geometria, Opticis & Catoptricis, septimus de Musica, octauus de Astronomia, nonus de Astrologia, decimus de diuinatione cum licita, tum illicita, & Magia, vndecimus de Geographia, duodecimus de Historiis, decimus tertius de diuersis artibus illiteratis, Mechanicis & aliis humanæ vitæ vtilibus, decimus quartus de naturali philosophia, decimus quintus de prima philosophia seu Metaphysica & Theologia gentilium, decimus sextus de morali philosophia, decimus septimus de œconomica philosophia, decimus octauus de re politica, id est, ciuili & militari, decimus nonus de Iurisprudentia indices tres, vi-

ge-

gesimus de re medica, vigesimus primus de Theologia Christiana. Quilibet liber in certos titulos distribuitur, & sub iisdem adnotantur non libri solum, qui ex professo de quauis materia egerunt, sed etiam qui in aliis tractatibus de eadem paullo prolixius tractarunt. Soli tamen librorum tituli adlegantur sine loco & anno impressionis, quæ iam in Bibliotheca sua adnotauerat, ad quam ideo statim in præfatione sua Pandectarum remittit. Licet autem in Pandectarum titulo omnium XXI. librorum fieret mentio, priores tamen XIX. libri saltim prima vice fuerunt editi, addita statim in versa tituli pagina hac ratione: *duo postremi libri ob temporis angustiam in præsentia non additi, seorsim, quam primum licebit, Deo fauente, prodibunt: vna cum Indice in totum hunc secundum Tomum: & fortassis etiam appendice primi Tomi, quam satis luculentam habemus.* Prodierunt tamen postmodum *Partitiones Theologicæ Pandectarum Vniuersalium* CONRADI GESNERI *liber vltimus, Tiguri 1549. f.* cum præfixo ad Lectorem monito. *Pandectis nostris siue secundo Bibliothecæ Tomo, cuius libri XIX. nuper editi sunt, sacrosanctam Theologiam (hoc est, in veterum & recentiorum Theologorum libros Indicem copiosissimum, ex quo in omne thema propositam amplam statim materiam colligere licebit) totius operis Colophonem hic adiungimus, Medicinales etiam Partitiones, quæ solæ restant, alias seorsim, si DEVS annuerit, locupletissimas edituri.*

Adiectus est his Partitionibus Index Alphabeticus præsenti libro & superioribus XIX. communis, qui tertii Tomi olim promissi vicem debeat explere. Medicinales autem Partitiones, quas ipse Medicus, Gesnerus ampliores edere constituerat, nunquam prodierunt. De his Pandectis errorem Bailleti, qui Iugemens des Sçauans Tome 2. p. 1. p. 14. de Pandectis ita locutus: *Ce dernier ouvrage est compris en XIX. livres de Partitions vniuerselles en deux gros volumes in Folio* notauit Menage Anti-Baillet tom. I. p. 188. cum nouendecim priores libri vnicum saltim volumen satis mediocre constituant.

Ad §. X. p. 10.

De Lambecii Prodromo Historiæ Litterariæ.

LAMBECII *prodromum Historiæ Litterariæ* cum noua præfatione & auctario dudum promisit IO. ALBERTVS FABRICIVS, quem propediem expectamus.

Ad §. XIII. p. 16.

Scriptis etiam Bœclerianis, qui ad rei litterariæ vniuersalis notitiam faciunt, accenseri meretur Eiusdem *Commentatio posthuma de Scriptoribus Græcis & latinis, Argentorati 1674. 8.*

Tra-

Traiecti 1700. 8. & *Argentorati 1708. 8.* qua omnis generis Scriptores ab Homero vsque ad initium Sec. XVI. complectitur. Ad hoc potissimum vtilis est hæc commentatio, vt scriptores secundum secula exinde dignoscere discamus.

Ad §. XIV. p. 16.

De Læscheri arcanis rei litterariæ & Scriptoribus aliis, qui ad Historiam vel rem litterariam introducere fuerunt conati.

Adscribere placet iudicium de his arcanis Collectorum Diarii Treuoltiensis, mense Februario 1704, dum scribunt: *amuser le public par de beaux proiets & de magnifiques promesses de livres, qui ne paroissent iamais, est l' artifice ordinaire de certains sçavans à qui le travail coûte. Almeloven docte Hollandois à rempli vn volume entier des titres de ces livres promis & comme il en avoit encor omis beaucoup, son Ouvrage a bien tot aprés eté suivi d' vn supplement. Il est avantageux aux belles lettres, qu' on publie le proiet des Ouvrages dont les materiaux sont prets pour inviter les sçavans, qui ont travaillé sur la*

même matiere, à contribuer à la perfection, de l' Ouvrage & pour presentir le iugement des personnes de bon goût. Mais quand apres plusieurs années l' effet ne suit pas la promesse, on doit se defier de l' intention de celui, qui l' a faite. Mr. Löscherus a vû tout le hazard, qu' il couroit en publiant tant de proiets à la fois. Il raconte même dans vne espece de Preface qu' on la cite au Parnasse comme vn homme, qui promettoit plus qu' il ne pouvoit tenir. Il croit, que pour se iustifier il suffit de publier en detail les titres des livres, qu' il fera, dit-il, imprimer si tôt que les Libraires voudront s' en charger. Apparement la plûpart des livres dont il donne ici les titres ne ruineront aucun libraire. On ne peut cependant refuser a Mr. Löscherus la louange qu' il merite, pour avoir imaginé les desseins de plusieurs livres fort vtiles: d' autres profiteront de ses inventions. Concludunt autem dicti Collectores his verbis: *du moins pour cette fois il a tenu plus qu' il n' avoit promis. Le titre de ce petit livre ne fait esperer que 31. desseins de livres, il en contient plus de 60.*

Præs

Præter allegatos, alii, qui bibliothecas vel introductiones in hiſtoriam litterariam vniuerſalem fuerunt conati, erunt memorandi. Inter hos referendus eſt *Raphaelis* SAVONAROLÆ *Patauini ex Clericis Regularibus vulgo Theatinis S. Theol. Profeſſoris Orbis litterarius vniuerſus, exhibens materias & Scriptores in omni ſcientia & arte, hoc eſt, in ſacris Bibliis, Theologia, Iure vniuerſo, Philoſophia, Medicina, Chymia, Chirurgia, anatome, Matheſi, Aſtronomia, Philologia, Hiſtoria, Coſmographia, archaeologia, Ethica, Politica, Oeconomia, Dialectica, Rhetorica, Poëſi, Muſica & reliquis omnibus ſcientiis & Liberalibus ac Mechanicis artibus, in genere, ſpecie & indiuiduo, quocunque idiomate ab initio rei litterariæ vsque ad præſens, expreſſis vtplurimum anno, loco & forma editionis Librorum & in eos Commentariis, notis &c. Opus ex mundi totius Bibliothecis concinnatum ordine indicis generalis materiarum alphabetici diſpoſitum, & Characteribus linguarum Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ, Græcæ, Arabicæ, Perſicæ, Armeniacæ, Germanicæ, Aethiopicæ, Aegyptiacæ, nonnunquam elaboratum: Italis, Gallis, Hiſpanis*

Boëmis

Bœmis, Pannoniis, Anglis, Belgis & cæteris Exterarum nationum Scriptoribus plerumque latino, interdum vernaculo sermone appositis. Mentionem eiusdem fecit Eccardus monathlicher Auszüge mense Martio 1707. p. 78. & La Galleria di Minerua Tomo III. vbi etiam dicitur octo Tomis constare debere. Titulus tam superbus de instituto, & quid sperandum, statim docebit. Quis enim tantis rebus par erit? Innotuit ab aliquo tempore in Rostochiensi academia CAROLVS ARNDIVS. Hic præter Bibliothecam Politico-Heraldicam & Aulico Politicam edidit haut ita pridem *Rudem delineationem Systematis selecti scientiæ litterariæ & quidem Historico-Pragmatici vsibus Theologicis & Philosophicis instructi, Rostochi* 1709. 4. Hoc p. 8. premittit *Bibliothecam Historico litterariam s. subsidium Historico-Litterarium, item Compendium Historico litterarium, octo circiter annorum spatio, maximo, quo fieri potuit, studio, eoque proprio, neutiquam paterno, neutiquam alieno conquisitum & cum Deo atque die per duplex aliquod Systema, idque Historico litterarium, alterum Historico-Pragmaticum, alterum Historico-Isagogicum, supplementis Systematis iustum in modum* con-

concinnatis, *locupletatum*, *Clarissimorum in Orbe litterato Virorum genuino iudicio exponendum.* Huius etiam ſcientiæ Litterariæ Syſtematis ſelecti & quidem Hiſtorico-Pragmatici ſectiones facit tredecim, Iſagogicam ſ. Præliminarem, Biographicam, Religioſam, Pantoſophicam, curioſam eamque repertitiam, Collegiatoriam, Ephemeridicam, Academicam, Bibliothecariam, Symbolicam, Nummariam, Genealogicam, Heraldicam, quas ſingulas, quid in iisdem contineri debeat, aliquantum vberius explicat. Haut ita pridem prodiit IACOBI FRIDERICI REIMMANNI *Einleitung in die Hiſtoriam Litterariam ſo wohl insgemein, als auch in die Hiſtoriam Litterariam derer Teutſchen. Hall. 1708. 8.* Multa auctor præfatur de defectu introductionum in rem litterariam, nec immerito, cum non deſint hodierno tempore introductiones in rem litterariam, de Hiſtoria litteraria vero non niſi prodromos habemus, partes quasdam ſpeciales, & omnia imperfecta. Inde primum ſe venditat, qui talem in hiſtoriam litterariam ediderit introductionem. Verum, vt fateamur quod res eſt, nihil in hac parte generali præſtitit, quod non ab aliis iam dudum demonſtratum, immo, illorum nonnunquam ſecutus errores, nec proprios omiſit, ideo a Io. Mollero notatus im Bericht von neuen Büchern p. VII. p. 690. Methodum Baconi de

Verulamio debet, ita, vt libro primo agere contendat de Historia litteraria in genere, fine & mediis ad eandem perueniendi.

Insecuta est Eiusdem *Versuch einer Einleitung in die Historiam Litterariam derer Teutschen I. vnd II. Theil, Halle 1709. 8.* Comprehendit eadem prima parte historiam eruditionis atque eruditorum apud Germanos a nato Christo vsque ad Carolum M. Parte secunda vero eandem historiam vsque ad artem typographicam inuentam. Ita, vt præter historiam generalem, statum etiam & progressum eruditionis circa diuersas disciplinas, historiæ inprimis & iurisprudentiæ Germanorum demonstret. Respondet etiam in præfatione quorundam obiectionibus. Hanc excepit *Versuch einer Einleitung in die Historiam Litterariam derer Teutschen vnd zwar des dritten vnd letzten Theils erstes Hauptstück, Hall. 1708. 8.* qua comprehendit Historiam Theologiæ Theticæ, Polemicæ, Exegeticæ, Moralis & Asceticæ, Philosophicæ, Grammatisticæ, Gymnasticæ, Musicæ, Graphicæ, Grammaticæ, Rhetoricæ, Logicæ, Poëseos & Physicæ ab adinuenta arte typographica vsque ad tempora recentiora. Subsecuta demum est Eiusdem *Versuch einer Einleitung in die Historiam Litterariam derer Teutschen vnd zwar des dritten vnd letzten Theils anderes Hauptstück, Hall. 1710. 8.*

qua

qua complectitur historiam Metaphysicæ & Matheseos & speciatim Arithmeticæ, Geometriæ, Musicæ, Opticæ, Astronomiæ, Meteorologicæ & Apotelesmaticæ, Chronologiæ, Geographiæ & Mechanicæ, Ethicæ etiam ab arte typographica adinuenta vsque ad tempora recentiora. In præfatione Mollero acerbe nimis respondet, eundemque plurium errorum arguit. Fateor, meliori adparatu instructam esse hanc historiam Germanorum Litterariam ac primam partem generalem, nec inutilem eandem esse, cum progressum disciplinarum harumque apud Germanos fata declaret, vt eadem in compendio videamus, quæ sparsim alias quærenda. Negandum tamen non est, multa hinc inde posse vel emendari vel etiam suppleri, quod tamen ipsi eo facilius condonandum esse videtur, quod primus tale quid adgressus est. Eidem quoque debemus *Versuch einer Einleitung in die Historiam Litterariam ante diluuianam*, *Hall. 1709. 8.* Inter ἀνέκδοτα a VINCENTIO PLACCIO relicta, refertur etiam *Historiæ Litterariæ Compendium vniuersale*: migrationes artium & scientiarum varias summatim exhibens. *Ratio status Reipublicæ litterariæ hodiernæ siue corruptelæ atque remedia illius. Bibliographia Rhetorica, Ethica, Politica & Iuris naturalis priuati compendiaria*: vna cum consiliis de Studiis hisce cum ad Theoriam, tum ad Praxin optime instituendis.

Ad

Ad particulares gentes ſaltim facit MICH. LILIENTHALI *de hiſtoria litteraria certæ cuiusdam gentis ſcribenda conſultatio, Roſtochi 1710. 8.* in qua ſingulas ſpecies, quæ ad hiſtoriam litterariam ſingularum gentium requiruntur, examinat.

Ad §. XVI. p. 20.

De Morhofii Polyhiſtore.

Prodiit demum diutius expectata noua editio *Polyhiſtoris Morhofiani* curante *Io. Mollero Lubecæ 1708. 4.* Quid in noua hac editione præſtitum ſit, indicandum. Præter Polyhiſtoris Litterarii libros tres priores ante iam editos accedit liber quartus Grammaticus, quo recenſentur ſcriptores, qui de diuerſis linguis & ſcripturis egerunt, de Lexicographis & auctoribus linguæ latinæ, liber quintus Criticus de Scriptoribus Criticis & antiquariis, liber Sextus oratorius, liber ſept. poëticus. Dein acceſſit Tomus ſecundus Philoſophicus, licet potiorem partem faciant Scriptores hiſtoriæ Philoſophicæ, Platonicæ, Ariſtotelis Interpretes, Scholaſtici & præcipue Phyſici, quibus demum Polyhiſtor Logico - Metaphyſicus, paucis ſaltim paginis conſtans, ſubnexus eſt. Tomus tertius Practicus eſt, cuius liber primus Ethicus de Philoſophiæ Moralis agit Scriptoribus, alter Poli-

ticus de Prudentiæ Ciuilis Scriptoribus, Tertius Oeconomicus, quartus Hiſtoricus, quintus Theologicus, ſextus Iuridicus, Septimus Medicus. Verum Tertius hic tomus multorum adhuc indiget ſupplementorum, non enim niſi primas ſaltim cuiusuis diſciplinæ lineas & de iisdem Scriptores attigit Morhofius, quod vel ex eo facile conjectandum, quod Morhofius hiſtoricum polyhiſtorem nondum duabus plagulis abſoluat, & quidem ipſe profitetur, ſe aliqua ſaltem delibare. Ex quo facile patet, hos binos Tomos adiectos, maxime tertium, prioris induſtriam non adæquare, niſi quod Polyhiſtor phyſicus accuratius reliquis elaboratus. Vniuerſo operi præmiſit Io. Mollerus, vir in re litteraria eruditiſſimus, Prolegomena, qua auctoris vitam ac Scripta non edita ſolum, ſed etiam inedita, atque affecta præſertim vero Polyhiſtoris huius hiſtoriam exhibet, atque eruditorum de Morhofio iudicia addit. Inde ſubnectit Mollerus Hypomnemata, quæ Morhofium hinc inde ſupplent. CHRISTIANVS MATTHÆVS KNESEBECK in prodromo Iurispublici vniuerſalis lib. I. promittit Morhofium illuſtratum, dum ait: *Nam de hiſce atque talibus Præteritorum ſcriptoribus fuſius agam in Morhofio illuſtrato, ſiue in meo ad Polyhiſtorem eiusdem Commentario, quod vir ille, (cuius erudito hoſpitio*

p. 66.

ſpitio literarumque commercio me olim v-ſum eſſe in præcipua meæ felicitatis parte deputo) tam in Commentario ſuo de Notitia auctorum ante annos aliquot edito, quam in priuatis Prælectionibus MSS. hancce hiſtoriæ litterariæ partem, homini politico maxime neceſſariam, aut plane omiſiſſe, aut breuiter attigiſſe videtur. Verum, etiam hic labor cum fatali Kneſebeckii morte interiit, licet haut proletaria exinde fuiſſent ſperanda. Simile quid tentauit IO. GRÖNINGIVS, qui in Catalogo Lipſienſium vernali anni 1700. promiſit *Polyhiſtorem Bibliothecarium; ſiue Theſauri Polyhiſtorico-legalis librum I. ea methodo adornatum, vt ſimul vice ſupplementi in Morhofii Polyhiſtorem commode eſſe queat:* verum infelici ſatis cum ſucceſſu, cum non niſi apparatum quendam ad hiſtoriam ſcientiarum & artium, eundemque ſatis leuem, publicauerit; de quo infra ad p. 279. erit dicendum. Ad *Vogleri Introductionem additiones* reperiuntur intera necdota VINCENTII PLACCII.

Ad §. XVII. p. 22.

De Bibliographia Bœcleriana.

Nouam, eandemque emendatiorem longe atque auctiorem *Bibliographiæ Bœclerianæ* editio-

ditionem meditatur HIERONYMVS AVGVSTINVS GROSCHVFFIVS, liberalium apud Lipſienſes artium Magiſter, de qua, cum verſatiſſimus ſit in hoc ſtudiorum genere, optima quæque ſperamus.

Ad §. XIX. p. 27.

De Gabriel. Naudaei additionibus ad Hiſtoriam Ludouici XI.

Haut ita pridem in manus meas demum peruenit rariſſimus NAVDÆI liber, *Addition à l' hiſtoire de Louis XI. à Paris 1630. 8.* de quo pauca hic addere lubet. Propoſuit ſibi potiſſimum Naudæus, demonſtrare contra quosdam hiſtoricos, quod Ludouicus XI. princeps fuerit ſatis doctus. Hunc in finem confirmat capite quarto, eidem ſemper curæ fuiſſe litteras, præcipue Bibliothecam regiam, quam inſigniter auxerit. Qua occaſione dum quidam Codices Msti ſatis care venirent, de caritate quorundam Codicum Mſtorum capite quarto agit. Capite quinto recenſet viros eruditos, quos præmiis ornauerit Ludouicus XI. Capite ſexto progreſſum ſtudiorum in Pariſienſi potiſſimum academia & ſtatum, qui fuit ſub Ludouico XI. commendat. Capite ſeptimo de typographiæ origine, quam demum Germanis tribuit, multa

multa proponit egregia. Caput octauum & vltimum studium diuersorum Galliae regum in eruditos commendat. Singulis multa interspergit de diuersis rebus litterariis.

Ad §. XX. p. 27.

De Gesneri Bibliotheca.

Vt vberius de hac Bibliotheca loquar, mouet me error Bailleti & Menagii. Iste enim, an Frisii supplementum fuerit editum, dubitat: hic vero id plane negat. Verba enim Menagii Anti-Baillet Tomo I. p. 189. hæc sunt: *Monsieur Baillet dit, en parlant de cet Abregé: si cet ouvrage a été imprimé, il n' a point fait grand bruit iusqu' ici: il est constant qu' il n' a point été imprimé. Et Mr. Baillet, qui est un grand Bibliothécaire, devoit être informé de cette particularité.* Certum enim est, quod primum prodierit CONRADI GESNERI *Bibliotheca vniuersalis, siue Catalogus omnium scriptorum locupletissimus, in tribus linguis, latina, Græca & Hebraica; extantium & non extantium, veterum & recentiorum, vsque ad annum Domini 1545. doctorum & indoctorum, excusorum & in Bibliothecis latentium, Tiguri 1545. f.* qua non solum au-

auctorum, scripta enumerantur, sed singulorum etiam librorum argumenta sæpius adscribuntur & censuræ quædam aliorum adiiciuntur. Post hanc, prima Lycosthenis epitome prodiit inscio Gesnero, quod ipse testatur in præfatione Simlerianæ editioni præmissa. Inde, incitante Gesnero, IOSIAS SIMLERVS epitomen suscepit, plus quam bis mille auctorum accessione locupletatam *Tiguri 1555. f.* Demum IO. IACOBVS FRISIVS hanc Bibliothecam in epitomen contractam edidit hoc titulo: *Bibliotheca instituta & collecta, primum à Conrado Gesnero: deinde in epitomen redacta, & nouorum librorum accessione locupletata, tertio recognita, & in duplum post priores editiones aucta per Iosiam Simlerum: iam vero postremo aliquot mille, cum priorum, tum nouorum authorum opusculis, ex instructissima Viennensi Austriæ Imperatoria Bibliotheca amplificata per Iohannem Iacobum Frisium, Tigurinum.* Demum ANTONIVS VERDERIVS edidit *Supplementum epitomes Bibliothecæ Gesnerianæ, Lugduni 1585. f.* cui adiecit ob subiecti similitudinem Bibliothecam Constantinopolitanam, qua antiquitates eiusdem vrbis & permulti libri manuscripti in hac extantes recensentur. Accessit & *de Chalcographiæ inuentione poëma en-*

comiasticum, olim ab IO. ARNOLDO BERGELLANO conſcriptum: nuncque ſuo candori reſtitutum. Quid autem inter Gesneri Bibliothecam & huius epitomen interſit, ipſe monet in præfatione editioni Simlerianæ præmiſſa, cum ait: *Hoc autem intereſt, quod Bibliotheca plerorumque librorum, præſertim veterum, argumenta recenſet, & non raro cenſuras tum noſtras, tum ſæpius aliorum adſcribit, at ſimul plerumque aliquod ſtyli authorum ſpecimen exhibet: & alia quædam interdum addit non inutilia nec iniucunda ſcitu: quibus omnibus epitome caret, ſola fere authorum nomina cum ſuis ſcriptis breuiſſime enumerans.* Ipſe tamen Gesnerus de hac epitome non adeo contentus: Quippe in Friſiana editione anni 1583. cum ipſe de Bibliotheca ſua, & quæ in eadem contineantur, eſſet locutus, dicit: *Enumerantur alia quædam, quæ in Compendiis poſtea excuſis, non meo quidem conſilio omiſſa ſunt, poterunt enim breuius quidem exponi, non tamen prorſus omitti. Sed ſuum plerumque lucrum ſpectant typographi, potius quam vel authorum voluntatem vel vtilitatem Lectorum ſolidam. In compendiis quidem illis poſtea impreſſis, permulta authorum nomina noua, recen-*

recentiora præsertim, accesserunt: sed omnis illa accessio seorsim etiam à Froschouero nostro excusa est, vt, qui primam editionem emerunt, aut deinceps etiam emturi sunt, fructu illo non frustrentur. GVILIELMVS CANTERVS teste Bailleto Iug. des Scauans Tomo II. p. I. p. 18. *notas scripsit in Bibliothecam Gesneri* à Simlero in epitomen redactam, licet ipse dicat, se easdem reperire non potuisse. ROBERTVS CONSTANTINVS edidit *Nomenclatorem insignium Scriptorum, quorum libri extant vel manuscripti, vel impressi, ex Bibliothecis Galliæ & Angliæ, Indicemque totius Bibliothecæ atque Pandectarum Conradi Gesneri, Parisiis apud Andr. Wechelium 1555. 8.* Gesnerum hunc etiam contra iniquas quorundam censuras defendit Morhofius Polyhist. Tomo I. lib. I. cap. XVIII. n. 5.

Ad §. XXI. p. 34.

De Fabiani Iustiniani indice vniuersali.

Facit huc etiam FABIANVS IVSTINIANVS, qui, teste Labbeo, in Bibliotheca Bibliothecarum, scripsit *Indicem vniuersalem alphabeticum, materias in omni facultate consulto*

pertractatas earumque Scriptores & Locos designantem, appendice perampla locupletatum. Elenchum item auctorum, qui in sacra Biblia, vel vniuerse, vel sigillatim, etiam in versiculos data opera scripserunt, iuxta eorundem Bibliorum ordinem dispositum, Romæ ex Typographia Cameræ Apostolicæ 1612. f. Sed non adeo probe de hoc libro iudicauit Bailletus.

Ad §. XXIII. p. 37.
De Catalogis Bibliothecarum.

Catalogus Bibliothecæ Scauenianæ talem præfert titulum: *Designatio librorum in qualibet facultate, materia & lingua rariorum, summa cura, tum quoad librorum, editionumue perfectionem, tum quoad eorundem compactionem variis in locis in amorem patriæ & supplementum instructissimæ Bibliothecæ Regiæ conquisitorum. Hafn. 1665. 4.* Accessit in fine Catalogus nonnullorum librorum, qui vel suppresso vel ficto Auctorum nomine prodierunt, quorum nomina enodantur atque Index auctorum alphabeticus. De *Thuanaea Bibliotheca* eiusdemque præstantia agit Louis Iacob Traitté des Bibliotheques p. 567. vbi inter alia: *Cette Bibliotheque posse-*

de plus de 8000. volumes des plus rares & curieux, qui ont esté recherchez dans l'Europe, avec vne despense excessiue, lesquels sont tout reliez en marroquin & veau dorez; qui est encore vne autre grande sumptuosi té de ce Parnasse des Muses. Quant aux Manuscrits, il y en peut avoir milles tous de grande consideration, le quels seruent iournellement aux impressions, comme il se void par le livres. Agit etiam de eadem Casimirus Oudin Supplem. ad Bellarminum p. 177. Quam perfectus autem Catalogus esse debeat, habet tamen æque suos næuos. Quippe p. 167. Theodorum Cornhertium inter Lutheranos p. 168. Io Gerhardum inter Reformatos refert. Agit de eodem Mayerus Bibl. Bibl. p. 16.

Potissima *Slusianæ Bibliothecæ* pars in illam Cardinalis Imperialis fuit delata, de qua Philippus a Turre in præfatione Monumentis veteris Antii præfixa. *De Cardinale amplissimo Iosepho Renato Imperiali nunc loquor, qui cum magnas virtutes & excelsas vndequaque dotes in censu animi numeret, vt rem quoque litterariam patrimonium suum faceret, Bibliothecam numero & præstantia voluminum instructissimam, maximam scilicet & nobiliorem celeberrimæ Slusianæ partem propriæ superaddidit.*

 Ad

Ad Caput Secundum.

§. III. p. 50.

Montfauconi Diarium Italicum.

Hoc autem Diarium prodromum saltim esse voluit auctor, quem plures insecuturi sunt Tomi, quibus Romanas, Florentinas, Venetasque Bibliothecas latius delineare promisit. Dum etiam ipsa vrbis Romæ antiquæ monumenta descripserit Montfauconus, *obseruationes in Diarium Italicum Bernhardi de Montfaucon* scripsit FRANCISCVS de FICORINI italico sermone editas *Romæ 1709. f.* licet ad antiquitates saltim faciat.

Ad §. IV. p. 51.

Struuii Diss. de Iure Bibliothecarum.

Dissertatio mea de Iure Bibliothecarum auctior prodiit Ienæ 1709. 4.

Ad §. V. p. 57.

De Scholis antediluuianis.

Refutauit etiam scholas & scripta antediluuiana Auctor obseruationum Tomo primo *der Teutschen Anmerckungen zu Halle Obs. 9.*

Addi

Addi quoque poteſt IO. DRVSII *liber de Henocho, Franequeræ 615. 4.* IO. FRANCISCI BVDDEI *introductio ad Hiſtoriam Philoſophiæ Ebræorum, Halæ 1702. 8,* & IAC. FRIDERICH REIMMANNS *Verſuch zur Einleitung in die Hiſtoriam Antediluuianam*, de quo ſupra iam fuit dictum.

Ad §. VIII. p. 57.

De Bibliotheca Alexandrina.

Agit de hac Bibliotheca Alexandrina ANTONIVS VAN DALE in *diſſertatione ſuper Ariſtea de LXX. Interpretibus. Amſtelodami 1705. 4.* edita.

Ad §. XX. p. 75.

Bartholinus de Bibliothecæ incendio.

Hic libellus curante *Andrea Weſtphal* iterum recuſus *Ienæ 1709. 8.* Editor etiam in præfatione exempla adhuc aliqua adiicit bibliothecarum deperditarum.

Ad Caput Tertium.

§. VI. p. 87.

Bibliotheca Regia apud Gallos.

Breuem huius Bibliothecæ Regiæ hiſtoriam exhibet Gabr. Naudæus Addition à l'Hi-

stoire de Louis XI. p. 79. vbi de Ludouico XI.
& d'autant que Charles V. avoit desia estably comme vne forme de Bibliotheque Royale a Fontainebleau, qui fut par apres transportée au Louvre, où le Roy Charles VI. avoit la sienne soubs la charge de Garnier de Saint Yon lors Eschevin de la ville de Paris, il iugea que son pere Charles VII. ne l'ayant peu augmenter ny enrichir à cause des guerres continuelles, qu'il avoit eu au recouvrement de son Royaume, c'estoit vne action digne de sa grandeur que de l'accroistre & perfectionner du plus grand nombre de volumes qu'il luy seroit possible, se servant pour cet effect de Robert Gagvin, qui en eut la charge pendant son regne, & non soubs celuy de Louis XII comme a voulu Myræus, veu qu'il mourut au commencement d'iceluy, ayant desia este employé par Charles VIII. à plusieurs Ambassades de consequence, & crée long tems auparauant General de l'Ordre des Mathurins, qui sont charges bien plus relevées & eminentes que celle de Bibliothecaire. Ioint que la Bibliotheque de Louys XII. estoit à Blois, où il n'y a pas d'apparence que Gagvin estant General de son Ordre eust voulu resider. Mais comme Myræus en parlant

lant de Longolius a mis Louys XI. pour Louys XII. aussi lors qu' il a esté question de Guaguin il a mis Louys XII. pour Louys XI. Tant y a que cette Bibliotheque s' augmenta de telle façon par la diligente recherche que fit faire nostre Louys XI. de toutes sortes des volumes, que Louys XII. l' ayant fait depuis transporter à Blois pour servir d' ornement au lieu de sa naissance, vn certain Ambassadeur nommé Bologninus, auquel on la monstra, la iugea digne d' estre la premiere rangée au livre, qu' il a fait des quatre plus remarquables singularitez, q' il avoit trouvées en France.

Ad §. VI. p. 90.

Bibliothecæ Regiæ apud Gallos Præfecti.

Præfectos hodiernos Bibliothecæ Regiæ describit Etat de la France tom. I. p. 217. ed. an. 1708. *Le Cabinet des Livres ou la Bibliothéque de la Personne du Roy au Chateau du Louvre & suite de Sa Maiesté, où l' on est obligé par lettres Patentes du mois d' Août 1658. de fournir vn Exemplaire de tous les Livres, qui sont imprimez par Privilege 1200. liv. de gages. Elle est à la garde le M. André Dacier. Il est de l' Academie Françoise, & de l' Academie des Medailles. La Charge de Gardien du Cabinet de Raretez & de la Bibliothéque, laissée à sa Maieste par feu Monsieur Gaston-Iean-Baptiste,*

Fils de France Oncle du Roy, Duc de Orleans, & la Charge de Gardien de la Bibliothéque publique du Roy, ou pareillement on doit fournir deux Exemplaires des Livres imprimez par Privilege; & celle de M. Iérome Bignon. Maître de la Librairie ou Grand Maître des Bibliothéques Roiales. ont été reünies sous le titre d'Intendant & Garde du Cabinet des Livres Manuscrits, Medailles & Raretez antiques & modernes, Maître de le Librairie & Garde de la Bibliothéque du Roy. C'est à present M. l'Abbé le Tellier, Camille le Tellier, Abbé de Bourgüeil en Vallée, & de Vauluisant, aux gages de 2400. l. d'autres gages, & 1800 l. pour sa bouche à Cour, paiées à la Chambre aux Deniers. Il 1200 la sous lui M. Oudinet pour les Médailles & Raretez antiques & modernes, qui sont à Versailles dans les Cabinets des Appartemens du Roy. Et M. Clement pour la Bibliothéque qui est à Paris rüe Vivien.

Ad §. X. p. 101.

Bibliothecæ Bodleianæ hodie præest Hudsonus vir doctissimus.

Ad §. XV. p. 104.

Bibliotheca Cottoniana.

De Bibliotheca Cottoniana illud adhuc memorandum venit, quod illam publico donauerit, certo constituto Bibliothecario. Id quod

quod etiam publica Parlamenti lege fuit confirmatum. Bibliothecarum Londinensium nouiter nobis notitiam dedit Auctor quidam Anonymus edito tractatu *a new view of London, Londini 1708. 8.* in cuius sectione quinta Bibliothecæ describuntur. Operæ pretium erit, vt ea, quæ Acta Eruditorum mense Martio 1709. p. 113. exinde excerpunt, hic adducamus. *De Bibliotheca Cottoniana hic addimus, anno regiminis Wilhelmi III. duodecimo & decimo tertio decretum fuisse a Senatu Regni, vt, quoniam publico interesset, hæc monimenta neutiquam interire, post mortem Ioannis Cottonis viri quidam primæ dignitatis, quorum nomina designantur, curam Bibliothecæ susciperent, & Bibliothecario erudito & candido constituto diligenter curarent, ne quid ex hac amplissima supellectile periret. Qui Theologicis scriptis delectantur, Bibliothecam Collegii Sionensis, in vsum cleri Londinensis a Thoma White A. 1631. fundati adeant. Et Bibliothecæ quidem huius fundamenta iecit Ioannes Simson, aliorum paulatim liberalitate, & libris imprimis è templo cathedrali Diui Pauli eo translatis, multum aucta, quemadmodum patet ex Catalogo huius Bibliothecæ a Io. Spencero Londini 1650. 4. edito. At eo apparatu flammis A. 1666. absumto, etsi postmodum e Iesuitarum, post tentatam A. 1688. conspirationem Regno eiectorum Bibliotheca instaurata paulum Sionensis fuerit, ad pristinum tamen splendorem hodie non accedit. Instructiorem paulo Bibliothecam*

Iun-

Iureconſulti in Medio Templo (quod ædificium olim Templariis deſtinatum, hodie à legum peritis habitatur) ſeruant, per ſex horas quotidie patentem. Fundauit eam Bartholomæus Shore, auxerunt deinde alii libris inprimis Iuridicis & Hiſtoricis, & inſcripta ſunt ianuæ verba: Anno Domini 1697. Bibliotheca ornata & aucta, Franciſco Morgan Theſaurario. Nec Medicis Bibliothecæ deſunt: nam & Regia Societas in Greshamenſi, vbi congregatur, Collegio Bibliothecam habet quater mille Voluminum, quorum partem maximam Societati donauit Dux Norfolciæ, ex ædibus Arundelianis eo A. 1679. translatam: & Medici elegantisſimam Bibliothecam Marchionis Dorceſtriæ & Theodori Mayerne cura & ſumptibus comparatam, in Collegio Medicorum monſtrant, cuius Bibliothecarius hodie eſt Thomas Gill & ipſi quoque Chirurgi (Barber-Surgeons) Bibliothecam libris Medicis & Chirurgicis refertisſimam ſeruant, quæ ſingulis diebus Martis & Iouis patet. Sunt denique & Scholis nonnullis Bibliothecæ ſatis inſtructæ. Sic in Schola triuiali, quæ Reuerendiſſ. Archiepiſc. Tenniſonii beneficio floret, in platea Caſtle-Street dicta, nitidisſima Bibliotheca eiusdem ſtudio comparata quotidie patet. In ſchola ad D. Paulum Bibliotheca viſitur, claſſicis inprimis auctoribus inſtructa, qui liberalitate illati ſunt eorum, qui in ea ſchola profecere. Pariter & Scholæ ſeu Collegio Reginæ Bibliotheca eſt librorum varii generis, quæ maxime debetur Ioannis Williams Archiepiſc. Eboracenſis beneficio, qui & ſcholam ipſam egregie dotauit.

Ad

Ad §. XVI. p. 104.

Bibliotheca Lugduno-Batava.

Catalogus Bibliothecæ publicæ Lugduno-Bataua nouiter recognitus: accessit incomparabilis Thesaurus librorum Orientalium præcipue MSS. Lugduni Batauorum 1674. 4. Præmissa sunt Friderici Spanhemii Bibliothecæ Lugduno-Batauæ noua auspicia, mense Sæculari ab vrbe liberata. Sermo academicus dictus in frequentiss. auditor. A. D. XXIX. Oct. M D C L X X I V. Sequitur inde Catalogus Bibliothecæ secundum disciplinas ordine alphabetico digestus. Separatim subiunguntur libri Orientales impressi & Ms. tam communis Bibliothecæ, quam legati Scaligeriani ac Warneriani, Libri Latino calamo exarati, item nonnulli a viris doctis cum Mstis collati & libri quidam, qui in arca Bonauenturæ Vulcanii adseruantur. Friderici Spanhemii oratio auspicalis continetur etiam in Tomo tertio Operum Eiusdem. Reperitur hodie in eadem bibliotheca Isaaci Vossii, de qua Catalogum Mstorum Codicum concinnauit Paulus Colomesius, qui inter alia eius opuscula Hamburgi 1709. 4. coniunctim edita continetur.

Ad §. XXVII. p. 123.

Bibliotheca Geneuensis

De Geneuensi Bibliotheca Io. Alphonsus

Tur-

Turretinus in oratione ſua de ſeculo XVII. erudito die XIV. Maii MCCIII. habita, vbi poſtquam incrementa Bibliothecarum ſeculi XVII. expoſuiſſet, ita loquitur: *Quorum ſi & nos veſtigia preſſimus, ſi Bibliothecæ Geneuenſi nouum quaſi ortum dedimus, ſi eam in loco amœniſſimo atque amiciſſimo Muſis collocauimus, ſi, tum libris editis, tum manuſcriptis Codicibus, tum Iconibus, tum Numismatibus, tum exquiſita ſuppellectile, plus aucta eſt vno hoc anno, quam per centum annos fuerat, ſi denique ita ordinata, ita legibus conſtituta eſt, vt breui felicibus auſpiciis, publici iuris ſit facienda, fecit Ampliſſimi Senatus, fecit plurimorum ex Patribus Conſcriptis, fecit plurimorum ex Paſtoribus atque Profeſſoribus, fecit aliorum Virorum præſtantia, tum Hoſpitum, tum ciuium, nunquam ſatis prædicanda, nunquam ſatis poſterorum memoriæ commendanda munificentia.* Dum autem hæc ipſa Oratio paullo poſt fuerit impreſſa; huic loco in notis ſubiecit: *Bibliothecæ Geneuenſis fores die 14. Auguſti anni currentis MDCCIII. aperiri cœperunt; Deincepsque, magna Virorum doctorum ac ſtudioſæ iuuentutis frequentia, ſingulis Martis diebus patere ſolent.*

Ad §. XXVIII. p. 123.

Bibliothecæ Suecicæ.

Bibliothecas Suecorum vsque ad tempora Chriſtinæ fere ſteriles fuiſſe conſtat; niſi

quod

quod Loccenius Antiquitatum Sueco-Gothicarum lib II. cap. XV. p. 77. insignem Bibliothecam in vrbe Gothlandiæ Wisby quondam fuisse adseruatam dicat, quæ duo millia Codicum MSS. vetustissimorum contineret. Christina vero, prout studiorum erat amantissima, per Isaacum Vossium, Danielem Heinsium atque Carolum Patinum Codices librosque vndiquaque terrarum iussit conquirere, vt exinde ingens iam oriretur Thesaurus, quem postea Carolus Gustauus & Carolus XI. plurimis modis adauxerunt. Inter rariora Bibliothecæ reperitur, Versio vulgata Bibliorum, à Luthero diuersis locis emendata. Parum vero abfuit, quin absumta 1697. igne arce Regia, insignis hic Thesaurus flammis absorberetur, qui tamen circumspecta cura adhuc seruatur. Præter hanc eminet Bibliotheca Vpsaliensis, quæ ex legatis quorundam eruditorum originem cepit, liberalitate Gustaui Adolphi atque Christinæ Reginæ diuersa habuit incrementa, maxime dum Gustauus Adolphus magnum librorum numerum ex præda Germanica academiæ donaret. Carolus XI etiam splendidum locum nouiter extructum exponendæ huic Bibliothecæ destinauit. Reperitur in eadem inter alia *Codex argenteus Euangeliorum Vlphilæ, insignis Alcoranus & Herbarium viuum triginta constans voluminibus* præter Thesaurum rei nummariæ æque egregium. Præterea apud Suecos priuatas

uatas reperiri Bibliothecas perplures, docet *auctor der Beschreibung des Königreiches Shweden. Cap. XXI.*

Ad Caput Quartum.

Ad §. IX. p. 142.
Bibliotheca Gothana.

Gothanæ Bibliothecæ accessit nuper instructissima Bibliotheca Henrici Fergenii, meritissimi olim Superintendentis Ducatus Gothani ecclesiarum. Erecta quoque nuper Bibliotheca Gymnasii Gothani.

Ad §. XI. p. 143.
Bibliotheca Isenacensis.

De Isenacensium Bibliothecis nobis pleniorem notitiam nuper dedit V. C. CHRISTIANVS IVNCKERVS *in Historischer Nachricht von der öffentlichen Bibliotheque des Fürstl. Gymnasii zu Eisenach nebst einem besondern Discours von einigen in dem Chur-vnd Fürstl. Sächs. Landen befindlichen öffentlichen Bibliothequen, Eisenach 1709. 4.* Quatuor igitur in Ducali hac vrbe Bibliothecas reperiri dicit. Prima *Ducalis* est, libris Historicis, politicis & Mathematicis potissimum referta, atque inter hæc Mstis quibusdam recentioribus & Hortlederianis. Altera *Bibliotheca Ministerii* est in Templo S. Georgii reposita,

ſita, quæ potiſſimum libros quosdam Theologicos atque Mſta quædam ad Hiſtoriam eccleſiaſticam Iſenacenſem facientia continet. Initia eiusdem dedit Sebaſtianus Kyhmæus, Diaconus anno 1596, quæ poſtmodum ex variis donariis crevit. Tertia eſt *Gymnaſii*, de qua Chriſtianus Franciſcus Paullini Ann. Iſenacenſium p. 216. *Anno 1586. M. Valentinus Weinrichius primum inſtituit Bibliothecam Scholaſticam.* Quod bonum opus liberalitate aliorum egregie auctum & promotum eſt. Acceſſit poſtmodum legatum Pauli Wachsmundii, Conſulis, & Chriſtophori Wineri Rectoris, cuius potiſſimum ſtudio Bibliotheca fuit fundata, poſt ſenſim in meliorem ſtatum redacta. Catalogum Bibliothecæ inſeruit Iunckerus diſcurſui ſuo de hac bibliotheca. Quarta eſt *Seminarii Theologici*, quæ dum ab anno 1704. demum cœperit, non adeo inſtructa.

Ad §. XXIII. p. 172.

Bibliotheca VVismarienſis.

De Wismarienſi Bibliotheca Collectores nouorum litterariorum maris Balthici menſe Ianuario 1704. p. 3. narrant: *haut minimam apud eruditos Wismarienſes iniſſe gratiam cenſendus eſt Henningus Ioachimus Gerdeſius, Secretariatus munere in R. Tribunali*

nali cum laude defungens, quod auctoritate & iussu Superiorum Bibliothecam Regii Tribunalis a laudatissimis viris instauratam in ordinem redegerit, atque accurata librorum facta designatione incolis Vrbis non minus, quam exteris, conspiciendam consulendamque aperuerit. Complectitur enim ille Thesaurus non tantum libros, ad cuiusuis Iuris scientiam facientes, sed etiam rerum sacrarum cultoribus apprime vtiles, quemadmodum nec Criticis, qui vel Græciam, vel Latium nôrunt, vel omnem antiquitatem imbiberunt, eiusmodi volumina deesse conspicimus, quæ adire possunt atque magno cum fructu euoluere. Catalogus hoc titulo prodiit: Catalogus Bibliothecæ summi Regii Tribunalis Wismariensis, quam in vtilitatem publicam a B. Dn. Dauidis Meuii, primi S. R. I. Vice-Præsidis hæredibus inchoatam & ab hærede Dn. Christiani Trogelii, dicti Tribunal. dum viueret, Protonotarii auctam, nouis rarisque libris coëmtis exornauit Illustriss. & Excellentiss. Dn. Ioannes Rosenhane, S. R. Mai. Sueciæ, Summi in Germania Tribunalis Præses, in quo enumerantur libri, Tractatus & Scripta Variorum,

quot-

quotquot in hac Bibliotheca extant, autorum, Commentatorum & Compilatorum in omni disciplinarum genere, quorum cognomina iuxta ord. Alphabet. ita sunt disposita, vt primo statim intuitu appareat, quam Facultatem, Formam & Numerum quilibet liber sibi vindicet. Opusculum, quod superatis tandem sæpe interuenientibus obstaculis consummauit, & nunc demum Iussu & autoritate Superiorum publici Iuris fecit HENNING IOACHIM GERDES Wismariæ fol.

Ad §. XXVII. p. 175.

Bibliotheca Zittauiensis.

Huic Zittauiensi Bibliothecæ nouam domum fuisse assignatam ex inuitatione Gottfriedi Hofmanni Rectoris ad Actum solennem d. XVIII. Septembr. 1709. inaugurationi destinatum didici.

Ad §. XXIX. p. 177.

Bibliotheca Rhedigeriana.

Possidet Bibliotheca Rhedigeriana apud Vratislauienses vel quadringentos Codices Mstos, atque inter hos plures egregios, prout

Catalogum mecum beneuole communicauit Gottlob Krantzius, vir eruditissimus.

Ad §. XXXII. p. 186.

Bibliotheca VVittebergensis.

Bibliotheca Wittebergensis ab aliquo tempore plurima cepit incrementa. Accessit enim potior pars Bibliothecæ Gothofredi Straussii, ICti, deinde Bibliotheca Ieremiæ Deutschmanni, Archi-Diaconi Wittebergensis. Reperiuntur in eadem potissimum aliquot Bibliorum editiones, quibus plura Lutheri manu notata, Lycophron cum scholiis Ttzetzæ, Lactantius, diuersæ Epistolæ & Chronica in Msto, Biblia latina in Charta Sinensi.

Ad §. XXXV. p. 188.

Bibliothecæ Francofurtensis, Halensis & Kiloniensis.

Catalogus Bibliothecæ publicæ Vniuersitatis Francofurtanæ denuo prodiit curante IO. CHRISTOPHORO BECMANNO, *Francofurti ad Viadrum 1706. f.* qui secundum ordinem alphabeticum est digestus. De *Bibliotheca Academiæ Kiloniensis* extat dissertatio SEBASTIANI KORTHOLTI, *Kiloni 1705, 4. Academiæ Halensis*

sis Bibliotheca insignia nuper accepit incrementa ex legato instructissimæ Bibliothecæ Dan. Ludolphi L. Baronis de Danckelmann.

Ad §. XXXVI. p. 190.

Bibliotheca Coburgensis.

Coburgi olim Bibliothecam fuisse a Io. Casimiro Duce erectam, a Wallensteinio vero direptam, testatur Hönn Coburgische Chronic p. I. c. XVI. fin. Hodie reperitur *Bibliotheca Gymnasii Coburgensis*, quæ ex legato Alberti Saxoniæ Ducis nuper cepit incrementa.

Ad §. XXXVIII. p. 192.

Bibliotheca Magdeburgensis.

Ante paucos annos Senatus etiam Magdeburgensis Bibliothecam scholæ vsibus olim dicatam in Curiam posuit, nec tamen satis ordinatam.

Ad §. XLI. p. 194.

Bibliotheca Monasterii Heilbrunnensis.

In Monasterio Heilbrunnensi apud Francos insignis reperitur Bibliotheca aliquot cen-

tena Manuſcriptorum volumina continens. Hiſtoriam huius Monaſterii vna cum Catalogo Bibliothecæ iamdudum promiſit doctiſſimus Vir, IO. FRIDERICVS KREBSIVS, qui nunc etiam in Hiſtoria eccleſiaſtica gentis Francorum allaborat.

CAPVT QVINTVM.

Ad §. II. p. 198.

Præfationes eruditæ.

Plures reperiuntur Præfationes eruditiſſimæ, quæ vel ipſis libris præſtant. Inter has referenda eſt MICH. NEANDRI præfatio, eiusdem *erotematibus Græcæ linguæ præfixa* & quidem editioni *Baſileenſi 1565. 8.* Huc facit DAVIDIS BLONDELLI *præfatio in Genealogiæ Franticæ pleniorem aſſertionem, Amſtelodami 1654. f.*

THEOPHILI SPITZELII *præfatio in ſacra Bibliothecarum arcana retecta, Auguſtæ Vindelicorum 1668.* quæ de Bibliothecis agit atque manuſcriptis. PETRI DANIELIS HVETII *Origeniana* ipſius Editioni Operum Huetii præmiſſa quoque præſtant. Nec reticenda eſt celeberrimi Viri, THOMÆ ITTIGII de editis ſeparatim Operibus Patrum è prioribus ſeculis prolixa præfatio, ipſius *Commentationi de Bibliothecis & Catenis patrum præmiſſa, Lipſiæ 1707. 8.*

Ad

Ad §. VI. p. 208.

De præcocibus eruditis.

Idem DAVID SCVLTETVS postea edidit *Schaubühne der gelehrten Jugend*, *Hamburg*, *1708. 8.* Hoc scriptum omnem præcocium historiam, additis etiam exemplis à Bailleto adlegatis ordine alphabetico in vnum colligit. Sed prodiit saltem erste Oeffnung litteram A. complectens, cum labori fuerit immortuus. Sic etiam *elogia præcocium quorundam Eruditorum* edidit GEORGIVS HENRICVS GöTZIVS, *Lubecæ 1709. 8.* de quibus infra pluribus.

De SEBASTIANI KORTHOLTI instituto referunt Noua-Litteraria maris Balthici mensis Maii 1704. p. 153. *sub prælo sudat Sebastiani Kortholti Professoris Academiæ Kiloniensis* Ανδρόπαις *i. e. Puer Doctus, siue de Præcocibus Eruditis, ab Adriano Bailleto in Scripto eiusdem argumenti omissis, Liber. Accedit altera Editio opusculi de puellis a tenerrima ætate Litteratis, itemque* ὀψιμαθὴς *i. e. Discipulus Senex, siue Dissertatio de Viris illustribus, qui ad studia se tarde contulerunt. In præfatione, quæ lucem iam adspexit, Auctor ait, litteras nuper Parisiis datas se docuisse, Bailletum alterum opusculi sui,*

de Pueris doctis editionem haut publicaturum, quo circa laborem suum ante plures annos promissum luci exponat. Monstrat autem errores a Bailleto dicto libro commissos. Dum vero liber nondum prodiret, huius rationem reddunt Noua Litteraria mensis Decembris 1705. p. 374. *Stare his promissis non potuit, quod occupationum multitudo non siuit pertexere telam, quam dudum exorsus est. Iam vero trecentos Pueros doctos a se collectos post Bailletum luci publicæ exponit. Quibus adiunget Dissertationes iam publicatas, quarum iamiam iniecimus mentionem.* De hoc Kortholti instituto agit etiam Ancillon Memoires p. 179.

Ad §. X. p. 212.

De studiis Italorum.

Itali nuperrime contra Gallos, potissimum Bouhursium, florens apud eosdem Oratoriæ & Poeseos studium defendere singularibus scriptis fuerunt conati, de quo plenius agitur Actis Eruditorum mense Aprili 1708. p. 187.

Ad §. XIII. p. 215.

De Studiis Germanorum.

Vt illustriorem hunc paragraphum de studiis Germanorum, horumque contra Gallorum

rum iniurias defensione redderem, mouet me eruditissimus Ancillonus, qui Memoires p. 264. me iniuriam fecisse Bailleto putat, quod capite quinto §. XXI. p. 138. dixerim, Bailletum odii in Germanos & animi præcipitis non fuisse expertem. Dum autem ipse ad gloriam Germanorum multa suppeditat, primum, præter iam in paragrapho dicta vberius hanc ipsam materiam illustrabo, dein, quid de Bailleto sentiam, exponam. Inter iniquiora de Germanorum studiis moribusue iudicia primum reputatur illud Io. Bodini de Rep. lib. V. c. I. dum ait: *nullum illustrius est, quam Germanorum exemplum: qui, cum a feritate belluarum non procul abessent; cum in paludibus ac sylvis ferarum more vagarentur; cum inueterato quodam odio semper a litteris abhorruissent, nunc tantum profecerunt, vt humanitate Asiaticis, militari Disciplina Romanis, religione Hebræis, Philosophia Græcis, Geometria Aegyptiis, Arithmetica Phœnicibus, Astrologia Chaldæis, opificiorum varietate populis omnibus superiores esse videantur.* Verum, vt fatear, quod res est, hoc testimonium veritati admodum conforme, in laudem potius Germanorum vergere putem. Cum certo certius sit, atque e Tacito pateat, barbaros homines fuisse Germanos, quos è barbarie in tantum cultum profecisse dicit Bodinus, vt vel cum cultissimis gentibus queant certare. Fuerunt tamen inter Gallos, qui non adeo probe de Germanorum

eruditione iudicarent. Inter hos Scaligerianis alt. voce Les Alemands p. 8. ed. Gröning. dicitur: *Germani hodie valde fatui sunt & indocti.* Sequitur eundem Iacobus Dauid Perronus p. 16. dum ait: *la plus ennieuse & la plus brutale nation à mon gre, c' est l' Alemande, ennemie de tous les etrangers. Ce sont des esprits de biere & de la poisle.* Et de Gretsero p. 185. iudicat: *Gretserus à bien de l' esprit pour vn Allemand.* Abbas Bretteuillus in tractatu L'Eloquence de la Chaire & du Barreau p. 449. Germanos argutiarum nihil capere dicit, adeo, vt viuacissima quæque eloquendi ratio parum ipsos moueat. Primus tamen e Gallis Germanorum hac in parte defensionem suscepit Vrbanus Chevreau, cuius Chevræana p. I. p. 97. ita habent: *Tilenus pour vn Allemand, parle & écrit bien François, dit Scaliger, Gretzer a bien de l' esprit pour vn Allemand, dit le Cardinal du Perron: & le P. Bouhours met en question, si vn Allemand peut ètre vn bel esprit? On ne doit iuger ni bien ni mal d'vne Nation par vn particulier, ni d'vn particulier par sa Nation. Il y a des Allemands comme des François qui n' ont point d'esprit; des Allemands qui ont sçû plus d' Hebreu, plus de Grec que Scaliger, & le Cardinal du Perron. I' honore fort le P. Bouhours,*

qui

qui a du merite : mais i' ose dire que la France n' a point de plus bel esprit, que Madame la Duchesse de Hanouer d' aujourd' hui ni de personne plus solidement savante en Philosophie que l' étoit Madame la Princesse Elizabeth de Boheme, sa sœur ; & ie ne croi pas, que l' on refuse le même titre a beaucoup d' Academiciens d' Allemagne, dont les Ouvrages meriteroient bien d' être traduits. Il y a d' autres Princesses en Allemagne, qui ont infiniment de l' esprit, mais on s' est mis en tête qu' elles n' en ont point, parce qu' elles ne sont ni enioüés, ni coquettes, & qu' en France on iuge souvent du bel esprit par la belle humeur. Les François disent, c' est vn Allemand pour exprimer vn homme pesant, brutal ; & les Allemands comme les Italiens, c' est vn François, pour dire vn fou & vn ètourdi. Nous disons encore, c' est vn Italien, pour marquer vn fourbe ; & vn Anglois, pour marquer vn traître. C' est aller trop loin, & il est certain, qu' il y a en France des gens fort sages : de gens éclairez, & penetrans en Allemagne, d' autres de fort bonne foi en Italie, & en Angleterre des gens de bien.

bien. Ainsi le Cardinal du Perron n' avoit plus qu' à dire, le Pere Gretzer avoit bien de l' esprit, c' est dommage qu' il fut Allemand, comme le Prince de Salé dit de Ruyter; il est honnéte homme, c' est bien dommage, qu' il soit Chretien. Ex Belgis Io. Braunius in Selectis sacris libro quinto Bouhursio non solum respondet in eo, quod nimias laudes linguæ Gallicæ attribuat, sed etiam Germanos ab ipsius iniuriis vindicat. Sic etiam Conradus Samuel Schurtzfleischius de meritis Germanorum in Græcas litteras Germanos vindicauit. Sic etiam Morhofius promisit Dissertationem de meritis Germanorum in rem litterariam Polyhistore lib. I. c. XVIII. n. 50. Alias præter memoratos, CHRISTIANVS FEVSTELIVS *Schediasma* scripsit *ad Henricum Pippingium, in quo in genere de eruditorum Germanorum vitiis contra iniquas Gallorum nonnullorum censuras in specie de* Βιογϱαφοις *Germanorum contra Rolandi Maresii iudicium egit, Lipsiæ 1707. 8.* Quantum autem ad Bailletum, reprehendit me Ancillonus, quod dixerim, ipsum odii in Germanos non fuisse expertem, atque dicit p. 264. *Ie dirai, que Struvius n' a pas dû prendre en mauvaise part ce que Baillet a dit des Allemands* & p. 271. *Ie desapprouverois donc, ie le répéte encore, & ie me suis étendu à en dire les raisons afin qu' on doutât d' autant moins*

moins que ie ne desapprouasse extrémement que Baillet eut parlé des Scavans d' Allemagne avec mépris. Mais il ne me semble point que ce qu' il en a dit doive être pris en mauvaise part. Quelques courtes Reflexions dé tromperont peut être ceux qui l' ont crû. Confirmat Ancillonus illud ex eo, quod quæuis terra sua ferat ingenia, & quod Bailletus Iugemens des Scavans Tom. I. p. 279. de Bouhoursio hæc dicat: *L' Auteur n' a point pretendu ôter aux Allemands la gloire d' être de bons esprits, laquelle est tout autrement solide que celle de Bel esprit, qu' il paroit leur vouloir disputer. Et tout homme de iugement doit convenir qu' vn Allemand qui s' est rendu bon Esprit par son industrie & par son travail, est beaucoup plus louable q' vn Italien, ou vn François qui étant né bel Esprit n' a soint de l' entretenir que dans la vanité où dans l' oisivité.* Verum, licet negandum non sit, Gallorum plerosque ob cœli solique naturam Germanis esse viuaciores, accedente potissimum nationis genio; ex eo minime concluditur, Germanos plane non esse *beaux esprits* & quidem hac ex ratione, quam addit Bouhoursius, *parce que c' est comme vn prodige, qu' vn Allemand fut fort spirituel.* Præterquam enim, quod Gallia etiam suos monstret Bœotos, quos

quos iurares crasso aëre natos, certe tam prodigiosum apud Germanos non est, viros reperire, qui vel de viuaci ingenio cum Gallis certent. Vel ad solam aulam regiam Berolinensem prouoco, quot non in eadem reperiuntur viri, prudentia, doctrina, ingenii cultura morumue elegantia illustres? His sane cum Bouhoursio & Bailleto haut disputabit eruditissimus Ancillonus, quod sint *des beaux esprits*, vt alios taceam. Et quid, si dicamus, Germanos Gallis ingenii viuacitate cedere, hoc tamen studiis illorum haut oberit. Licet enim tot Schediasmata, quæ leui calamo scripta, apud Gallos quotidie in publicum prodeunt, apud Germanos vix euulgentur, neque tamen natura & genio suo a studiis plane abhorrent, quin potius ad studia quasi adigantur, ex quo nimius iste confluxus litteratorum, de quo autor iste anonymus conqueritur *Germania milite suo destituta & litteratis ceu mole laborans*, quem Groschusius collectioni secundæ de libris rarioribus denuo inseruit *Halæ 1709. 8.* Patet illud eo magis ex tot Germanorum doctis rusticis, qui certe genio suo ducti etiam inter villicorum labores libris studiisque incubuerunt. Patet illud exemplis eruditorum, qui vel rusticorum vel opificum vel mercatorum filii ad plane alia destinati tales euaserunt, quorum exempla longo numero recenset Christianus Feustelius dicto schediasmate.

Hoc

Hos ipſe genius & natura duxit ad ſtudia, licet hæc poſtmodum magno labore fuerint exculta, ſine quo ſane nec Germani, nec Galli quidquam præſtabunt. Pateſcit igitur, Germanos Gallis in ſtudiorum ratione haut cedere, niſi in adminiculis, quæ plerumque, apud eosdem deficiunt, de quo iam in ipſo paragrapho fui conqueſtus. Sed, vt ad Bailletum reuertamur, videndum, an non aliis in locis iniurius plane ſit in Germanos. Certe, vbi Bailletus de præiudicio Nationum & præcipue de Germanis agit, *Iugemens des Sçavans Tome I. p. 273.* multa profert, quæ mihi adhuc in Germanos videntur eſſe iniuria. Hoc vt eo melius pateat, aliquas Bailleti theſes parumper examinabo: Dicit: *On peut dire, que nos Rois y ont fait entrer les belles Lettres, les Sciences, la police & les ſentimens de l' humanité avec les lumieres de l' Evangile*, cum tamen Francorum reges originis fuerint Germanicæ, vt potius dici debeat, Germanos hæc ſingula in Galliam introduxiſſe. Conſtat quoque, Chriſtiana Sacra iam ante Francorum coalitionem apud Germanos haut fuiſſe inuſitata. Pergit: *C' eſt, pourquoi les Allemans ſont touiours Allemands dans leurs Ecrits. C' eſt à dire, que, quoi qu' il n' y ait point de Science ſi difficile & ſi abſtraite à là quelle ils ne ſoint parvenus par leurs travaux immenſes, par leurs longues meditations, & par leur induſtrie particuliere, tant*

de

de peines & tant de merites n' ont pas pû leur acquerir des qualitez, que la nature n' a point iugé a propos d' accorder aux esprits, qu' elle a renfermez dans des corps robustes & environnez d' vn air froid & grossier. Ainsi il ne faut point chercher dans les ouvrages de la plus grande partie des Allemans, la gentillesse, la subtilité, le brillant, la vivacité, la delicatesse, la politesse, l' air enioué l' ordre, la methode, & toutes les beautez, qui se trouvent dans les Ecrits des Grecs & des Romains & l' on ne doit point exiger d' eux autre chose, que de la solidité, d' exactitude, du iugement & de l' erudition. Gratias quidem agimus Bailleto, quod Germanis tribuat eruditionem atque iudicium exactum. Verum, nunquam demonstrabit, Germanorum Scriptis plerumque deesse methodum, ordinem, elegantiam. Immo potius dixerim, Germanos ordine atque methodo Gallos fere superare. Licet non negemus *l' air enioué*, qui in Gallorum librorum amatoriis & scriptis eiusmodi leuidensibus reperitur, à Germanorum eruditis, qui vtilitati potius student, abesse. Ridet exinde Germanos, dicens: *C' est, pour cela qu' vn rieur d' Italie voyant combien cette Nation est laborieuse, ne pût s' empêcher de dire, autant par admiration que par raillerie, que les Allemans ont l' esprit, non pas dans la ceruelle comme les autres hommes, mais sur le dos, & que Minerue auoit ses Mulets dans lês Ecoles & les Academies de ce*

pais

pais, comme la ville de Rome avoit autre fois entretenu les Mulets, de Marins dans ses Armées. Iniuriosam hanc dictionem responsione plane puto esse indignam. Ast pergit: *On ne doit dons pas s'étonner de ne point trouver dans les ouvrages en vers que les Allemans ont produits ce genie heureux de la poësie, que l'on admire dans les Italiens modernes & dans les anciens Grecs & Romains.* Verum, qui Germanos parumper saltim nouerit, reperiet inter eosdem poëtas genio isto poëtico instructissimos. Quis ignorat Petri Lotichii, Georgii Sabini, Friderici Taubmanni, Nicodemi Frischlini, Ioannis Stigelii, Ferdinandi Fürstenbergii, Casparis Barthii, Friderici Rappolti, Ioachimi Felleri, Io. Ludouici Praschii, Danielis Georgii Morhofii, Augusti Buchneri, Iacobi Baldæi aliorumque merita in poësin. Vt taceam Opitios, Hofmannos, Lohensteinios, Mühlpfortios, Flemmingios, Gryphios, Harsdörfferos, Neumarckios, Besseros aliosque, qui poesi Germanica excellent. Porro dicit: *Ils ne sont pas beaucoup plus heureux dans les pieces d'eloquence, qui ne demande gvere moins de feu, de vivacité & d'imagination que la Poësie.* Verum, quantum oratoria Ars apud Germanos a superiori potissimum seculo indies creuerit, in propatulo est. Nouimus, ne de Oratoribus sacris dicamus, Philippum Melanchthonem, Io. Caselium, Augustum

Buchnerum, Matthiam Berneggerum, Io. Freinsheimium, Io. Henricum Bœclerum, Thomam Lansium, Iacobum Masenium, Christophorum Schraderum, Danielem Georgium Morhofium, Conradum Samuelem Schurtzfleischium, Georgium Schubartum, Christophorum Cellarium, quos vel omnes venerantur. Vt taceam alios, qui Germanici sermonis venustate excelluerunt, vel adhuc excellent. Sed audiamus Bailletum vlterius loquentem: *Leurs Historiens ne sont pas non plus fort reguliers pour la plus part. Car sans parler ici de leur peu d'exactitude, de la partialité & de la mauvaise foi des vns, de la simplicité & de la crudelité excessive des autres, on peut dire avec Barth. Keckerman, qui étoit Allemand lui-même, qu'ils sont remplis de trop de verbiage & de fatras, qu'ils retardent mal à propos & qu'ils iettent dans l'impatience vn Lecteur qui ne cherche que le solide & qui veut aller droit aux faits qu'il y cherche. C'est ce qui a fait dire au P. Rapin que les Allemans ont de vastes proiets sur leurs Histoires, mais rien de reduit dans l'ordre naturel que demanderoit vn dessein exact.* Verum, si Gallorum Historicos cum Germanis conferamus, forsan reperie-

riemus, qui Pithœum industria, Thuanum prudentia, Aemylium sermonis elegantia exæquent, Varillasium, Gramondum, Priolum & eiusmodi commatis Historicos fide longe post se relinquant. Vt eo facilius pateat, Bailletum hac etiam parte in Germanos fuisse iniquiorem. Adieci in fine orationem in hac academia habitam *de Meritis Germanorum in Historiam*. Ex dictis igitur facile patebit, me Bailleto haut fecisse iniuriam, quod scripserim, illum odii in Germanos non fuisse expertem.

Ad §. XV. p. 224.

Scriptores de fœminis doctis.

Auctores, qui vel singulos tractatus de illustribus atque eruditis fœminis scripserunt, vel de iisdem in aliis tractatibus egerunt, in præfatione *vom gelehrten Frauen-Zimmer* recensuit IO. CASPAR EBERTI *Francofurti 1706. 8.* Præter adductos autem in hoc paragrapho addimus adhuc IOANNEM PINVM TOLOSANVM *de claris fœminis, Parisiis 1521. f.* IVLII CÆSARIS CAPACII *elogia illustrium virorum & mulierum, Neapoli 1608. 4.* de quo infra pluribus. HILARIONIS DE COSTA *elogia reginarum, fœminarumque Principum ac nobilium eruditione illustrium, gallice, Parisiis 1630. & 1642. 4. 2. vol.*

IO. MATTHÆI Lunensis opus *de claris mulieribus* ob eruditionem non vulgarem, & non iniucundam rerum varietatem commendat Michael Neander in præfatione erotematibus Græcæ linguæ præfixa p. 155. IO BEVEROVICIVS in tractatu suo *de excellentia sexus fœminei*, qui cum iconibus & versibus Cornelii Boy prodiit *Dordraci 1636. 1639. 8.* & Belgice sub titulo *Vytnementheyt der Vrouwen.* IACOBI THOMASII habemus binas dissertationes *de fœminarum eruditione, Lipsiæ 1671. 4.* IO. HERBINIVS quoque duas edidit dissertationes *de fœminarum illustrium eruditione Witteberga 1657. 4.* IO. ESBERGIVS edidit *mulieres philosophantes Vpsaliæ 1699. 8 & Wittebergæ 1701. 4.* Plures tamen sunt, de quibus vel nihil certi constat, vel in promissis saltim substiterunt. Ita IO. FRONTONIS dissertationem *de Virginitate erudita Parisiis, 1651. 4.* adlegat Iunckerus. Idem quoque ex Ghilini p. I. Theatri p. 96. docet I. B. FREGOSVM *de fœminis, quæ doctrina excelluerunt*, fuisse commentatum. Ex Gregorio Leti in Italia regnante p. 3. l. 2. p. 183. profert, Laurentium Legatum edidisse Musei Poëtriarum primitias ad Ouidium Montalbanum cum iconibus, quas secutum deinceps fuerit integrum Museum poëtriarum. Inter promissa adhuc latet OTTONIS SPERLINGII *Opus de Mulieribus doctis* à primis temporibus ad nostra vsque productum & VINCENTII PLACCII Opus,

Opus, quod *de scriptis & scriptoribus iuuenilibus ac mulieribus* promisit, teste Morhofio Polyhistore Tomo I. libro I. cap. XIX. §. 59. Sperlingiani Operis etiam mentionem facit Eccardus *in Monathlichen Auszügen* mense Martio 1700. p. 71. & Ianuario 1701. p. 23. Addimus ERASMVM FRANCISCI, qui in Catalogo Librorum promisit tractatum sub titulo: *das tapfere und gelehrte Frauen Zimmer* & CORNELIVM a BEVGHEM. qui in Catalogo librorum Bibliothecæ Iuridicæ præfixo promisit *t' Lof der Doorlugtige Wrouwen, siinde een Historisch Verhael aller gelarden Wrouwen, en desselven Schriffien.* Sic etiam GEORGIVM MATTHIAM KÖNIGIVM *de eruditis mulieribus* librum concinnasse testatur Meelführerus ad Almeloueniii Bibliothec. promissam ac latentem. *Historiæ Poëtriarum generalis Specimen de Poëtriis Græcis* præside GOTTFRIEDO OLEARIO in lucem produxit IO. CHRISTIANVS BLVM, *Lipsiæ* 1708. 4. De *Rusticis eruditione claris* sub præsidio CHRISTOPHORI IACOBI SCHRÖDERI egit IO. ERNESTVS HAVSMANNVS docta Dissertatione *Ienæ* 1707. 4. habita. Cuius continuationem postmodum dedit GEORGIVS HENRICVS GÖTZIVS, *Lubecæ* 1707. 4. cuius *Analecta Litteraria de rusticis eruditis* paullo post prodierunt *Lubecæ* 1707. 4.

Ad §. XVIII. p. 231.

Scriptores de Studiorum incrementis.

Huc faciunt Scriptores, qui progreſſum & incrementa ſtudiorum ſecundum diuerſa ſecula demonſtrarunt. Talis eſt IO. ALPHONSI TVRRETINI *Oratio de Seculo XVII. erudito & hodiernis litterarum periculis d. 14 Maii 1703.* Geneuæ habita & poſtmodum publicata, qua potiſſimum incrementa ſtudiorum in Philologia, Philoſophia, artibus Mathematicis, Mechanica, Hiſtoria, Chronologia, antiquitatibus & Iurisprudentia ſeculo ſuperiori facta, demonſtrare voluit. Lectu iucunda eſt oratio, licet negandum non ſit, notiora ſaltim adduxiſſe Turretinum, nihil, quod plane ſingulare.

Ad §. XXI. p. 237.

Claudii Verderii Cenſio Auctorum.

CLAVDII VERDERII *cenſio auctorum* prodiit *Lugduni 1586. 4.* Chriſtophorus Woltereck *im Bericht von neuen Büchern* p. VII. p. 724. bina notat; Primum, quod ipſum Verdierium adpellauerim, dein quod nullo modo doceat, qua

qua ratione de libris sit iudicandum. Verum de vtroque ratio Woltereccio nulla fuisset. Morhosio enim æque dicitur Verdierius. De altero ipsa verba theseos satis docebunt; nullibi enim dixi, quod introductionem dederit, qua ratione libri sint censendi, sed quod libros *censura dignos persequatur & rationem censendi monstrare conetur.* Scilicet, vt per exempla demonstret, quid & quomodo libri debeant censeri. Id quod ex solo titulo, quem integrum etiam in Bibliotheca Bibliothecarum habet Labbeus, satis pateret. Baillet Iugemens des Scavans Tom. II. p. I. p. 20. ita de eodem iudicat: *Il paroit vn peu de præsomption dans cet ouvrage asses peu de iugement, & trop d' expressions d' vn ieune homme qui affecte le suffisant & souvent sans occasions. Il semble qu' il ait pris plaisir à contredire les autres Censeurs, & a iuger des Auteurs & de leurs Ecrits au hazard.* Prodierunt in hanc Censionem CASP. SCIOPPII *notæ* 1606. 12. & *Halæ* 1709. 8.

Ad Caput Sextum.

§. III. p. 248.

Iournal des Sçavans.

Binis partibus constant Dionysii Memoires, quarum prima libros nonnullos, al-

tera nouas obseruationes exhibet, & quidem tales, quæ in ædibus Dionysii a priuatis quibusdam fuerunt factæ. Hoc autem instituto desinente ab anno 1675. plenius restitutum fuit ipsum Eruditorum diarium *Iournal*, ita tamen, vt ea, quæ ad annos 1672, 1673, 1674, pertinerent, sub titulo Tomi Tertii breuiter adhuc supplerentur. Totius rei ratio patet ex præfatione dicto Tomo tertio præmissa, quæ talis est: *Il n' y a point eu d' interruption à ce Iournal, que les Sçavans n' en ayent eu du regret; mais ie ne doute pas, qu' ils ne se consolent de n' en voir que huit de l' année 1672. & méme aucun de la suivante: lors qu' ils sçauront que l' Imprimeur y a supplée par le Recueil des Memoires & Conferences sur les Arts & les Sciences presenté à Monseigneur le Dauphin, pendant les années 1672. 1673 & 1674. Ouvrage qui n' avoit pas encore discontinué que l' Auteur du Iournal ayant repris le sien, recommença à le redonner au Public. Mais quoy qu' il l' ait donné dés le commencement de l' an 1674. il n' en parut neanmoins que deux cette année l' vn du 1 Ianvier: l' autre du 17. Decembre. Mais en recompense depuis ce temps la: cet Ouvrage a esté fort exactement*

ment continué : & le Lecteur est averti, que l' on aura la méme exactitude a mettre au iour tous les Tomes suivans. Quantum ad Tomum Quartum, Gallesium & Abbatem de Comiers eiusdem vsque ad Tomum Septimum auctores esse, Iunckerum secutus, credidi. Verum, hunc & reliquos abbatem de la Roque adgnoscere auctorem, ipse nos docet in præfatione Tomo XIV. præfixa, dum ita scribit: *En 1665 defunt Mr. de Sallo Conseiller au Parlement de Paris commença le Iournal des Sçavans sous le nom du Sr. de Hedouville ne voulant pas faire paroitre le sien. En 1666. il se déchargea de ce soin sur Monsieur l' AbbéGallois qui commença des lors de le faire, & qui l' a continué avec le grand succez & de la maniere que tout le monde sçait iusq' à la fin de 1674. que ie fus chargé de ce penible employ, auquel i' ay travaillé seul depuis ce temps la & sans aucune interruption.* Quid ergo litteræ G. P. A. D. C. notent, fateor me ignorare. In Tomo Trigesimo quinto & anno 1707. prima continentur Supplementa, quæ Parisiis singulis mensibus prodeunt, cum quouis octiduo binæ plagulæ Diarii in publicum prodeant. In hæc reiiciuntur libri, qui ob spatii defectum ipsi diario inseri haut potuerunt. Hac

igitur ratione adhuc continatur hoc Diarium, cuius iam Tomum quadragesimum quintum ad annum 1708. vsque vidimus. Agit de hoc Diario Baillet Iugemens tom. II. p. 1. p. 57.

Ad §. V. p. 253.

Colomesii Bibliotheque choisie.

Hæc Colomesii Bibliotheca selecta denuo prodiit *Amstelodami 1700. 12.* & cum aliis eiusdem operibus a Io. Alberto Fabricio coniunctim editis *Hamburgi 1709. 4.*

Ad §. IX. p. 257.

Memoires de Trevoux.

Auctores Diarii Treuoltiensis ipsi se profitentur Parisienses e Societate Iesu non paucos mense Iunio anni 1703 sub initium, vbi etiam singulos eruditos ad symbolas suas conferendas inuitant, & quid ab iis obseruari velint, indicant. Quantum ad auctorem additionum, quæ in Amstelodamensi editione reperiuntur, Ioannem Clericum venditauimus, idque ex mente ipsorum diarii auctorum. Verum, Clerico non tribuendas esse easdem, patet ex Articulo XXXV. mensis Maii & Iunii 1701. p. 441. vbi opponitur: *ils sont mal informez,*

mez, car Mr. le Clerc ne la lit, ni ne la, corrige. Il a bien autre chose à faire, qu' à prendre soin de l' edition d' vn Ouvrage, comme celui-la, que l' on sçait bien qu' il ne sauroit approuver. Il est assez occupé aux siens, pour ne pas se méler de ceux d' autrui, quand il en auroit même vne toute autre idée. Il n' a fait que parcourir legerement ce Iournal & n' en a lû que tres-peu d' articles. Apud Gallos semper continuatum fuit hoc diarium, & quidem, vt auctor *Berichts von neuen Büchern* p. VII. p. 672. monet, sub directione Renati Iosephi Tournemine. Amstelodamensis tamen editio aliquantisper cessauit, donec anno 1704. restitueretur. Patet, illud ex Monito editoris Belgæ Tomo septimo præmisso: *L' impossibilité où i' etois de recevoir de France la suite de ces Memoires, par l' interruption des lettres, à été cause que ie n' ay pas continué à les donner. Ie vai en faire parôitre 6. Mois a la fois en vn Volume, iusques à ce que i' aye reioint l' Edition de Treuoux, aprés quoy ie les donnerai par Mois, comme i' ay fait dans les premieres Annés.* Hac ratione adhuc continuatur Diarium & quidem nouem iam Tomos editionis Amstelodamensis vidimus.

Ad

Ad §. X. p. 257.

Essais de Litterature.

Hic liber, Essais de Litterature recudebatur Hagæ Comitum coniunctis binis mensibus, additis etiam obseruationibus criticis in fine adiectis, quibus plerumque auctoris errores notantur. Diuersas hoc Diarium expertum fuit censuras, de quibus Memoires de Trevoux Septembre 1703. p. 239. *Il a paru depuis peu deux petits Livres contre les Essais de Litterature, l'un est intitulé Remarques Critiques sur les Essais de Litterature par le Sieur Pelbestre, premiere partie. M. Pelbestre mal traite fort l'Auteur des Essais de litterature: il pretend le convaincre d'avoir pris dans des livres fort communs ce qu'il dit avoir tiré de Memoires secrets & curieux: & il fait pour cela de longues confrontations de son Texte avec celui de ces Livres: Il aioûte qu'il s'est trompé souvent dans ce qu'il a emprunté de ces Auteurs ou des personnes qu'il a consultées, entre de Mr. Pelbestre luy même: qu'il a pris de manuscrits pour des livres imprimez, & des livres imprimez pour des*

des manuſcrits : qu' il a fait dire aux ecrivains dont il donne l' extrait ce qu' ils n' ont iamais dit , & qu' il eſt tombé dans tous les défauts qù il avoit reprochez dans ſa premiere Preface aux autres Iournaliſtes. Mr. Pelbeſtre fait paroître dans ce petit ouvrage beaucoup d' erudition. Le ſupplement des Eſſais de Litterature vient apparement de la même main. On y examine en de tail les fautes des Eſſais de Litterature. On y trouve de l' erudition comme dans le Remarques Critiques , mais le ſtyle eſt un peu negligé dans ces deux ouvrages. L' Auteur des Eſſais de Litterature à repondu dans la Preface des Eſſais du mois d' April à la Preface des remarques de Mr. Pelbeſtre. Sa reponſe eſt vive & bien ecrité. Comme ces Livres ſont entre les mains de tout le monde , vous pouvez vous inſtruire de leur different , & en iuger par vous même.
Inſeruntur etiam quædam obſeruationes de Mr. Pelheſtre menſe Nouembri art. XVIII. 1703. p. 383. Quibus tamen auctor des Eſſais reſpondet Memoires de Trevoux menſe Iulio art. V. 1704. p. 28. Sic etiam iniquius de hoc diario iudicat Iacobus Bernhardus Nouvelles de la Republique des lettres menſe Iulio 1704. p. 115.

p. 115. dum ait: *Les Essais de Litterature continuent touiours, mais ils sont vn peut reculés, car au mois de Iuin on donne le mois d'Avril. Ils sont plus mal travaillés que iamais. C'est presentement vn Libraire, nommé Ribou, qui les imprime.*

Ad §. XI. p. 260.

Reliqua Gallorum Diaria.

Paucos ante annos prodire cœperunt *Pieces fugitives d'Histoire & de Litterature*, de quo sequius iudicat Bernard Nouvelles de la republique des Lettres Iulio mense 1704. p. 109. *On voit depuis peu vne brouchure in 12. en forme de Iournal, qui a pour titre Piéces fugitives. Cette brochure parle des Ouvrages anciens & modernes L'Auteur se plait à mordre. Il loue & blâme, selon le penchant, qui l'entraine. Il donne beaucoup de Loüanges au nommé Liniéres, qui est mort depuis peu, & qui de son vivant n'étoit pas fort estimé des honnêtes gens. Quelques vns ont attribué cet Ouvrage à l'Auteur des Essais de Litterature; mais ceux qui savent mieux la Carte du*

Pays

Pays Litteraire, l'attribuent à vn Garçon Libraire, qui a demeuré autre fois chez Anisson, & qui faute de pratique, dans sa profession s'occupe à écrire présentement. Verum meliora sunt, quæ proponit Ancillon Memoires preface p. 19. *Mr. du Perier à imaginé vne nouvelle espece d'Ouvrage de cette nature. Il a publié, il n'y a pas long tems, vn Recueil des pieces fugitives d'Histoire, & de Litterature ancienne & moderne, avec les Nouvelles Historiques de France & de Païs étrangers sur les Ouvrages du tems; & les nouvelles découvertes dans les Arts & dans les Sciences pour servir à l'Histoire anecdote des gens de lettres. Ce dessein est trop vtile & trop agreable tout ensemble pour être abandonné. Il ne faut pas douter que du Mr. du Perier, & quelque autre aprés lui ne soûtienne dignement cette entreprise.*

Non possum non, quin hic loci etiam dicam de Monstro quodam Litterario, vt adpellat Bernard Nouvelles de la Republique des Lettres Ianvier 1709. p. 104. quod tali titulo prodiit: *Almanach Bibliographique pour l'année 1709. contenant le Catalogue des*

Livres imprimez dans le Royaume pendant l'année 1707. les Titres des Edits & Declarations du Roy de la même Années; les Archevêchez & Evêchez de France avec le tems de leurs érection & les noms de ceux qui les possédent, vn Calendrier des Saints, dont on celébre les Fêtes en France, & le tems de leur mort; les Phases de la Lune &c. On y a ioint Vocabulaire de la Langve des Sauvages, qui habitent les Terres Magellaniques, à Paris che Charles Huguier 1709. 12. Vere dicitur monstrum litterarium, cum materiæ in hoc tractatu coniunctæ tam male cohæreant. Typographus quidem rem sui ingenii esse dicit; Verum Bernhardus potius Abbatem de la Mortiere pro auctore habet, & quod typographus nihil aliud quam Catalogum librorum anno 1707. euulgatorum concinnauerit, eundem tamen sine ordine & parum exactum, quare etiam diuersos næuos in eodem notauit Bernhardus.

Ad §. XII. p. 260.

Transactiones Anglicanæ.

Vt plenius Historia & status huius regiæ Societatis patescat, eandem, prout in Actis Eru-

Eruditorum mensis Martii 1703. p. 104. ex ipso Sprato in compendium fuit redacta, hic exponemus. *Vt itaque de Origine Societatis dicamus primum, ea D. Wilckinsio tribuitur, qui paullo post, quam turbae ciuiles Cromwellio iam Protectore vtcunque conquieuissent, in museo suo, quod is Oxonii in Collegio Wadhamensi velut Praefectus eius habebat, quosdam doctorum conuentus, prout e re visum, instituerit, quos inter fuerint Wardus, Boyleus, Wallisius, Willisius Bathurstius, Goddardus, Rookius, qui primi Aristotelis sententias repudiantes, liberius philosophari coeperint: Sed factum, vt A. 1658. in diuersa illi loca distraherentur, & plerique Londium peruenirent, vbi Societati continuandae nullus aptior locus visus est, quam Collegium Greshamense, quod optimo consilio Musis sacrum esse iusserat ciuis quidam eius nominis Londinensis. Iamque tuta omnia videbantur, & plures paulatim accedebant socii, cum repente noui eodem anno motus excitarentur, & pulsis Musis, milites Greshamenses cathedras occuparent. Itaque intermissae sunt operae, donec A. 1660. redeunte Rege Carolo II. ipsae quoque Musae rediissent. Tum enim serio de ordinanda So-*

cietate deliberatum à nonnullis est, & quantum in iis initiis fieri potuit, nihil prætermissum, quod ad perficiendam naturam vel artem, (qui Societatis finis est) conferre quidquam posset. In Collegis igitur adsciscendis nihil referebat, quam quisque religionem profiteretur, qua gente esset oriundus, quod amplexus vitæ genus, vel qua in dignitate constitutus; & paullo post: *conuenere ita singulis Mercurii diebus in collegio Gresbamensi, in quo duo musea assignata iis erant, alterum conuentibus instituendis, librisque & rebus rarioribus asseruandis. Datus Sociis Præses, cuius officium est, vt conuentus conuocet & dissoluat, disquirenda proponat, dirigat denique cuncta, & nouis Sociis ab vniverso Collegio elector recipiat. Lingua vtuntur, non tam latina, quæ eruditorum propria est, quam Anglica, eaque maxime vulgari, reiecta inutili verborum pompa, quæ ad rerum naturalium scientiam promouendam nihil confert.*

Ad §. XIII. p. 263.

Reliqua Anglorum Diaria.

De Diario hoc Anglorum The History of the Worcks of the Learned nihil compertum habeo.

habeo. Vnicum hic addo, nouum apud Anglos ortum fuisse Diarium sub titulo: *Censura Temporum*, de quo Bernhard Nouvelles de la Republique des lettres Maio 1708. p. 596. *on publie depuis quelques mois vne espèce de Iournal sous le Titre de Censura Temporum.. C' est vne Critique en forme de Dialogve des Livres Nouveaux. L' Auteur en dit du bien & du mal conformement à son goût. Il y a bien des gens, qui n' estiment gvéres cet Ouvrage.*

Ad §. XIX. p. 268.

La Galeria di Minerua.

Aliquot ante annos nouum apud Italos cœpit Diarium, inscriptum: *La Galleria di Minerua, overo Notizie vniuersali*, cuius Tomus primus prodiit *Venetiis* apud Hieronymum Albrizzii *1696*. Tomus secundus *1697*. & sic singulis annis reliqui ad octauum hucusque prodierunt. Singuli Tomi duodecim partibus diuiduntur & omnis generis libros recentiores, inuenta Physica & Mathematica, dissertationes in diuersis Italiæ Academiis recitatas, opuscula item antiqua rariora, siue Latina, siue Italica exhibent. Diuersi sunt socii, qui in formam Academiæ della Galeria di Minerua dictæ a. 1698. firmis legibus coaluerunt, symbolas suas conferentes. Hinc etiam Tomo II.

p. VIII. p. 259. nomina Protectorum, Præsidis & sociorum, legesque societatis accurate recensentur. Plurimum vero debetur Academiæ Secretario, Apostolo Zeno. Sed de hoc instituto sequius ipsi Itali iudicant. Nuperrime demum Vir Celeberrimus, Io. Burcardus Menckenius per litteras nuntiauit, prodiisse & Neapoli aliquot plagulas sub titulo: *I primi dissegni della Republica Letteraria d' Italia da* LAMINDO PRITANIO, *Napoli 1703/8.* vbi modi quidam indicantur, quibus Itali nonnulli doctiores, quorum & nomina recensentur, partitis inter se pensis rem litterariam ornare & scripta aut inuenta sua per Ephemerides publicare constituerint. Sed res effectu caruit, & hi ipsi, qui illic nominati fuerunt, eruditi, nihil sibi ea de re constare fuerunt professi. Sub Pritanii vero nomine latere BERNHARDVM TREVISANVM, docent Noua Litteraria Hamburgensia Mense Iulio 1708. p. 258. Idem mecum communicauit Programma, nomine Marchionis Ferdinandi Centurioni Messinense publicatum, quo indicatur, se in vrbe Foro Liuii CIↃ IↃCCX die XXV. Ianuarii aperturum esse nouam Academiam *dell' Onore Letterario* dictam, duodecim sociis, viris eruditissimis, constantem. His potissimum incumbere debere, vt Fastos eruditos Bibliothecæ volantis *I. Fasti eruditi della Bibliotheca volante*, quod Parmæ primum cœperat IO. PELLERINVS,

Abbas

Abbas Dandi, atque hactenus intermissum fuerat, denuo redintegraretur. Hi autem continere deberent Excerpta cuiuscunque generis librorum vna cum nouis litterariis totius Europæ, siue Effemeridi del mondo nouellistico Præter hos Fastos promittuntur etiam poëtica quædam, quæ vel ab illustribus vel priuatis componantur.

Ad §. XX. p. 272.

Acta Eruditorum.

Controuersiæ Collectorum Actorum Eruditorum cum Iacobo Gronouio talis est ratio. Ante plures annos Ioachimus Fellerus sub nomine Francisci Dermasi epistolam scripserat, in qua Grotium non solum, sed etiam alios Belgii Criticos perstringit, & potissimum Gronouium in materia de morte Iudæ refutat. Quare Gronouius in iterata editione Exercitationum suarum de nece Iudæ, Lugduni Batauorum 1702. 4. nimium in actorum Collectores, academiam & Ciuitatem Lipsiensem inuehit, cui tamen breuissimis saltim respondent Collectores Ianuario 1703. p. 15. Ratione controuersiæ de Antonia Bourignonia, prodierat *Monitum necessarium ad Acta Eruditorum Lipsiensia anni 1686. mensis Ianuarii spectans in quo Compilatorem articuli III. Actorum de Anto-*

nia Bourignonia, eiusque Operibus referentem plus quadragesies falsi conuincere ausus auctor quidam anonymus Amstelodami 1686. Verum contra hoc scriptum ediderunt Collectores *Defensionem relationis de Antonia Bourignonia, cui etiam monitum illud necessarium subiecerunt, Lips. 1687. 4.*

Ad §. XXII. p. 273.

Noua Litteraria maris Balthici.

Hæc Noua Litteraria maris Balthici per decennium continuata vsque in annum 1708. inde nouis litterariis Hamburgensium inseri cœperunt.

Ad §. XXIII. p. 275.

Noua Litteraria Hamburgensia,

In quinto Tomo nouorum litterariorum, siue cum anno 1707. cœperunt Collectores etiam extra patriæ fines excurrere, & quidquid in Italia, Gallia, Magna Britannia, Belgio, Heluetia, aliisque prouinciis inter litteratos agatur, recensent. Tomo septimo siue anni 1709. addita fuerunt etiam noua litteraria maris Balthici. Idem vero Tomus nunc tardius continuatur.

Ad §. XXIV. p. 276.

Obseruationes Halenses.

Accessit postea *Additamentum ad Obseruationum selectarum ad rem litterariam spectantium Tomos decem*, qui tamen reliquis plane non est æquiparandus. Insecutus postmodum est NICOLAI HIERONYMI GUNDLING *Obseruationum selectarum ad rem litterariam spectantium Tomus primus*, *Francofurti 1707. 8.* Insecuta sunt NICOLAI HIERONYMI GUNDLINGS *Otia*, *erste Auflage*, *Franckfurt vnd Leipzig 1706. 8.* Secuta est *andere Auflage Franckfurt 1706. 8.* & *dritte Auflage nebst einem vollständigen Register über alle 3 Theile*, *Franckf. 1707 8.* Quibus multa continentur erudita, curiosa & iucunda.

Ad §. XXV. p. 278.

Acta Litteraria ex Manuscriptis.

Quartus fasciculus Actorum Litterariorum prodiit *Ienæ 1706 8.* continet Inuentarium Bibliothecæ Sixti IV. per B. Platinam. Io. Maioris Synodum auium cum annotationibus Ioachimi Felleri, Conradi de Monte puellarum Oeconomica, Viti Winshemii epistolam ad Io. Stigelium de capite Mauritii statuæ in arce Berolinensi auulso. *Quintus fasciculus* prodiit

Ienæ 1707. 8. atque continet Zachariæ Prüſchenkii vitam & epiſtolas varias ad Helmſtadtienſes potiſſimum, Caſparis Scioppii epiſtolam ad Conradum Rittershuſium & Carmina varia. *Sextus Faſciculus* prodiit *Ienæ* 1709. 8. & continet Miſcellanea litteraria ex epiſtolis, Caſp. Barthii epiſtolas ad Daumium. Pauli Fuchſii & Georgii Schubarti binas epiſtolas ad G. A. Struuium, Io. E. Thomann. epiſtolam ad Sagittarium. *Faſciculus ſeptimus*, qui haut ita pridem prodiit *Ienæ* 1710. 8. continet Iacobi Thomaſii epiſtolas ad diuerſos, epiſtolas ad Iacobum Thomaſium, Iac. Auguſti Thuani epiſtolam ad Io. Meurſium, Litteras Rectoris & Academiæ Wittebergenſis ad Academiam Lipſienſem de excluſo ex communitate Conr. Schlüſſelburgio.

Ad §. XXVI. p. 279.

Bibliotheca antiqua.

Bibliotheca antiqua cum Ianuario, Februario & Martio anni 1707. qui coniunctim prodierunt, deſiit. Cum morte enim Bibliopolæ ceſſauit etiam inſtitutum. Coniunctim demum prodiit integra Bibliotheca nouo præfixo titulo *Theſaurus variæ eruditionis ex ſcriptoribus potiſſimum ſeculi XVI. & XVII. collectus Ienæ* 1710. 4. Collectores in addita præfatione ſimul ad-

adnotaui, Ludolphum a Friedag, Equitem Marcanum, qui historica quædam & rei nummariæ inseruit exercitia. Georgium Serpilium, Ecclesiarum Ratisbonensium antistitem, Io. Philippum Storrium, sacrorum apud Heilbrunnenses & Gymnasii Inspectorem, qui in scriptis Theologicis recensendis aliquam adhibuerunt operam, Sebastianum Schrammium, verbi diuini apud Isenacenses ministrum, qui non solum ansam dedit instituto, sed etiam in elaborandis materiis librisque recensendis strenuum se gessit adiutorem. Adamum Gschvvendium, tunc Lycei Eisenbergensis Rectorem, nunc sacrorum apud Numburgenses administratorem, qui librorum ad philologiam spectantium recensionem in se suscepit, Io. Georgium Liebknechtium, Mathematum apud Giessenses Professorem, cuius sunt Mathematica, Io. Andream Vhlium, equestri Scholæ apud Brandenburgenses nunc præfectum, qui philologica quædam sibi sumsit, & fratrem meum Fridericum Gottliebium Struuium, iurium apud nos Doctorem, cui pleraque Iuris Ciuilis sunt tribuenda. Diariis quoque eruditorum latinis accensendus est IO. GRÖNINGII *Apparatus ad Historiam scientiarum & artium, seu Relationes Litterariæ in specimen maioris operis præmissæ, Hamburgi 1701. 8.* Verum, licet ipse de se multa promittat Gröningus, optime tamen de his rela-

tionibus iudicat Mollerus in prolegomenis ad Morhofii Polyhiſtorem p. 77. vbi easdem dicit exiguo ſelectu congeſtas, ac in plerisque ſcientiis nihil noui in medium afferentes, ſed ab aliis dudum occupata, & ne quidem plene ſatis aut accurate iterantes. Immo ipſum Gröningium, quantum ad ingenium, iudicium Styli nitorem & eruditionem variam atque elegantiam, Morhofio omnino dicit eſſe inferiorem.

Ad §. XXVII. p. 279.

Miſcellanea naturæ Curioſorum.

De Miſcellaneis naturæ Curioſorum hoc ſaltim dicendum, tertiam decuriam anno 1706 fuiſſe abſolutam, & cum eadem deſiiſſe inſtitutum. Licet promiſerint ſocii obſeruationes rariores, nouaue curioſa Phyſico-Medica per centurias porro, vel quocunque alio ordine fieri commode poſſit, cum erudito orbe communicare.

Ad §. XXX. p. 285.

Tentzelii Curieuſe Bibliothec.

Tentzelii Curieuſe Bibliothec tertii Repoſitorii loculus nonus vltimus eſt. Continuationem quidem ſuſcepit auctor quidam, qui

qui ſub litteris C. T. I. latere voluit, qui edidit loculum decimum, verum eodem cum Tentzelii adparatu haut eſt inſtructus.

Ad §. XXXVII. p. 291.

Löſcheri Altes vnd Neues.

Valentinum Erneſtum Löſcherum nunc Dresdenſium eſſe antiſtitem patet. Eiusdem *vnſchuldiges Altes vnd Neues* tardius poſtmodum fuit continuatum, cum in præſenti, Anni 1709. non niſi ſex *Ordnungen* prodierint.

Ad §. XXXIX. p. 294.

Noua diaria Germanica.

Hamburgenſium *Hiſtoriſche Remarquen* continuatæ fuerunt per nouem Tomos vsque ad annum 1707, cum quo deſierunt. Haut ita pridem binæ eruditorum ephemerides lingua vernacula prodierunt. Primæ titulum præferunt: *Ausführlicher Bericht von allerhand neuen Büchern vnd andern Dingen, ſo zur heutigen Hiſtorie der Gelehrſamkeit gehörig, zu Fortſetzung der Monathlichen Vnterredungen, Monatlichen Auszüge vnd curieuſen Bibliothec*, quarum faſciculus primus prodiit *Francofurti & Lipſiæ 1708. 8.* atque nunc continuatæ vsque ad faſciculum octauum. Auctores huius diarii potiſſimi

ſunt

ſunt CHRISTOPHORVS WOLTERECK & IO. HENRICVS KRAVSE, quibus acceſſerunt HIERONYMVS AVGVSTINVS GROSCHVFFIVS atque alii, qui ſymbolas contulerunt. Tentzelii atque Eccardi inſtitutum continuare ſibi ſumſerunt, cum hactenus nulla Diaria vernaculo ſermone fuerint publicata. Certe multam induſtriam præ ſe ferunt collectores, quam non in recenſendis ſolum libris adhibent, ſed etiam in ſubiectis notis, quæ ſane eruditæ ſunt & lectu iucundæ. Subnectunt etiam noua quædam litteraria, quæ non minus digna ſunt. Poſt hocce Diarium aliud publicari cœpit Halæ ſub titulo: *Neue Bibliothec, oder Nachricht vnd Vrtheile von neuen Büchern*, 1710. 8. cuius tres iam faſciculos vidimus. Auctor eſt GVILIELMVS TVRCKIVS, iurium apud Halenſes Licentiatus, qui tamen breuia ſaltim librorum tradit Excerpta, ſine Obſeruationibus. Vltimis faſciculis adiecta etiam fuerunt Noua litteraria.

Ad §. XLIII. p. 297.

Nouvelles de la Republique des Lettres.

Excerptorum Reipublicæ Litterariæ *Nouvelles de la Republique des lettres*, curam quoque, dum æger eſſet Bælius, geſſiſſe DE LA RO-

QVE, auctor nos docet libri, cui titulus Clef du Cabinet des Princes menſe Iulio 1708. p. 9. dum ait: *Mr. de la Roque eſt fort connu & eſtimé en Hollande, où il travailla autre fois à la continuation des Nouvelles de la Republique des lettres pendant une maladie de quelques mois, qui obligea la ſçauante & feconde plume de Mr. Bayle, de discontinuer cet ouvrage penible.*

Ad §. XLVI. p. 302.

Bibliotheque vniverſelle.

Iacobus Bernhardus Nouvelles de la republique des lettres menſe Septembri 1708. p. 350. ipſe de ſe teſtatur, quod in Bibliotheca quoque vniuerſali operas ſuas contulerit.

Ad §. XLVII. p. 303.

Boockzaal van Europe.

Diarium Belgicum Boockzaal van Europe continuatum fuit per Iohann van Gavern, ſed dum dictus auctor Amſtelodamum relinqueret, deſiit hoc inſtitutum cum anno 1708.

Ad §. XLVIII. p. 304.

Bibliotheca librorum nouorum.

Hanc Bibliothecam librorum nouorum continuare voluerunt Amstelodamenses quidam eruditi, publicata hunc in finem anno 1700 *Inuitatione Collegii Amstelodamensis ad eruditos quosuis tam in Belgio, quam in aliis totius Europæ partibus degentes, cuiuscunque sint Facultatis & Linguæ, vt auxiliares ferant manus ad promouendam Historiam rei litterariæ ex toto orbe erudito colligendam atque singulis tribus mensibus Amstelodami typis euulgandam.* In eadem promittunt, se singulis tantum tribus mensibus elapsis in quarto librum esse editures, quo facilius deinde quiuis annus vna compactura initio facto à nouo hoc seculo possit comprehendi. In fine autem semper se adiecturos esse dicunt Catalogum eorum, quæ in Ephemeridibus Anglicis, Germanicis, Gallicis, Italis & Belgicis fuerint recensita. Omnes itaque atque singulos inuitant eruditos ad symbolas conferendas. Integra hæc inuitatio continetur *in Historischen Remarquen anno 1700. p. 246.*

Ad §. XLIX. p. 305.
Bibliotheque choisie.

Huius Bibliothecæ selectæ *Tomus decimus octauus* prodiit *Amstelodami 1709. 12.* Iniquius de eadem iudicant Collectores Diarii Treuoltiensis mense Iunio 1704. p. 346. *Cette Bibliotheque choisie est du même goût, que la Bibliotheque vniverselle. Le Style de l' Auteur est plus coulant que pur: Son erudition plus etendue qu' exacte sa critique souvent iudicieuse, touiours hardie. On remarque vn grand penchant a favoriser l' incredulité, vn grand soin de iustifier tous les Héretiques & fort peu d' égards pour les grands hommes que l' antiquité Chretienne a le plus respecté.*

Ad §. L. p. 305.
La Clef du Cabinet des Princes.

Ad diaria Belgii referendum quoque est illud, quod sub Titulo *La Clef du Cabinet des Princes de l' Europe, Luxenburgi 1704. 8.* edi cœpit. Singulis mensibus prodit, & licet potiorem partem faciant noua historica atque politica, sub finem tamen cuiuslibet mensis subnectuntur quædam litteraria, quibus de vno vel altero libro nouo agitur atque elogia quorundam

dam doctorum, versus elegantes & similia, quæ historica & iucunda magis sunt, proponuntur, licet nonnunquam varia interspergantur perquam vtilia. Quouis semestri generalis titulus præfigitur atque index rerum præcipuarum subnectitur. Postea Luxemburgi cœpit *Diarium Europæum Historico Litterarium* cuius Trimestre primum prodiit *Luxenburgi 1707. 8.* neque continuatum esse noui. Immo, cum in nouis plerumque consistat relationibus, vltimæ saltim paginæ rei litterariæ fuerunt destitnaæ.

Ad Caput Septimum.

§. II. p. 311.

Könīgii Bibliotheca.

De Königii Bibliotheca rigidum agit censorem Io. Mollerus in præfatione Isagoges ad Historiam Chersonesi Cimbricæ b. 5. dum ait: *Innumeros certe in eo autores esse omissos, de antiquis paucissima satisque confuse in medium allata, e recentiorum, etiam Polygraphorum, scriptis quam plurimis plerumque vix vnius aut alterius factam mentionem, ac raro synopticam aliquam de autoris patria, ætate ac vita, librique editi loco ac tempore, narrationem adiectam, manifesti-*

us

us est, quam vt latere Lectorem eruditum, aut negari ab homine candido possit. Nomina etiam sæpius, vti in prodromo monui, & scripta falsa auctoribus esse attributa, circa patriam atque vitam, illorum erratum, inedita pro editis venditata, & ex vno Scriptore duos aut tres inepte procusos, exemplis plurimis ὀφθαλμοφανερῶς possem ostendere, si in expurgando hoc Augiæ stabulo tempus pariter atque operam vellem perdere, aut sordes illius in Præfationem hanc conuectare. Quidquid tamen sit, vsum suum adhuc habet dicta Bibliotheca.

Ad §. IV. p. 312.

Vitæ Virorum clarorum.

Res antiquissima est, vitas clarissimorum virorum scribere. Idem iam de Titinio Capitone prædicat Plinius lib. I. ep. XVII. & lib. VIII. ep. XII.. De THEODORI BETZÆ *iconibus* notandum, quod statim post latinam editionem prodierit Gallica *Geneuæ 1581. 4.* in qua supplentur effigies, quæ in latina editione fuerunt omissæ. Secutus Betzam fuit GVILIELMVS BVDÆVS Quedlinburgensis Medicus. Hic enim animo conceperat *Thanatologiam illustrium & clarorum virorum*, qua dies eorundem

dem emortuales cum potiori vitæ parte exprimeret. Ex hac, prodromi loco saltim publicauit *Centuriam XVI.* seculum decimum sextum comprehendentem, *Helmstadti 1604. 8.* quæ cum aliis a Io. Georgio Leuckfeldo editis Scriptoribus Rerum Germanicarum prodiit *Francofurti 1707. f.* Secundum annos progreditur; & qui singulis annis emortui Præsules, Imperatores & Reges, Principes & Comites, qui demum litterati fuerint defuncti, enarrat, paucissima tamen de eorum statu proponit. Sub ADOLPHI CLARMVNDI nomine latet IO. CHRISTOPHORVS RüDIGER. Prima autem Centuria quatuor prioribus Tomis absoluitur. Prodierunt postea plures Tomi, quippe *pars quinta* prodiit *Witteberga 1706. 8. pars sexta Witteberga 1707. 8. pars septima Witteberga 1708. 8. pars octaua Witteberga 1709. 8. pars nona Witteberga 1710. 8.* Singulæ hæ icones præfixas non habent, nec vbius satis sunt accuratæ. Cœpit etiam Vitas Scriptorum ecclesiasticorum, quæ parui sunt momenti. Ex Belgis huc facit HENRICVS HONDIVS, qui *icones virorum nostra patrumque memoria illustrium* sculpsit æneisque typis excudit *Lugduni Batauorum 1599. 4* Sic etiam PHILIPPVS GALLÆVS edidit *imagines L doctorum virorum, qui bene de studiis litterarum meruere, Antwerpiæ 1595. 4.* Figuris eruditorum æri incisis subiecta sunt disticha aliquot.

Ad

Ad §. V. p. 318.

Haut ita pridem prodierunt CAROLI ANCILLONII *Memoires concernant les vies & les Ouvrages des plusieurs modernes, celebres dans la Republique des Lettres à Amsterdam 1709. 8.* Liber est egregius, in quo sibi proposuit Vitas quorundam virorum eruditione illustrium, Valentini Conrartii, Bartholomæi Hertbelotii, Vrbani Chevreau, Henrici Iustelli, Adriani Bailleti, Iacobi, Beniaminis, Ludouici du Maurier, Ioannis & Claudii Auberiorum, Io. Bapt. Cotelerii & Laurentii Begeri, vt supplementi loco esse possint ad Dictionarium Bælianum. Has autem vitas ita describit, vt non nisi singularia proponat, & quidquid hinc inde sparsum, colligat; multa intermiscet erudita, quæ ad rei litterariæ cognitionem faciunt egregie, Auberios probe distinguit, variorum errores notat, de scriptis iudicat, horumque sæpe enarrat historiam. Imo totus hic liber non ob iucunditatem solum, sed etiam vtilitatem egregie se commendat. Vtilissimum igitur hunc laborem vt in posterum, quod non plane abnegat, continuet celeberrimus auctor, optamus, eundemque ideo publice rogamus. Eidem quoque debemus notitiam quorundam eruditorum, qui vitas eruditorum scribere adgressi fuerunt, hanc dum vno nexu in docta

sua præfatione proponat, hic loci inseremus. *Sorbiere*, ait, *avoit entrepris d' ecrire l' Histoire des Savans, mais il n' a pas executé son dessein. Vn Docteur de Navarre, nommé Drovin à travaillé bon tems & travaille peut-être encore à nous donner de gros Volumes touchant les Auteurs François, en quelque tems qu' ils ayent paru. Mr. l' Abbe Bordelon qui a beaucoup de lectur, & sur tout des Livres Modernes a commencé à nous donner l' Histoire Critique des personnes les plus remarquables de tous les siecles. Le P. Iacob avoit entrepris de faire un Catalogue general de tous les Auteurs; & feu Mr. Heindrich, Bibliothecaire de sa Maiesté le Roy de Prusse, avoit fait esperer un pareil Ouvrage. L' un & l' autre étoient trés-propres à y reussir. Maître Augustin Goguet, Medicin à Beauvais a travaillé aux vies des gens de lettres de toute sorte de professions, dont il a recherché les singularitez avec soin.*

Ad §. VI. p. 319.

Elogia Thuani.

Simile institutum meditari CAROLVM ANCILLONIVM, volunt Acta Eruditorum

Lipsi-

Lipsiensium mensis Maii 1706. p. 209. Ipse tamen in præfatione Memoriis suis præfixa sub finem testatur, sibi nonnisi elogia virorum illustrium, Imperatorum scilicet, Regum, Principum, Paparum, Cardinalium & Ducum militarium, quorum mentio fit apud Thuanum, curæ esse, non autem virorum eruditione clarorum.

Ad §. VII. p. 319.

Batesii & Thomæ Smith Vitæ.

Batesii Vitæ denuo prodierunt *Oxonii 1704. 4.* Post hunc prodierunt *Vitæ quorundam eruditissimorum & illustrium virorum, scriptore* THOMA SMITH, *Londini 1702. 4.* Continentur hac collectione Vita Iacobi Vsserii, archiepiscopi Armachani, Io. Cosini, episcopi Dunelmensis, Henrici Briggii, Geometriæ in academia Oxoniensi Prof. Sauiliani, Io. Bainbridgii, Astronomiæ in acad. Oxoniensi Prof. Sauiliani, Petri Iunii, Iacobi I. Præceptoris & magni Scotiæ Eleemosynarii, Patritii Iunii, Iacobi I. & Caroli I. Bibliothecarii & Io. Dee Mathematici Angli.

Ad §. VIII. p. 321.

Vitæ Italorum.

Ad Vitas clarorum Italorum faciunt etiam IVLII CÆSARIS CAPACII *illustrium mulie-*

rum & illustrium litteris virorum elogia, *Neapoli 1608. 4.* quæ tamen plerumque fere solent esse elogia, inter quæ etiam raro exemplo Isaacum Casaubonum ex Protestantibus laudibus videmus euectum.

Ad §. X. p. 326.

Vitæ Germanorum.

Adiecit PIPPINGIVS *Triadem Decadum Memoriam Theologorum nostræ ætatis clarissimorum renouatam exhibens*, *Lipsiæ 1707. 8.* Secutus eundem fuit GEORGIVS HENRICVS GöTZIVS. Hic enim *elogia præcocium eruditorum aliorumque virorum doctorum* edidit *Lubecæ 1709. 8.* vt Henningi Wittenii nouem decadibus decimæ instar possit superaddi. Adiecit etiam indicem alphabeticum ad decem has decades omnium eruditorum, quorum vitæ recensentur. Idem collegit *Elogia Germanorum quorundam Theologorum*, *Lubecæ 1709. 4.* *Elogia Germanorum Theologorum Seculi XVI. & XVII. Lubecæ 1708. 8.* *Elogia Philologorum quorundam Hebræorum*, *Lubecæ 1708.* Licet in vitis colligendis non iustum vbique obseruauerit selectum.

Horum exemplo incitatus REINHARDVS HENRICVS ROLLIVS *Memori-*

as Philosophorum, Oratorum, Poëtarum, Historicorum & Philologorum inde à Megalandri Lutheri reformatione ad nostra usque tempora renouatæ decadem primam collegit, recensuit & cum additamentis quibusdam edidit *Rostochi 1610. 8.* Idem cum Wittenio seruat institutum, ita vt vel orationes vel programmata parentalia collegerit, quibus subinde breues quasdam notas subiicit.

Ad §. XI. p. 326.

Vitæ Germanorum.

Illorum, qui eruditorum certæ saltim prouinciæ vitas scripserunt, præter iam memoratos sunt perplures. Ad Silesiæ eruditos facit etiam IO. HENRICI CVNRADI *Silesia togata, siue Silesiorum doctrina & virtutibus clarissimorum elogia*, quam ex auctoris Msto edidit CASPAR THEOPHILVS SCHINDLERVS, *Lignicii 1706. 4.* Singula in singulos, quorum nomina ordine alphabetico proponuntur, sunt disticha, quibus subiungitur dies natalis & emortualis officiorumque ab iis gestorum tituli. Elogia magis sunt, quam vt ad vitarum descriptionem multum conducant. Haut ita pridem MARTINVS HANCKIVS initium

fecit publicandi Silesiam suam eruditam. Publicauit enim primum Tractatum *de Silesiis indigenis eruditis post litterarum culturam cum Christianismi studiis anno 965. susceptam ab anno 1165. ad 1580. Lipsiæ 1707. 4.* Vitas hoc tractatu exponit non eruditorum solum, sed etiam illustrium virorum, Ducum, Prælatorum, equitum & nobilium, qui factis inclaruerunt, easdemque erudite declarat. Subiecit sex Indices, prænominum, cognominum, patriarum, temporum, quibus mortem obierunt, scriptorum & rerum memorabilium. Insecutus est statim Eiusdem *de Silesiis alienigenis eruditis ab anno Christi 1170. ad 1550. liber singularis, Lipsiæ 1707. 4.* quo eadem methodo de Silesiis agit, quos non patria, sed vita reddit Silesios. IO. CASPAR EBERTVS, idem ille, cuius tractatum de eruditis mulieribus superius recensuimus, prelo iam paratam habet Bibliothecam Silesiacam, seu de Scriptoribus virisque doctis cæteris, qui vel ortu Silesii vel habitatione fuerunt, vti testantur Noua Litteraria Hamburgensia mensis Augusti 1705. p. 287. quibus etiam speciminis loco aliqua ex eadem exhibentur. Idem Ebertus edidit *Peplum Bonorum Ingeniorum Goldbergensium, eiusque Centuriam primam*, in qua viri, quos Goldberga protulit, doctrina & virtute clarissimi breuiter delineantur, *Olsnæ 1704. 8.*

Se-

Secuta eſt *Pepli huius Centuria altera*, quæ doctos, qui Goldbergæ vixerunt, licet nati ibidem non fuerint, exhibet. Idem promiſit *Peplum Doctorum Ceruimontanorum & Leobergenſium* in Sileſia, & Tractatum *de Nobilitate Sileſiorum erudita*. *De Nobilitate* vero *Vratislauienſium erudita* extat diſſertatio ADAMI PANTKII, *Lipſiæ 1697. 4.* De Claris Marchicis prodiit GEORGII PETRI SCHVLZII diſſertatio epiſtolica I. ad Samuelem Stryckium *Francofurti ad Viadrum 1706. 4.* qua vitam patris ſui Petri Schultzii, Io. Brunnemanni; Ex Theologis quædam de Io. Aepino, Martino Chemnitio & Daniele Cramero profert; Ex medicis vitam recenſet Irenæi Vehr. Inde laudat Thomam Crenium, cuius ſcripta recenſet & epiſtolas ipſius ad diuerſos eruditos adnectit. Inſecuta eſt *altera diſſertatio* ad Henricum Cocceium, *Francofurti 1706. 4.* Hac vita Benedicti Carpzouii, Georgii Sabini, Io. Aepini, Caſparis Barthii, Matthæi Hoſti, Andreæ Angeli, Io. Bergmanni, Io. Knoblochii deſcribitur, addit etiam epiſtolas Thomæ Crenii. *Tertia Diſſertatio* ad Io. Georgium Röſerum, *Francofurti ad Viadrum 1707.* vitas recenſet Petri Vehren, Martini Heinſii, Martini Chemnitii, Vrbani Pierii, Benedicti Stimmelii, Mauritii Hofmanni, quibus iterum ſubnectit aliquot epiſtolas Thomæ Crenii. Inſecuta eſt *diſſertatio epiſtolica quarta* ad Christianum Weiſium, *Francofurti*

ad Viadrum, *1707. 4.* Hæc vitas continet Wolfgangi Iusti, Ioachimi Garcæi, Guil. Hildenii, Georgii Stampelii, Mich. Haslobii, Henningi Gœdeni, Sebastiani Molleri atque aliorum, quorum memoriam saltim per transennam recolit. Hanc demum excipit *dissertatio quinta*, *Francofurti ad Viadrum 1709. 4.* qua habetur vita Matthæi Cunonis, Benedicti Winckleri, Hieronymi Setzeri, Nic. Leuthingeri, Andr. Angeli, Martini Crusii, Valentini Acidalii, Io. Prætorii, Georgi Noesleri, Dan. Erasmi, Georgii Lothi, Casparis a Lilien, Francisci Moncæi, Alberti Friderici & Georgii Mellemanni. *De Græcarum & Latinarum Litterarum in Misnia instauratoribus*, præside IO. BVRCARDO MENCKENIO egit DANIEL FIDLERVS Lipsiæ 1701. 4. Haut ita pridem GEORGIVS SERPILIVS edidit *epitaphia, oder Ehren-Gedâchtnüsse vnterschiedlicher Theologorum, die in Schwaben gebohren worden*, *Regensburg*, *1707. 12.* quo in libro plurium Theologorum Sueuorum vitas succincte recenset, de iis iudicia & elogia exhibet, ad eosdemque scriptores, qui prolixius de singulis egerunt, remittit. IOANNES DIETERICVS dissertationem scripsit *de Annæberga & claris viris inde oriundis*, *Lipsiæ 1702. 4.* IACOBVS FRIDERICVS REIMMANNVS *in Idea Historiæ Ascaniensis ciuilis, Ecclesiasticæ, naturalis, litterariæ*, quæ *Quedlinburgi 1708. 4.* prodiit, parte quarta etiam eruditos

Asca-

Aſcanienſes additis illorum ſcriptis breuiter recenſet. Idem affectam iam ſe habere dicit hiſtoriam Litterariam Halberſtadienſem, qua ſe hiſtoriam virorum in diœceſi Halberſtadienſi a temporibus Caroli M. vsque ad noſtra ſumma induſtria contexuiſſe ipſe ſcribit *im Verſuch der Einleitung zur Hiſtoria Litteraria lib. I. ſ. 3. p 407.* Sic etiam *Haſſiam Litteratam* prolixo opere moliri I. C. KALKHOFIVM, *Pomeraniam Litteratam* promiſiſſe BENIAMINVM POTZERNE edito iam anno 1693. ſchediasmate cum ſciagraphia teſtatur Michael Lilienthal in conſult. de Hiſtoria Litteraria certæ gentis p. 3. IO. SAMVEL MAGNVS in *Hiſtoriſcher Beſchreibung der Stadt Sorau*, *quæ Lipſiæ 1710. 4.* prodiit, & quidem parte ſecunda litteratos etiam Sorauienſes ſecundum diſciplinarum claſſes deſcribit, horumque ſcripta breuiter recenſet, aſt ſine ſelectu. *Memoriæ Hamburgenſes* ſ. Hamburgi & Virorum de eccleſia reque publica & ſcholaſtica bene meritorum. Elogia & vitæ prodierunt collectore I. ALB. FABRICIO, *Hamburgi 1710. 8.* DANIEL GVILIELMVS MOLLERVS *Lamprandologiam* cœpit *Noribergenſem Altdorfi 1706. 4.* initium faciens à vita Andreæ Arnoldi. Immo non deſunt, qui in Chronicis prouincicarum atque vrbium deſcriptionibus harum etiam viros claros ſimul exponunt. FRIDERICVS THOMAS quidem *in Analectis Guſtrouienſibus*, quæ *Guſtrouiæ 1706 8.*

pro-

prodierunt, Catalogum adiecit Biographicum personarum de ecclesia ac politia Gustrouiensi a tempore auspicatæ per Lutherum reformationis ad nostram vsque ætatem bene & præclare meritarum, eundemque in classem Theologicam & politicam distributum. Sic etiam ad Vitas Professorum Ienensium addi potest, quod IO. CASPAR ZEVMER vitas æque Professorum Iuris fuerit adgressus, *Ienæ 1705. 8.* editas. Sic etiam *vitas Medicorum* atque *Philosophorum* ad prelum iam habet paratas. Huc facit etiam BARTHOLOMÆI CHRISTIANI RICHARDI *Commentatio de vita & Scriptis Professorum hodie in Academia Ienensi publice docentium*, *Ienæ 1710. 8.* Et cum moris factum, eruditos in præcipuis ciuitatibus commorantes recensere, facit quoque huc *Brema litterata*, *Bremæ 1708. 8. Hamburgum litteratum* PETRI AMBROSII LEHMANNI aliquoties prodiit, vltima vice *Hamburgi 1704 8.* IMM. WEBERI *Lipsia Litterata* Ieremiæ Weberi Lipsiæ euangelicæ in iterata editione accessit. *Lubecam litteratam* quatuor disputationibus absoluit PETRVS IENICHIVS, quarum tres priores *Witteberga 1703.* vltima *1705. 4.* prodierunt, *Rostochii litterati* auctor est ANDREAS DANIEL HABICHORST Doctor, qui sub litteris initialibus saltim latere voluit.

Ad

Ad §. XII. p. 330.

Biographi Galli.

ANDREAE du CHESNE *Bibliotheque des Autheurs François* latino ſermone verſa, denuo curante IO. ALBERTO FABRICIO prodiit *Hamburgi 1708 8.* De Verderio & Crucimanio ita iudicat Colomeſius Bibliotheque choiſie num. 74. *Cette Bibliotheque de la Croix du Maine, qui ſe fait rare, eſt a mon auis plus vtile, que celle de du Verdier. Celle-ci ne nous indique que le nom des Autheurs & celui de leurs Ouvrages, au lieu que l' autre nous aprend diverſes particularitez de ceux dont elle fait mention.*

Ad §. XIII. p. 332.

Biographi Galli.

PELISSONI *Hiſtoire de l' Academie Françoiſe* denuo auctior prodiit *Pariſii 1701. 12.* RENATVM MOREAV librum de illuſtribus medicis Pariſienſibus promiſiſſe teſtatur Voglerus not. Auctorum Cap. XXI. §. 95. PHILIBERTVS DE LA MARE edidit *Conſpectum Hiſtoricorum Burgundiæ, Diuione 1689. 4.*

Ad

§. XIV. p. 333.

Bibliographi Itali.

Ad Scriptores Italos facit IOANNIS MATTHÆI *Peplus Italiæ*, quo Illuſtres Viri, quotquot a trecentis abhinc annis in tota Italia floruerunt, eorumque patriæ, profeſſiones & litterarum monumenta, cum carmine, tum ſoluta oratione, recenſentur, *Pariſiis 1578. 8.* De quo Labbeus in Bibliotheca Bibliothecarum dicit: *eundem librum manu ipſius auctoris auctum atque emendatum poſſidebat inter alia ad Bibliothecam hancce noſtram ſpectantia Raphael Triquetus Fraxineus, qui Bibliothecam Hiſtoricorum Italiæ magno ſtudio adornabat.*

Ad §. XV. p. 336.

Franc. Ariſius & Leo Allatius.

FRANCISCI ARISII *Cremona litterata ſ. in Cremonenſes doctrinis & litterariis dignitatibus eminentiores Chronologicæ adnotationes Tomus primus* prodiit *Parmæ 1702. f.* Idem ante Ariſium iam tentauerat IOSEPHVS BRESSIANVS, inter cuius manuſcripta opuſculum Italica lingua conſignatum & hoc

titulo inſignitum: *Virtus rediuiua inſignium Virorum Cremonenſium* fuit repertum. Sic etiam LAVRENTIVS LEGATVS in *Lyceo Herculis* nonnulla de Litteratis Cremonenſibus memoriæ prodidit, vterque tamen morte præuentus cœptam telam pertexere haut valuerunt. Hic autem Ariſius præmiſſa de Cremonenſis vrbis origine atque hiſtoria præfatione, eruditos, qui ex eadem originem ducunt, ſecundum temporis, quo vixerunt, ſeriem recenſet, ab anno ante Chriſti natiuitatem quinquageſimo primo vsque ad milleſimum quingenteſimum primum, ſingularum nomen, munera, ſcripta & res præclare geſtas, epitaphia etiam ſingularia exponens, & multa interſpergens erudita circa Gymnaſia, Collegia, academias & litteraria alia. Vid. Acta Eruditorum menſe Martio 1706. p. 134. Alter Tomus, qui prodiit Parmæ 1704. f. Scriptores comprehendit ſeculi XVI. Leonis Allatii Apes Vrbanas cum inſtructione Gregorii XV. de Bibliotheca Palatina Romam transportanda & Vita auctoris iam dudum ex iterata editione promiſit M. MICH. FRIDERICVS QVADE.

Ad §. XVI. p. 337.

Vitæ Florentinorum & Senenſium.

IO. CINELLI *Bibliothecæ volantis* pluteo X conqueritur, ſe, dum Florentinos Scriptores, quo-

quorum quatuor millia ad ſuam notitiam peruenerint, eſſet illuſtraturus, eo fuiſſe adactum, vt Florentiam, patriam ſuam, linquere neceſſe habuerit, nec deeſſe, qui viginti trium annorum labores etiamnum è manibus ſuis euellere conentur. Vid Acta Eruditorum Februario 1706. p. 68. HIERONYMVS LILIVS, ſiue vernaculo nomine GIROLAMO GIGLI in Bibliotheca Scriptorum Senenſium Italica occupatus, quem ſub hoc titulo edere promittit: *L' Academia Saneſe overo Scrittori diverſi dell' Academia Saneſe tanto in Proſa, che in Verſo volgare*. Conſtabit hæc Bibliotheca triginta ſeptem voluminibus formæ quartæ: quodlibet vero volumen 28. minimum foliis. Licet autem eadem ipſis plerumque ſcriptis conſtare deberet, attamen notitiam ſine dubio Scriptorum præbebit. Eadem ratione etiam Bibliotheca latina promittitur. Vniuerſi Operis Sciagraphia reperitur Nouis Litterariis menſis Junii 1708. p. 203.

Ad §. XVII. p. 339.

Vitæ Ferrarienſium.

Eodem pluteo Cinellus indicat, HIERONYMVM BARVFFALDI diſſertationem *de poëtis Ferrarienſibus, Ferrariæ 1698. 4.* edidiſſe, in qua non tantum præcipuorum poëtarum, ſed & illorum, quorum opera vel deperdita ſunt, vel

vel diffusa adparent, exactissima detur notitia, vna cum operum recensione. Idem Baruffaldi *Bibliothecam Scriptorum Ferrariensium* promittit. Vid. Acta Eruditorum Februario 1706. p. 72.

Ad §. XIX. p. 341.

Vitæ Venetorum, Neapolitanorum & Siculorum.

De ANTONIO STELLA Philippus Labbeus Bibliotheca Bibliothecarum ait: *elogia Venetorum dicitur scripsisse; sed ea mihi nondum videre contigit.* Verum, Stellæ tractatus huc plane non facit, cum scripserit saltim *Elogia Venetorum nauali pugna illustrium, Venetiis 1558. 8.* In Bibliothecam Siculam plures operam curasque intenderunt. PETRVS CARRERA quidem Militellanus, opus conscripsit *de Scriptoribus Siculis*, quod tamen lucem non vidit, pauca saltim fragmenta manu scripta in Bibliotheca Clericorum Messanæ delitescere dicuntur. Successit eidem CAROLVS de NEAPOLI Panormitanus, qui æque *Bibliothecam Siculam* molitus est, sed eo apud Hispanos defuncto non constat, quo eius fragmenta peruenerint. Cum eodem communia fere fata sustinuit ANTONIVS AGRAZ, nobilis Panormitanus, qui *Museum Siculum*, siue de Veteribus Siciliæ Scriptoribus opus confecit, sed auctore

Neapoli extincto neque hoc opus fuit euulgatum. Idem denique studium adgressus est ALOYSIVS la FARINA, Eques Panormitanus, Marchio Madoniæ, qui diu multumque sudauit in opere de Scriptoribus Siculis ab orbe condito, quod in filii ipsius Vincentii la Farina Bibliotheca adhuc latet, verum admodum imperfectum dicitur Mongitori & inordinatum. IOANNES VIGINTIMILLIVS Messanensis *de omnibus Siculis* poëtis quidpiam scribere tentauit, sed morte præpeditus de poëtis tantum Bucolicis quidpiam elaborauit. PHILADELPHVS MAGNVS Leontinus, nonnulla de antiquis Philosophis, Poëtis, Historicis aliisque Siculis in suo nouo Laërtio euulgauit & recentiora promisit. Verum, dubiæ fidei auctorem esse demonstrauit singulari libello Vincentius Auria. Tandem HIERONYMVS RAGVSA *elogia Siculorum* conscripsit *Lugduni 1690. 12.* edita, quæ postea sub titulo Bibliothecæ Siculæ auctius *Romæ 1700. 4.* prodierunt, latino sermone, non, vt in introductione dicitur, gallico, eademque in certas centurias distributa. In Msto adhuc latere Eiusdem RAGVSÆ *Siciliæ Bibliothecam recentem*, continentem Elogia Siculorum, qui nostra vel nostrorum memoria litterarum fama claruerunt: ab anno 1500 ad 1700 in Centurias XIV. ordine Alphabetico digesta. Porro *Siciliæ Bibliothecam Veterem & recentem*, continentem Elo-

Elogia cum veterum,tum recentiorum Scriptorum, qui quoquo modo Siciliæ monumenta illuſtrarunt, in annos diſtributam, prout ex Galleria di Minerua Tomo IV. p. 125. refert Auctor *des Berichts von neuen Büchern* p. VII. p. 684. ANTONIVS MONGITOR haut ita pridem edidit diutius iam promiſſam *Bibliothecam Siculam*, *ſ. de Scriptoribus Siculis, qui tum vetera, tum recentiora ſecula illuſtrarunt, notitiæ locupletiſſimæ, in quibus non ſolum Siculorum auctorum, qui ad hæc vsque tempora ſcripſerunt, Codices excuſi vel manuſcripti adnotantur; vera etiam eorundem patria, ætas, profeſſio, munia, dignitates, memoranda, obitus & epitaphia recenſentur. Encomia itidem, quibus adbuc exteri Scriptores Siculos auctores exornarunt, in lectorum gratiam indicantur; nonnulli Scriptorum lapſus corriguntur; pluresque Siculi Scriptores vel ab alienigenis prouinciis vſurpati vel ignorati patriæ reſtituuntur. Acceſſit apparatus præliminaris operi præuius, complectens Sicanæ hiſtoriæ conſpectum, disquiſitiones de nomine Siciliæ, Siculorum ingenio & literis, & de Computo Olympiadum. Auctore Sac. Theologiæ Doctore,* ANTONIO MONGITORE, *presbytero*

Panormitano. Tomus primus. Panormi. 1707. f. Bibliotheca hæc ordine alphabetico instructa est, complectiturque Tomus hic primus nouem priores alphabeti litteras. Bibliothecas fere omnes excussit Mongitor, & congessit, quidquid conquirere potuit, ita, vt in Scriptoribus delineandis patriam, diem & annum natalem atque emortualem, munera, fata & res præclare gestas adnotet, librorum titulos adleget, addito vrbis & typographi nomine, variis itidem operum editionibus ac forma, variis itidem operum editionibus & Mstis. Multos præterea næuos aliorum Scriptorum, Ragusæ potissimum, Toppii & Coronelli emendat.

Ad §. XXI. p. 346.

Vitæ Belgarum.

Ad Scriptores Belgas facit etiam ADRIANI PARS *Index Batauicus of Naamrot van de Batavise en Hollandse Schrijvers*, *Leyde 1701. 4.* Scriptores vltra trecentos persequitur, qui a Iulii Cæsaris temporibus ad hæc vsque tempora de Batauorum historia scripserunt, horum scripta recenset & doctorum de iis iudicia adducit. Inter hos, triginta reperiuntur, quorum simul exhibuit effigies. Ordinem hunc seruauit, vt I Originum Batauicarum, II vrbium pagorumque, III Familiarum

rum illustrium, IV legum morumque, V rerum ecclesiasticarum, VI rerum bello terra marique gestarum, VII linguæ Batauicæ, VIII rei nummariæ, IX rei litterariæ Scriptores enarrentur. Vid. Acta Erud. mense Martio 1702. p. 131.

Ad §. XXII. p. 346.

Vitæ Anglorum.

IO. LELANDI Opus *de Scriptoribus Maioris Britanniæ* illustribus cum additamentis vberrimis e Codicibus Mstis & impressis vna cum Bostoni Buriensis Catalogo Scriptorum Ecclesiæ edere voluit Thomas Tannerus. Demum Antonius Hall A. M. & Collegii Regii Socius illud Opus ex autographo Lelandino edidit *Londini 1709. 8.* e Theatro Scheldoniano, cum ipse Tannerus in noua historia Scriptorum Britannicorum sit occupatus. IOANNIS PITSEI *Relationum Historicarum de rebus Anglicis Tomus Primus* prodiit *Parisiis 1619. 4.* Quatuor partibus constat. Prima prolegomena quædam continet de laudibus historiæ & antiquitate ecclesiæ Britannicæ, de academiis tam antiquis Britonum, quam recentioribus Anglorum. Secunda continet Catalogum Scriptorum cum Britannorum, tum maxime Anglorum, obseruato, quam accurate fieri potest,

potest, antiquitatis ordine per annos a Christi natiuitate. Tertia est quorundam Scriptorum Appendix, ordine alphabetico per centurias, adiecto indice quorundam operum ab Anglis scriptorum sed incognitis Auctorum nominibus. Quarta pars constat quindecim Indicibus alphabeticis, & est quasi quædam Epitome rerum memorabilium huius Tomi. Alter vero Tomus nunquam prodiit. Continere sine dubio debuit diuersos de Episcopis Catalogos. Quippe ipse citat p. 79. & 99. *Catalogos de Apostolicis Viris & de archiepiscopis Londinensibus; Catalogum de episcopis Asaphensibus*, p. 105. *Catalogum de Archiepiscopis Britannorum*, p. 108. *Catalogum de regibus Orientalium Anglorum* p. 110. *de archiepiscopis Cantuariensibus Catalogum*, p. 112. *de Lindisfarnensibus episcopis* p. 113. *de episcopis Lichefeldiensibus & Wigorniensibus* p. 115. *de episcopis Wintoniensibus* p. 116. *de Northumbriæ regibus*, p. 119. *de Schibrurnensibus episcopis* p. 717. *de Roffensibus Episcopis*. Sequius de hisce relationibus iudicauit Thomas Dempsterus hist. eccles. Scot. p. 43. dum illum vocat barbarum lingua, antiquitatis omnis rudem, nisi quam a Balæo apostata didicit.

AN-

ANTONIVS a WOOD edidit *Athenas Oxonienses*, siue *an exact history of all the Writers and Bishops* siue Historiam accuratam Scriptorum atque Episcoporum, qui prodierunt ex antiquissima & famigeratissima Oxoniensi Academia ab A. D. 1500. ad annum 1690. cuius *Volumen primum* ad annum 1640 vsque prodiit *Londini 1691. Volumen secundum Londini 1692. f.* In iisdem Athenis Oxoniensibus videre licet natiuitatem, fortunam, munia, gesta, obitum omnium auctorum ac Praelatorum, quotquot ex Oxoniensi academia prodierunt. Addit etiam auctor *des Berichts von neuen Büchern* p. VII. p. 681. quosdam libros Anglicanos, quos tamen videre non licuit, vtpote *Englands Worthies, the Lives of the most eminent Persons of the English Nation, from the Constantin the Great down tho these times, by Will. Winstaniey, London 1684. 8. History of the Worthies of England diuidet in two counties by Th. Fuller, London 1662. f.* CLAVDII BVRKSDALE *Memorial of Worthy Persons London 1661. 12. A Remenbrance of excellent Men. London 1670. 12.* De poëtis anglorum agunt *The Lives of de most famous English Poets by Will. Winstanley London 1687. 8.* Et *An Account of the English Dramatik Poets, by Gerard*

Langbaine, quod ſcriptum Carolus Gilden in meliorem ordinem redegit, reiectis ſuperfluis atque edidit ſub titulo: *The Liues and characters of the Engliſh Dramatik Poets. London 1699. 8. Heroologiæ Anglicæ* auctor eſt HENRICVS HOLLANDVS, Theologiæ Doctor Amſtelodamenſis.

Ad §. XXIII. p. 348.

Vitæ Suecorum & Orientalium.

Schefferi librum non ſolum, ſed etiam Bartholini continuare primum promiſerat Mollerus. Verum, cum de Suecis illud molitus fuerit Io. Groningus, de Danis Ianus Bircherodius, a propoſito deſtitit, vt docent Acta Eruditorum Maio 1699. p. 208. De Dania etiam Litterata Bircherodii teſtatur Seuerinus Lintrupius in auto-ſchediaſmate epiſtolico ad M. Chriſt. Frid. Læmmelium, quod ipſius hiſtoriæ Bugenhagianæ annexum. Alias *Holmiam Litteratam* Anonymus quidam edidit *Holmiæ 1701. 4.* quæ auctior atque emendatior prodiit *Holmiæ 1707. 4.* vna cum appendice de variis rerum Suecicarum Scriptoribus. Sic etiam de Suecorum eruditis agitur *in Beſchreibung des Königreichs Schweden, Regensburg 1707. 8. Dorpatum litteratum* edidit DANIEL

EBER-

EBERHARD *Dorpati*, *1698. 8. Naruam litteratam* SIMON DIETERICVS GEERKENS, *Naruæ 1703. 8. Pernauiam litteratam* GABRIEL SIöBERG, *Pernauiæ 1703. 4. Reualiam litteratam* IO. RVDOLPHVS BREHM, *Reualiæ 1699. 8. Rigam litteratam* ADRIANVS PREVSSMANNVS, *Rigæ 1698. 8.* & insequenti anno IONAS IOANNES PHRAGMENIVS eandem præside ZACHARIA GRAPIO in Rostochiensi academia proposuit. *Norwegiam Litteratam* a M. MICHAELE LEIGH aliquando esse expectandum, referunt noua Maris Balthici anni 1701. p. 341.

Gedanum Litteratum promisit IO. EPHRAIM GNOSPIVS: Prout de his agit Mich. Lilienthal in Consultatione de historia litteraria certæ gentis scribenda in præf. Sed isti plerumque breuem saltim eruditorum singulis in locis hodie viuentium recensionem nobis exhibent. Addimus Scriptores de vitis quorundam Orientalium. Huc facit LEO AFRICANVS *de viris quibusdam illustribus apud Arabes*, quem Tractatum ex Medicea Bibliotheca descripsit atque Bibliothecario suo quadripartito inseruit Hottingerus. Præ ceteris vero huc facit BARTHOLOMÆI HERBELOTII Bibliotheque Orientale, in qua etiam viros in Oriente eruditione

claros describit, de qua infra, vbi de Dictionariis pluribus.

Ad §. XXV. p. 350.

Bibliotheca Iesuitica.

Bibliothecam Iesuiticam continuaturum esse PHILIPPVM BONANNVM, docent nos Memoires de Treuoux Ian. & Feu. 1702. p. 100.

Ad §. XXVII. p. 353.

Bibliotheca Augustinianorum.

Ad Ordinem Eremitarum Augustinianorum faciunt etiam IO. PAMPHILI *Chronica Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini*, in quibus iuxta temporum seriem exponuntur breuiter, qui viri vel sanctitate, vel doctrina, vel rebus egregie gestis in ordine illustres fuerint, *Romæ 1581. 4.*

Ad §. XXVIII. p. 354.

Bibliotheca Carmelitarum & Ord. religiosorum aliorum.

IO. TRITHEMII Bibliothecam Carmelitanam nobis illustrauit PETRVS LVCIVS,

Flo-

Florentiæ 1593. 4. Marcus Antonius Alegre scripsit Paradisum Carmelitici decoris, in quo virorum illustrium elogia continentur, cum dicto Trithemii Opere, *Lugduni 1639. f.* ARNOLDVS BOSTIVS egit *de viris aliquot illustribus seu præcipuis ordinis Carthusianorum*, *Coloniæ 1609. 8.* Ad Ordinem Benedictinorum facit IO. TRITHEMII tractatus *de viris illustribus S. Benedicti*, *Coloniæ 1575. 8.* ARNOLDI WIONI *Lignum vitæ*, in quinque libros diuisum, in quibus inter cætera viri dignitate, doctrina, sanctitate ac principatu clari ex ordine Benedictino describuntur, *Venetiis 1595. 4.* & CAROLI STENGELII *Imagines Sanctorum Ordinis S. Benedicti* tabulis æneis expressæ cum elogiis eorum & vitis *Augustæ Vindelicorum 1625. 4.* MARCVS ANTONIVS SCIPIO *Elogia in L. Heroas Benedictinos* scripsit, *Placentiæ 1634. 4.* Sic etiam de Benedictinis multam præbet notitiam IO. MABILLONIVS in *Annalibus Benedictinis*. CHRYSOSTOMI HENRIQVEZ *Phœnix reuiuiscens Bruxellæ 1626. 4.* scriptores continet ordinis Cisterciensis Angliæ & Hispaniæ. Eiusdem est *Menologium Cisterciense*, *Antwerpiæ ex officina Plantiniana 1630. f.* *Fasciculus Sanctorum O. C. Bruxellæ 1624. f.*

Ad §. XXX. p. 358.

De Scriptoribus Ecclesiasticis.

IO. GOTTFRIEDI OLEARII *Abacus Patrum* nunc curante filio ipsius IO. GOTTLIEB

OLE-

OLEARIO auctior longe & curatior sub prelo est sub titulo *Bibliotheca Scriptorum Ecclesiastico-rum.* In eadem non solum ea proponentur, quæ apud Caueum, Du Pinium & similes Scriptores reperiuntur, sed etiam rariores de Scriptoribus ecclesiasticis obseruationes. Ad GVILIELMI CAVEI *Historiam Litterariam* obseruationes quædam Criticæ circa primas editiones patrum reperiuntur in Bibliotheque Critique Tomo I. Cap. XVII. LVDOVICVS ELLIES DV PIN *Bibliotheca* primo prodiit Parisiis in octauo, quod dicitur; dein & Parisiis in Quarto maiori fuit recusa. Secundæ igitur editionis *Tomus primus* prodiit *Parisiis 1690. 4.* continens auctores trium priorum Seculorum. *Tomus secundus à Paris 1690. 4.* continet Scriptores quarti Seculi. *Tomus tertius à Paris 1690. 4.* Scriptores quinti seculi. *Tomus quartus à Mons 1691. 4.* reliquos Scriptores quinti seculi complectitur. *Tomus quintus à Mons 1691. 4.* Scriptores sexti seculi. *Tomus sextus à Mons 1692. 4.* Scriptores septimi & octaui seculi. *Tomus septimus à Paris 1696. 4.* Scriptores noni seculi. *Tomus octauus à Paris 1697. 4.* Scriptores seculi decimi & undecimi. *Tomus nonus à Paris 1697. 4.* Scriptores seculi duodecimi. *Tomus decimus à Paris 1700. 4.* Scriptores seculi decimi tertii. *Tomus vndecimus à Paris 1700. 4.* Scriptores seculi decimi quarti. *Tomus duodecimus à Paris 1700. 4.* Scriptores seculi decimi quinti. *Tomus deci-*

mus

mus tertius à Paris 1703. 4. Scriptores ſeculi decimi ſexti. *Tomus decimus quartus à Paris 1703. 4.* reliquos Scriptores, qui vsque ad annum 1550. claruerunt, perſequitur. Tomus decimus quintus & ſextus, qui poſtea prodierunt, reliquos Scriptores ſeculi decimi ſexti recenſent. Imo ſcriptores ſeculi decimi ſeptimi, Pariſiis ſeptem voluminibus editos eſſe percepi.

Ad §. XXXI. p. 363.

Scriptores de vitis Theologorum.

THEOPHILI SPITZELII Vetus academia Ieſu Chriſti Vitas veteris eccleſiæ patrum continet, quæ ideo hic adducitur, quia hæc bina ſcripta ſe inuicem fuerunt ſubſecuta. *Vitæ Theologorum eruditione & ſcriptis inſignium* cum præfatione edidit IO. GEORG IOCH, *Francofurti 1707. 8.* His autem Vitæ Doctorum quorundam reformatæ religionis continetur, vtpote Antonii Walæi, Iacobi Vſſerii, Caroli de Maets, Ioannis Strangii & Guilielmi Mommæ. Addimus demum *REINHARDI HENRICI ROLLII Bibliothecam nobilium Theologorum ſelectam*, quæ cum præfatione Io. Fechtii prodiit *Roſtochii 1709. 8.* Hac autem nobiles recenſet, qui vel gradum quendam Theologicum, vel munus quodcunque ſacrum fuerunt conſecuti.

Ad §. XXXIII. p. 366.

Scriptores de Vitis Iure consultorum.

Ad Vitas Iureconſultorum celebriorum facit etiam DIONYSII SIMONIS *Nouvelle Bibliotheqve Hiſtoriqve & Chronologique des principaux auteurs & interpretes du droit Civil, Canoniqve & particulier de pluſieurs etats & provinces, à Paris 1672. 12.* Hac Iureconſultos ordine alphabetico perſequitur, ita vt antiquiſſimus, quem proponit, ſit Irnerius, a quo ad recentiora vsque tempora progreditur. Cum autem plures omiſiſſet, alterum tomum ſubiecit *Pariſiis 1695. 12.* Addi quoque meretur *Io. Vincentius Grauina de ortu & progreſſu Iuris Ciuilis, Neapoli 1701. & Lipſiæ 1704. 8.* & auctior *Lipſiæ 1708. 4.* Elegantiſſimus liber eſt, cuius priora originem iuris Romani tradunt. Ea vero, quæ a §. CXLIII. ſequuntur, vitam, doctrinam & Inſtituta Iureconſultorum ab Irnerio vsque ad Gregorium Tholoſanum perſequuntur.

Ad §. XXXIV. p. 368.

Scriptores de Vitis Medicorum.

OTTO BRVNFELSIVS *Catalogum* ſcripſit *illuſtrium Medicorum*, ſeu de primis Medicinæ

Scri-

Scriptoribus, ex Galeni, Plinii, Scriptorum de re ruſtica &c. libris collectum & impreſſum *Argentorati 1530. 4.* Ad vitas antiquiorum Medicorum, qui a prima mundi ætate ad Galeni vsque tempora ſcripſerunt, facit etiam egregie *DANIEL le CLERC* in iterata eademque auctiore editione *Hiſtoire de la Medicine, a Amſterdam 1702. 4.* Licet auctoris inſtitutum ad vniuerſam Medicæ artis hiſtoriam litterariam ſit directum, idemque multa cura atque eruditione elaboratum. Idem in præfatione adducit auctores illos, qui vitas Medicorum ſcripſerunt, in qua inter alia refert *Menagii hiſtoriam antiquorum Medicorum* manuſcriptam reperiri apud Abbatem Bignonium. Licet hanc perfectam eſſe admodum dubitem, cum Memoires de la vie de Mr. Menage, quæ tomo ſecundo Menagianorum præfixæ, dicant: *Il eſt vrai, qu' il les quitta pour travailler à la Vie des Iurisconſultes, & enſuite à celles des Médecins; mais il abandonnu ces deux Ouvrages pour ſatisfaire aux heritiers de M. le Cardinal Mazarin.* Dicit etiam, quod Martinus Vogelius promiſerit hiſtoriam Medicorum præteritam, in quam potiſſimum referre voluit ea, quæ ab aliis omiſſa, cuius etiam mentionem facit Morhofius Polyhiſtore lib. I. C. VII. n. 43. *BERNIER* quoque edidit *Eſſais de la Medicine*, in cuius prima parte Catalogum exhi-

hibet Medicorum, cum breui vitarum descriptione & scriptorum recensione. *IO. GEORGII SCHENCKII Epitaphia & epicedia illustrium Medicorum* prodierunt *Antwerpiæ ex Plantiniana* 1574. *f.*

Ad §. XXXVII. p. 373.

Scriptores de Vitis Historicorum.

Haut ita pridem cura IO. ALBERTI FABRICII prodierunt *supplementa & obseruationes ad Vossium de Historicis Græcis & Latinis*, siue Volumen quadripartitum, quo continentur *BERNARDI a MALLINCROT Paralipomenon, LVDOVICI NOGAROLÆ de viris illustribus genere Italis, qui Græce scripserunt, CHRISTOPHORI SANDII notæ in Vossium, & IO. HALLERVORDI specilegium Hamburgi* 1709. 8. Haut ita pridem prodiit *Bibliotheque vniuerselle des Historiens, contenant leurs Vies l' abregé, La Chronologie, la Geographie, & la Critique de leurs histoires, ou iugement sur leur style, & leur Caractere, & le denombrement des differentes édition de leurs Oeuvres avec de tables Chronologiques & Geographiques per L. Ellies Du Pin, à Amsterdam* 1708. 4.

Ipse

Ipſe titulus ſtatim de inſtituto docebit. Adgreditur autem du Pin omnes Hiſtoricos à prima illorum ætate, a Moſe quidem initium faciens, ita tamen, vt æque mentionem faciat Columnarum, annalium, inſcriptionum, & quorumuis aliorum monumentorum ante Moſis ætatem. Singulorum vitam, quantum fieri potuit, deſcribit, ætatem diſtinguit, ſcripta horumque editiones enumerat, & quod maximum eſt, eorum contenta prolixius ſtylo eleganti recenſet, atque hac ratione vsque ad tempora Alexandri M. Tomo hoc primo procedit, quorum plures adhuc addere conſtituit. Adiecit diuerſas Tabulas Chronologicas non ſolum generales, vt exinde hiſtoriarum parallelismus pateat, ſed etiam ſpeciales particularium gentium. Vtilis labor eſt, licet in adnotandis diuerſis hiſtoricorum editionibus non vbiuis ſatis ſit accuratus.

Ad §. XXXVIII. p. 375.

Scriptores de Vitis Philologorum.

IO. ALBERTI FABRICII *Bibliotheca latina* poſt apud Anglos fuit recuſa. Demum auctior longe & ordinatior prodiit *Hamburgi 1708. 8.* vt nouum plane Opus poſſit videri. Eiusd. *Fabricii Bibliotheca Græca liber Tertius* de Scriptoribus,

qui claruerunt a Platina vsque ad tempora nati Christi, prodiit *Hamburgi 1704. 4.* *Liber quartus* de Libris sacris Noui Fœderis, Philone item atque Iosepho, & aliis Scriptoribus claris à tempore Nati Christi ad Constantinum M. vsque, *Hamburgi 1708. 4.* Facit ad Philologorum vitas etiam GODOFREDI LVDOVICI *Historia Rectorum, Gymnasiorum, Scholarumque celebriorum,* cuius *pars prima* prodiit *Lipsiæ 1708. 8. pars secunda Lipsiæ 1709. 8.* In singulis decadem vitarum exhibet diuersorum Rectorum celebriorum, cui dein subiungit Historiam & Rectores diuersorum Gymnasiorum.

Ad §. XXXIX. p. 378.

Scriptores de Vitis Poëtarum.

LILII GREGORII GYRALDI *Historia poëtarum* cum Pauli Colomesii annotationibus prodiit inter alia eiusdem opera *Lugduni Batauorum 1696 f.* Alias de Poëtis extat HORATII DOMINICI CARAMELLÆ *Musæum illustrium poëtarum,* qui ad hæc vsque tempora, sesqui scilicet seculum super mille & quingentos annos latino carmine scripserunt, cum notis Michaelis Toscareni, *Venetiis 1651. 12.* Huc etiam facit POMPONIVS GAVRICVS in *epilogo artis poëticæ,* qui Commentario super arte poëtica

ac-

accessit. TANAQVILLI FABRI *vitæ poëtarum Græcorum* gallico sermone prodierunt cum Hadriani Relandi adnotationibus, *Amstelodami 1700. 12.* & in latinum translatæ in Thesauro Gronouiano Tomo X. p. 740. CHRISTIANVM vero DAVMIVM completissimum opus *de vitis poëtarum* scripsisse, quod ἀνέκδοτον adhuc latet dicit Feustelius de vitis Germ. p. 1. IO. NOSTRADAMVS etiam *de vitis poëtarum prouincialium s. Galliæ Narbonensis* scripsit *Lugduni 1575. 8.* Faciunt huc dissertationes SEBASTIANI KORTHOLTI *de CLV. Poëtis Episcopis, Kiloni 1699. 4. de poëtriis in tenerrima ætate eruditis, Kiloni 1700. 4.* Plures adhuc indicat Auctor *des Berichts von neuen Büchern* p. VII. p. 680. vtpote *Istoria di Poeti Greci da* LORENZO CRASSO *in Neapoli 1678. f.* qua antiquos æque atque recentiores poëtas Græcos ordine alphabetico recenset. EDVARDI PHILIPS *Theatrum Poëtarum Londini 1675. 12.* prodiit sermone Anglicano. BASILII KENNET *Vitæ Poëtarum Græcorum* cum imaginibus latine ac Belgice. *De re Poëtica or Remarks vpon Poetry With characters and Censures of the most considerable Poets, by Sir. Thomas Pope Blount, London 1694. 4.*

Ad §. XL. p. 379.

Scriptores, qui ad Vitas Pictorum & architectorum faciunt.

Præter ſcriptores iam recenſitos ſuperſunt adhuc alii, qui ad hiſtoriam & vitas pictorum faciunt. FRANCISCVS IVNIVS Tractatui ſuo *de Pictura Veterum* addidit Catalogum architectorum, Mechanicorum, & præcipue Pictorum, Statuariorum, Cælatorum, Tornatorum, aliorumque artificum & operum, quæ fecerunt, eundemque ſecundum ſeriem litterarum digeſtum, qui ſecundæ ipſius editioni Græuianæ acceſſit *Roterodami 1694. f.* Incipit in eadem ab Aarone, deſinit in Zoſimo. Pileſii noua editio, eademque auctior atque correctior prodiit 1705. 12. inde in Germaniam linguam translata prodiit *Hamburgi 1710. 12.* Auctor *des Berichts von neuen Büchern* p. VII. p. 678. ex Galeria di Minerua Tomo II. p. 64. refert, SILVANVM RAZZI Florentinum, monachum Camaldulenſem Vitas Pictorum, Sculptorum & architectorum ſub Vaſari nomine edidiſſe. Eidem Auctori plures, potiſſimum Italos, debemus, qui de pictoribus egerint, vtpote *Giov. Pietro Bellori le Vite dé Pittori, Scultori ed Architetti moderni. Parte I. in Roma 1642. 4.* CASP. CELII *Memoria fatta*

delli

delli nomi degli Artefici delle Pitture in Roma. In Napoli 1638. 12. Felsina pittrice, Vite de Pittori Bolognesi dal CARLO CESARE MALVASIA. *In Bologna 1678. 4.* Contra quem prodierunt *Osservazioni sopra il libro della Felsina Pittrice, da* D. VINCENZO VITTORIO, *in Roma 1703. 8.* LODOVICO VEDRIANI *Raccolta de Pittori, Scultori ed Architetti Modonesi piu celebri in Modena 1662. 4.* RAFFAEL SOPRANI *le Vite de Pittori, Scultori ed Architetti Genouesi e de forestieri, che in Genova operarono in Genova 1674. 4.* Sic etiam CAROLVS van MANDER libro suo, quem inscripsit *Skilderboeck*, quod *Alcmari 1603. 4.* prodiit, adiecit Vitas antiquiorum æque & recentiorum pictorum Belgii atque Italiæ.

Ad Caput Octauum.

Ad §. II. p. 386.

De Iacobo Gaddio.

De Iacobo Gaddio dicit Baillet des Iugemens de Sçavans Tom. LI. p. I. p. 24. *Le Gaddi a fait encore divers Ouvrages contenant les éloges de toutes sortes d' Hommes Illustres, qui se sont fait connoître par leurs écrits, mais ils n' ont point eu grande vogre dans le monde & ils ont assez de peine à passer les Alpes.*

Ad §. II. p. 386.

De Bailleti Iugemens des Scavans.

Operæ pretium erit, vt de ADRIANI BAILLETI instituto plenius, ac olim factum, hic dicamus. Scilicet, institutum ipsi primum, vt Catalogum saltim instructissimæ Bibliothecæ Lamonianæ, cui præfectus, ederet, adiectis notis quibusdam criticis atque litterariis. Verum, dum multa in dies obseruaret, mutauit Consilium, atque Opus quoddam Litterarium vniuersale suscepit, quod, vti in præfatione Iudiciorum suorum de eruditis, sex partibus constare deberet. Prima quidem præter discursum de iudiciis librorum in genere, & diuersis in legendo præiudiciis, destinata iudiciis de Typographis præcipuis, Criticis, Grammaticis, Translatoribus. Alteram partem destinauit iudiciis de poëtis, fabulis Romanensibus, Oratoribus & epistolographis. Tertia pars iudiciis de Geographis, Chronologis, Historicis, Antiquariis & Scriptoribus Heraldicis fuit destinata. Quarta pars Philosophis, Mathematicis, Scriptoribus rerum naturalium & Medicis. Quinta pars Iureconsultis, Scriptoribus iuris Canonici, Politicis, Moralistis. Sexta pars Theologis, interpretibus Bibliorum, Pa-

Patribus & Scriptoribus Ecclesiasticis vsque ad Seculum XII, Scholasticis, Asceticis, Liturgicis, Heterodoxis. De singulis non sua, sed aliorum promittit iudicia, vt quilibet eligat, quid sibi videatur optimum, & ne ad defendendum eadem sit obligatus. In his autem se euitare dicit sola elogia, immo se non dicere de singulis auctorum scriptis, sed de iis saltim, quæ ad propositam faciant materiam, cum alias Opus nimium excreuisset. Tandem omnes inuitat atque singulos, vt quæ habeant vel emendanda vel supplenda, libere communicent. Ad hanc normam igitur prodierunt *Iugemens des Sçavans sur les Principaux Ouvrages des Auteurs, à Paris 1686. 12.* forma maiori, tribus Tomis, ita tamen, vt secundus in duas partes distinguatur. Primo libro agit de necessitate atque vtilitate libros diiudicandi, recenset etiam vitia eruditorum, quæ circa iudicia oriri soleant, horumque præiudicia, quæ vel in genere, vel pro qualitate, statu & obligatione auctorum, circa honorum titulos, pro nationum diuersitate, autorum temperamento, ætate & similibus oriri soleant. Agit deinde de libris posthumis, librorum vel nimia præcipitatione, vel immenso in eosdem impenso labore annisque permultis, magnitudine & multitudine, epitomis, summariis & eiusmodi collectionibus, Scriptoribus anonymis & nominum mutatione, de librorum titulis, pretio

& raritate, de editionibus & fatis. Singula hæc exemplis illuſtrat vberius, vt multa exinde petatur rei litterariæ notitia. Fateor, dum primam huius introductionis editionem adornarem, mihi Bailleti labores viſos nondum fuiſſe, patebit tamen, me in plerisque librorum criteriis cum eodem conuenire, niſi quod prolixius ſingula & maiori cum exemplorum adparatu pro inſtituto ſuo deducat Bailletus. Subſecutus eſt *Tomus ſecundus* eiusdemque prima pars, *à Paris 1680. 12.* Comprehenduntur eodem Scriptores, qui de libris iudicia ſcripſerunt, Bibliothecarii, Biographi & ſimiles, quos æque in diuerſas claſſes diſtinguit, & de ſingulis tum ex ſuo, tum aliorum ingenio iudicat. Adiecit huic primæ parti Præfationem in priorem Bibliothecæ Lamonianæ indicem & Iudicia de præcipuis typographis. Tomi ſecundi pars ſecunda Philologos, Scholiaſtes, Criticos & eiusmodi generis Scriptores diſcernit. Quem ſequitur *Tomus tertius*, qui Grammaticos technicos, ſiue illos, qui de arte Grammatica, de ratione & methodo linguarum egerunt, complectitur. *Quartus Tomus Pariſiis* prodiit *1686. 12.* & in quinque partes diuiſus iudicia de poëtis comprehendit. Primæ parti præmiſit prolixam præfationem, in cuius prima parte aduerſariis, quos ſibi occaſione iudiciorum ſuorum attraxerat, reſpondet, præcipue Ieſuitis & Menagio. Altera pars præfationis introducit

cit quasi in notitiam poëtarum, præcipue recentiorum, vbi etiam de arte, spiritu & vitiis poëticis potissimum agit, atque poëseos vtilitatem contra obtrectatores defendit. Post præfationem sequuntur Correctiones in hæc quatuor prima volumina. Inde primum recensentur Scriptores, qui de arte poëtica egerunt, hinc Poëtæ Græci, parte secunda poëtæ latini, antiqui, reliquis partibus poëtæ recentiores diuersarum nationum. Hæc igitur Iudicia de Eruditis nouem absoluuntur Tomis, quibus accedit Tractatus de scriptis in Anti, duobus voluminibus constans, de eruditis præcocibus & de Scriptoribus pseudonymis, quæ coniunctim tredecim Tomos constituunt. Auctor reflexionum in hæc iudicia ex Menagii amicis esse videtur. Hic rigidum admodum agit censorem, multa in stylo Bailleti reprehendit, aliaque, quæ non adeo accurate dicta fuisse ipsi videntur, sed parum illustrat. Tertium, quod contra Bailletum prodiit, scriptum ipse indicat Ancillonus in vita Bailleti, his verbis: *On a publié des Vers contre lui sur lesquels il donne ses reflexions; mais on a publié entr' autres pieces iniurieuses, vn prétendu Songe sous le titre* d'Asinus in Parnasso ad Clar. V. Ægidium Menagium, *dans lequel on transforme tous les Poëtes en insectes volants qui vont fondre sur vn asne,*

qui

qui est l'emblême sous le quel On represente Baillet, & qui est l'animal que Morphée a fait entrer dans son imagination. On avoit crû d'abord, que cette Satyre regardoit Despreaux, mais on a su depuis, qu'elle regardoit Baillet, & que le Iesuite Commire, grand Poëte Latin, en étoit l'Auteur.

Ad §. III. p. 388.

Iudicia de Scriptis Theologorum.

Prodiit demum IO. FRIDER. MAYERI *Bibliotheca Biblica, siue Dissertationum de notitia auctorum, pontificiorum, Reformatorum & Lutheranorum, immo & Iudaeorum, qui in sacram Scripturam Commentarios scripserunt, in academia Gryphiswaldensi in lucem emissarum decas,* editio altera, *Francofurti & Lipsiae 1709. 4.* In singulis dissertationibus quosdam Scriptores absoluit, ita, vt prima dissertatione agat de Scriptoribus, qui Catalogos Commentatorum in S. Scripturam jam olim euulgarunt, quos secundum tres receptas religiones distinguit. Reliquis autem dissertationibus ipsos speciatim recenset, diuersas editiones adnotat, atque ex suo & aliorum potissimum ingenio de singulis Scriptoribus iudicat.

Ad

Ad §. VI. p. 392.

Iudicia de Historicis.

Prodiit IO. CHRISTIANI NEVI *Mantissa ad Degorei Wheari relectiones hyemales, Tubingæ 1706. 8.* Eadem rerum Germanicarum Scriptores præcipuos secundum seculorum seriem ac Imperatorum Romano-Germanicorum ætatem recensuit, labore minime contemnendo. Alii Scriptores Historicos certæ saltim gentis vel recensent vel diiudicant. Huc facit potissimum IO. ALBERTI FABRICII *Isagoge in notitiam Scriptorum Historiæ Gallicæ, Hamburgi 1708. 8.* qua continentur ANDREÆ du CHESNE *Bibliotheca Chronologica Scriptorum ab Originibus Regni Francici ad sua vsque tempora, Christiani Gryphii diatribe de Scriptoribus rerum Galliæ & Lotharingiæ seculi præsertim XVII. & Hermanni Dieterici Meibomii de Gallicæ Historiæ Periodis & Scriptoribus dissertatio.* Prior tractatus non nisi titulos librorum recenset, bini posteriores etiam de scriptoribus horumque diuersis editionibus iudicant. Eadem vero ratione HERMANNVS DIETERICVS MEIBOMIVS programma scripsit *de Historiæ Anglicæ periodis & præcipuis scriptoribus, Helmstadti 1704. 4.* Plenius vero est institutum GVILIELMI NICOLSONI, cuius prodiit

diit *The Englisch Historical Library siue Bibliotheca Anglicana, Londini 1696. 8.* Optimum opus est, ex quo plenior de Scriptoribus historiæ Anglicanæ notitia hauritur. Recenset autem Scriptores tam Chronographicos, quam historicos: in plerorumque ætatem inquirit, quibus subsidiis ad conficienda opera sua fuerint instructi, demonstrat, editiones, atque in quibus bibliothecis Msta delitescant, indicat, & de singulis breuiter quidem, sed exacte iudicat. Subsecuta est Eiusdem Bibliothecæ *pars secunda, Londini 1697. 8.* qua potissimum Scriptores Historiæ Ecclesiasticæ Anglicanæ examinat, cum animaduersionibus Criticis in potiores & præfatione, in qua primæ partis errata corriguntur, atque defectus supplentur. Subsecuta *pars tertia Londini 1699. 8.* sistens recensum Tabularum publicarum, Librorum Iuris municipalis, ac Nummorum, ab inuasione Normannorum vsque ad decessum Elisabethæ reginæ celebrium. Demum subiecit idem auctor *The Scottish Historical Library siue Bibliothecam Historicam Scoticam*, qua exhibet breuem conspectum auctorum plerorumque, qui scribendæ Generali Scotiæ historiæ ad vnionem vsque Angliæ atque Scotiæ possint inseruire. De singulis agitur Actis Eruditorum 1697. p. 27. 1700. p. 245. 1705. p. 157. Supplem. Tom. III. p. 257. Nuper demum prodiit CHRISTIANI GRYPHII *Apparatus siue dissertatio isagogica*

gica de Scriptoribus Historiam Seculi XVII. illustrantibus Lipsiæ 1710. 8. Scriptum est elegantissimum, multo cum iudicio & industria elaboratum.

§. VII. p. 394.

Iudicia de Scriptis Moralibus.

Ad iudicia de scriptis moralibus referenda quoque SEBASTIANI KORTHOLTI *dissertatio de Scriptoribus, quorum virtus singularibus in morum doctrinam meritis illustratur, Kiloni 1706. 4. GEORGIVS PASCHIVS* Tractatui suo *de Variis modis Moralia tradendi* adnexuit *Introductionem in rem litterariam Moralem Veterum Sapientiæ Antistitum, Kiloni 1707. 4.* Licet autem hoc Scriptum ad Historiam Philosophicam potissimum faciat, Scripta tamen Veterum Philosophorum de Morali doctrina æque recenset eademque diiudicat.

Ad §. VIII. p. 395.

Iudicia de Scriptis Politicis.

Prodiit posthæc CAROLI ARNDII *Bibliotheca aulico-politica atque selecta Rostochii 1706. 8.* Hac Scriptores recenset de Ministris aulicis & vita

vita aulica, eodem cum priori instituto. Præmisit discursum præliminarem de formando rite recteque studiorum Politicorum Cursu eiusque adminiculi necessarii debito & iusto selectu.

Ad §. IX. p. 396.

Iudicia de Scriptis Logicis.

IACOBVS FRIDERICVS REIMMANNVS scripsit *Critisirenden Geschichts Calender von der Logica, Franckfurt 1699. 8.* in quo libro incrementa & decrementa Logices à mundi exordio ad annum vsque 1600. demonstrare voluit.

Ad §. X. p. 396.

Iudicia de Scriptis Philologorum.

Iudicia de diuersis Scriptoribus ad poësin potissimum & Oratoriam spectantibus faciunt etiam DIONYSII HALICARNASSENSIS τῶν παλαιῶν χαρακτῆρες, quibus veluti notis veterum Scriptorum quisque dignosci possit; quidque in singulis imitandum sit aut fugiendum, quo scripto diuersa iudicia de antiquorum poëtis continentur. Alterum scriptum est, περὶ τῶν Αττικῶν ῥητόρων ὑπομνηματισμοὶ πρὸς Αμμαῖον siue *Commentarii ad Ammæum de Atticis*

Scri-

Scriptoribus, qua de Rhetoribus Atticis, Lysia, Isocrate, Isæo, Demosthene & similibus agit. Alia est *Epistola ad Ammæum*, qua refutat eos, qui adseuerabant, Demosthenem etiam Rhethoricam ex Aristotele didicisse, orationibusque suis ad præceptiones illius conformatis, omnium Oratorum præstantissimum euasisse. Alia est *epistola ad Pompeium de Platone*; qua exponit, quid in eius philosophi dictione, & quamobrem improbarit. Eius *Appendix* est *de Historicis*, qui præ cæteris imitatione digni sint, videlicet Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Philisto, Theopompo. In secutum est aliud scriptum de *Thucydidis charactere ac reliquis eius proprietatibus ad Q. Aelium Tuberonem & de Thucydidis proprietatibus* tractatus compendiosior ad Annæum. Singula hæc scripta Dionysio tribuit Henricus Stephani, atque inter Eiusdem opera continentur ex editione FRIDERICI SYLBVRGII *Francofurti 1586.* edita, licet Quintiliano vel posteriori cuidam Scriptori alii tribuant.

THOMÆ CRENII *animaduersionum Philologicarum & Historicarum Tomus primus* prodiit *Roterodami 1695. 8. Tomus secundus, Lugduni 1696. 8. Tomus tertius, Lugduni 1698. 8. Tomus quartus & quintus, Lugduni 1699. 8. Tomus sextus & septimus, Lugduni 1600. 8. Tomus octauus, nonus &* deci-

decimus Amstelodami 1701. 8. Tomus vndecimus Amstelodami 1702. 8. Tomus duodemus Lugduni 1704. 8. Tomus decimus tertius & quartus Lugd. 1705. 8. Tomus decimus quintus Lugduni 1706. 8. Tomus decimus sextus, Lugduni 1708. 8. Iniquius de hisce animaduersionibus iudicat personatus Seuerinus a Clamoribus, qui de iisdem in epistola Amstelodami 1706. exscripta ita iudicat: *Ecquod doctrinae suae edidit (Crenius) Specimen? certe si quid sibi laudis noua schedularum quarundam editione peperit (quod certe exiguum est,) id omne futilibus notis ab eo adsutis obfuscatur. De animaduersionibus dices? sed proh! quam illae aridae, quam ieiunae, quam tetrico stylo scriptae. Si suum cuique reddas auctori, praeter connectendi particulas nihil in iis Crenianum, & nisi hinc inde docti cuiusdam viri inserta esset epistola, forent profecto alio loco, quam librariorum vel eruditorum scriniis, digniores.* Quem locum Groschuffio in praefatione collectioni librorum rariorum p. 11 praefixa, debeo. ERDMANNVS NEVMEISTER *specimen dissertationis Historico-Criticae de poëtis Germanicis* scripsit *huius seculi praecipuis, 1706. 4.* Poëtas Germanos ordine alphabetico persequitur & de singulorum poesi iudicat, graui quidem quibusdam censura, ast acuta, Ad

Ad §. XI. p. 399.

Scripta in Ana.

Circa *Perroniana*, Bailleti errorem notauit Menagius Anti Baillet Tomo I. p. 288. dum ait: *Monsieur Baillet dit, que Mrs. du Puy ont fait imprimer le Perroniana; qu' il appelle les Perroniennes. Cela n' est pas véritable, ça éte Mr Daillé, le fils, qui l' a fait imprimer: & il le fit en 1669. qu' il le fit imprimer: & il le fit imprimer a Rouan. Pierre du Puy, qui étoit l' aisné des deux freres, mourut en 1651. le 17. Decembre & Iâque Du Puy, Prieur de St Sauveur le Cadet, mourut en 1656. le 17. Novembre. Ce qui a troublé Mr Baillet. C' est, que ces mots du Cardinal du Perron, intitulez Perroniana, ont été recueillis par Christophle du Puy, Procureur de la Chartreuse de Rome: le frere de ces Messieurs du Puy: le quel étoit en ce temps-la Aumosnier du Roi, & adomestiqué chez le Cardinal du Perron. Mr Baillet est peu versé dans l' Histoire des gens des Lettres.*

De *Evremontianis* singulare est, quod refert Iacobus Bernhard Nouvelles de la Republique des lettres Febr. 1706. p. 208. *On nous apprend,*

que l' Auteur de la dissertation sur les Oeuvres Mélées de Mr. de Saint-Evremond, est un certain Cotolendi, Auteur de l' Arlequiniana, le plus fade, & le plus impertinent de tous les Livres, qui ayent paru depuis plus d' un siecle. Ce fut le même, qui publia le Saint-Evremontiana, Livre un peu moins méchant que le précédent. Seldeniana hoc titulo prodierunt: *Table Talk being the discourses of Iohn Selden Londini 1696. 8.* licet parum ad rem litterariam conferre dicantur. VALENTINUS ERNESTUS LÖSCHERUS dudum promisit *Melanchthoniana & Daumiana.* In præfatione Menagianis præfixa dicitur: *on peut remarquer dans le corps de cet ouvrage, qu' il y est parlé d' un Bignoniana, & de plus d' un Pithoeana qui est ce qu' on a recueilli des paroles de François Pithou. Le Savant M. de Launay a une copie de ce dernier. M. Patin avoit Grotiana, on parle aussi de Naudæana, Borboniana, Saloniana & Bourdelotiana. Ces recueils ne peuvent qu' étre excellens, & il seroit a souhaiter qu' ils ne demurassent pas plus long-temps dans l' obscurité.*

Ad

Ad §. XV. p. 406.

Scriptores, qui iudicia librorum proponunt.

Sub MARVILLII nomine latere Abbatem de GARENCE testatur Eccardus Excerptis menstruis mense Maio 1701. p. 38. Confirmat illud ex monito, quod secundo Tomo præfixum, pagina tamen, quæ illud continet, postmodum fuit transscissa, quare in plerisque editionibus haut reperitur. Tertium tamen volumen ab alia manu esse, testantur Memoires des Trevoux sub finem mensis Iunii 1701. PAVLI COLOMESII *opuscula* inter alia ipsius opera, curante *Io. Alberto Fabricio* fuerunt recusa *Hamburgi 1709. 4.* Inter eadem reperiuntur *Colomesiana, ou Melanges Historiques de Mr. Colomies, avec quelques additions de l' Auteur, & des remarques nouvellement aioutées par un anonyme.* Hæc primum prodierunt *à Orange* 1675. 12. postea recusa & cum aliis edita in Tractatu sub titulo: *Mélange Curieux des Meilleures Piéces attribuées à Mr. de Saint Evremond, & de plusieurs autres Ouvrages rares où nouveaux à Amsterdam 1706. 12* postea recusa inter Colomesii Opera. Huc facit etiam *Abregé de l' Histoire des*

Sçavans anciens & modernes, à Paris 1708. 12. Auctor in præfatione statim monet, se non nisi singularia quædam de vitis eruditorum esse proditurum, verum pleraque, quæ profert, sunt proletaria. Nec male huc refertur *Bibliotheque Critique ou Recueil de diuerses pieces critiques, dont la plûpart ne sont point imprimées, ou ne se trouvent que tres difficilement, par Mr. de Sainiore, qui y a aiouté quelques autres, à Paris 1708. 12.* Variæ in eadem continentur obseruationes ex diuersis Mstis collectæ & à variis compositæ, quæ partim concernunt historiam ecclesiasticam, partim etiam rem litterariam, quibus multa continentur singularia. Collector habetur RICHARDVS SIMON. Addimus THOMÆ CRENII *dissertationes de Libris Scriptorum optimis & vtilissimis*, quarum Exercitatio prior prodiit *Lugduni 1704. 8. secunda & tertia Lugduni Batauorum 1705. 8.*

Ad §. XVI. p. 410.

Scriptores de Fatis eruditorum.

Pierii libellum vna cum aliis denuo edidit IO. BVRCARDVS MENCKENIVS *analectis de Calamitate Litteratorum, Lipsiæ 1707. 12.* quibus continetur PETRI ALCYONII Medi-

ces

ces Legatus, siue de exilio libri duo. IO. PIERIVS VALERIANVS & CORNELIVS TOLLIVS *de infelicitate litteratorum* vt & IOSEPHVS BARBERIVS *de miseria poëtarum Græcorum*. Inter VINCENTII PLACCII anecdota reperiuntur eiusdem *additiones ad Pierium Valerianum*. Sic etiam CHRISTIANVS GRYPHIVS promisit *Schediasma epistolicum*, quo eruditi mente capti, Melancholici & αὐτόχειρες repræsentantur Ἀποσπασμάτιον Syntagmatis maioris de infelicibus litteratis. Vid. Noua Litteraria 1703. p. 87. Alia exempla singularia de eruditis ab aliis fuerunt collecta. Sic non inelegans est dissertatio GOTTFRIEDI BÖTTNERI *de eruditis studiorum intemperie mortem sibi accelerantibus*, *Lipsiæ* 1705. 4. Eiusdem sunt binæ dissertationes *de malis eruditorum Vxoribus*, *Lipsiæ* 1706. 4. *De Philoponia eruditorum* prodierunt binæ dissertationes DANIELIS FRIDERICI IANI *Lipsiæ* 1705. 4. Eruditos sine moribus singulari dissertatione repræsentauit FRIDERICVS ERNESTVS SCHVLZE *Lipsiæ* 1705. 4. GEORGIVS HENRICVS GÖTZIVS diatriben edidit *de Mercatoribus eruditis Lubecæ* 1706. 4. Accesserunt postea additamenta ad eandem diatriben eodem anno. GEORGII FRIDERICI NEVMANNI extat epistola gratulatoria *de eruditis, qui patriam suam nonnunquam obscuram nobilitarunt*, *Lipsiæ* 1707. 4. MICHAEL RICHEY, clarissimus Rector Stadensis, *Poly-*

mnemones siue Memoriæ diuinioris exempla ordine alphabetico binis programmatibus colligere cœpit *Stadæ 1706. 4.* Verum plenior longe est dissertatio IOHANNIS IACOBI AVRACHERI mei, quam in academia Altdorfina præside IO. GVILIELMO BAYERO *de Memoria* habuit *1708. 8.* qua non solum generalia de Memoria, sed etiam exempla longe plura eruditorum insigni memoria clarorum fuit prosecutus. Imo moriens in hac academia prolixum reliquit spicilegium, quod post fata ipsius prærnatura possideo, aliquando in publicum euulgandum, vt ipsius doctissimi iuuenis memoria recolatur. *De Theologis in vtero DEO consecratis* singulari dissertatione egit SAMVEL THEODORVS SCHMIDT, *Lipsiæ 1707. 4.* De *autodidactis* prodiit Oratio IO. BAPT. ROESCHELII *Witteberga 1708. 4.* Quem in hac academia secutus est *M. Elias Silberrad*, dissertatione de eadem re, *Ienæ 1709. 4.* habita.

Doctissima est dissertatio IO. BVRCARDI MENCKENII *de Viris militia æque ac scriptis illustribus*, *Lipsiæ 1708. 4.* CHRISTIANVS FEVSTELIVS in schediasmate suo de *eruditorum Germanorum vitiis*, *Lipsiæ 1707. 8.* per transennam varia enarrat exempla eruditorum, qui ex officina manuaria prodierunt, vel ex mercatoriis aut artificis domo orti, vel alias obscuro loco nati, & similia. *De Doctorum Vita priuata*, quam honoribus quidam & officiis publicis

præ-

prætulerunt, Tractatus Historico-Moralis est CASPARIS HENRICI STARCKII, *Lubecæ* 1708. 4. IO. CHRISTOPHORI WOLFII oratio in auguralis *de præcocibus eruditis* prodiit *Hamburgi* 1708. 4. GODOFREDVS LVDOVICI *dissertationem* edidit *Historico-moralem*, *qua filios, generos & discipulos, in patrum suorum, socerorum & præceptorum munera successerunt, recenset Schleusingæ* 1709. 4.

Ad §. XVIII. p. 413.

Scriptores de Pseudonymis & Anonymis.

Prodiit tandem *Opus Placcianum* auspiciis *Matthiæ Dreyeri* sub titulo: *Theatrum Anonymorum & Pseudonymorum*, *Hamburgi* 1708. *f.* Præmissa est Præfatio & Vita Auctoris, scriptore *Io. Alberto Fabricio*, manus etiam adhibente *M. Ludouico Friderico Vischero*, Calua-Würtenbergico, qui in eruendo potissimum hoc Opere ex schedis Mstis fuit occupatus. Opus autem hoc prout in scriniis celeberrimi Viri, Gerhardi von Mastricht diutius delituerat, non auctius solum prodiit, additis plurimis vel anonymis vel pseudonymis, sed etiam de singulis prolixius adhuc edisseritur. Accessit IO. DECKHERRI Tractatus *de scriptis adespotis*,

Pseudepigraphis & supposititiis cum variorum additionibus, FRIDERICI GEISLERI *dissertatio ad L. V. C. de nominum mutatione & anonymis Scriptoribus Lipsiæ* olim *1671.* euulgata & IO. FRIDERICI MAYERI *epistolica dissertatio ad Vincentium Placcium*, qua Anonymorum & Pseudonymorum farrago obiter indicatur. Accessit index auctorum anonymorum & pseudonymorum locupletissimus. Idem Placcius in inuitatione sua amica refert, Hadrianum Bailletum ab aliquot retro annis parasse Opus latine edendum sub titulo: *Elenchi Apocalyptici Scriptorum Pseudonymorum*, quem in tres partes distribuere voluit, quarum prima comprehenderet pseudonymos, altera plagiarios, tertia impostores, qui alienum suis operibus nomen imposuerunt. Ipse tamen postmodum hoc consilium abiecit, de quo in præfatione libro *des autheurs degvisez* præmissa ita loquitur: *Monsieur Placcius au merite du quel ie feray iustice en toute rencontre, ayant iugé à propos de rendre publique vne conversation secrete que i' avois eüe avec Monsieur Lipstorpius, qui m' avoit engagé de sa part à luy faire voir ce que i' avois sur les auteurs deguisez, a expose au iour le titre d' Elenchus Apocalypticus scriptorum Cryptonymorum, que i' avois mis à la teste d' vn Ouvrage composé en latin depuis environ douze*

ans

ans. Quoyque ce titre fut plus tolerable en latin, qu' il ne seroit en François, i' aurois maintenant quelque confusion de le reconnoitre, quand même il seroit question de publier cet ouvrage, que ie prétens anéantir tant pour ses imperfections, que parce que ie l' ay ecrit en vne langue qui semble devenir de plus en plus étrangere en France. Agit quoque prolixius de Bailleti instituto Ancillon Memoires p. 281. vbi dicit, hunc, quem edidit, librum fuisse saltim præfationem maioris Operis, quod meditatus fuerit, cuius tamen editionem postea intermiserit. Sub laruato nomine IO. PETRI IACOBI VILLANII latere ANGELICVM APROSIVM, Diarium Parmense testatur, & post illud IO. CINELLVS Bibliothecæ volantis pluteo XVI. Præter citatos prodiit etiam IO. VLRICI MEVRERI *Centuria anonymorum antiquorum & recentium 1697. 12.* Haut ita pridem prodiit PETRI DAHLMANNS *Schauplatz der masquirten vnd demasquirten Gelehrten, bey ihren verdeckten Schrifften, aus gewissen Anzeigungen, glaubwürdigen Nachrichten vnd wahrscheinlichen Coniecturen bewährter Männer nach ihren vornehmsten Denckwürdigkeiten, sambt Beyfügung neuer Raisonnemens vnd auctoritäten, Leipzig 1710. 8.* Prima pars

continet auctores pseudonymos, supposititios, pseudepigraphos & plagiarios ordine alphabetico. Altera pars comprehendit Anonymos secundum disciplinas & idiomata diuersa distinctos. Epitomen potissimum dixeris magni Operis Placciani, nisi quod scripta quædam, potissimum politica eademque recentiora adiecta, horumque auctores detecti. PAVLVS COLOMESIVS in Gallia sua Orientali p. 27, promittit *Decouverte d'Autheurs cachez*, quod scriptum pene ad exitum dicit esse perductum. Sic etiam p. 194. vbi de Plutarchi libello de fluuiis agit, addit: *Plura dicemus in Critico gentili siue de Dubiis Scriptoribus Ethnicis Commentario. Frustra enim hactenus expectauimus Barthianum de eodem argumento Opus.* Sic etiam PROSPER MANDOSIVS in Galleria di Minerua Tomo II. p. 21. Personatos depersonatos scriptores, magnum Opus, quo Anonymos, Pseudonymos & Plagiarios recenseret, promisit. Facit huc etiam Paulus Colomesius in Melange curieux p. 816. & Thomas Crenius Animadvers. p. V. c. III. §. 5.

Ad §. XIX. p. 415.

Scriptores Homonymi.

LEONIS ALLATII Tractatus *de Psellis* prodiit *Romæ* 1634. 8. Eiusdem dissertatio

de

de Georgiis & eorum Scriptis prodiit Parisiis cum Georgii Acropolitæ historia e typographia Regia *1651. f.* Eiusdem *diatriba de Simeonum Scriptis* cum Simeonis Metaphrastæ opusculis, curante Francisco Combefisio prodiit *Parisiis 1664. 4.* Eadem autem non solum Simeones, sed etiam Simones, Simonides & Simonactides persequitur. *De Philonibus* diatribam se paratam habere ipse testatur Apibus Vrbanis p. 178. Id quod etiam de Nicetis testatur Labbeus Bibl. Bibl. p. m. 143. ed. Rothomagensis. IO. MEVRSII Tractatus *de Dionysiis & Heraclidibus* reperitur in Tomo decimo Thesauri antiquitatum Græcarum Gronouiani. Plures sunt, qui de Scriptoribus Homonymis egerunt. Ita IOACHIMVS MEYERVS scripsit de *Claris Fischeris*, necnon *de Piscinis, Piscibus & Piscatoribus* dissertationem epistolicam, *Göttingæ 1695. 4.* Sic etiam *de Patriciis Germanicis, Claris Bernhardis, Thilonibus* nec non *de Dransfeldiorum gente, Göttingæ 1698. 4.* Idem *Antiquitatibus* suis *Villarum & Villicorum*, quæ *Francofurti 1701. 8.* prodierunt, adiecit tres decades clarorum Meierorum. Demum *dissertationes epistolicas binas de claris Böhmeris* ad Philippum Ludouicum Böhmerum, *Göttingæ 1710. 4.* GEORGIVS ERNESTVS SENDLERVS scripsit *de claris Molleris siue Mülleris, Laubæ 1705. 4.* Sic etiam GEORGII HENRICI GÖTZII extat oratio synodalis *de claris Schmi-*

diis

diis inter meletemata Annæbergensia, *Lipsiæ 1708. 8.* CHRISTIANVS FRIDERICVS BOERNERVs de *Romuli* egit *cognomento, clarisque Quirinis*, *Lipsiæ 1709. 4.* *Centuriam Fabriciorum scriptis clarorum, qui iam diem suum obierunt*, collegit IO. ALBERTVS FABRICIVS *Hamburgi 1709. 8.*

Ad §. XX. p. 147.

Scriptores plagiarii.

THOMÆ CRENII *de furibus librariis* dissertatio epistolica ad Fridericum Danielem Knochium prodiit *Lugduni Batauorum 1705. 8.* Subsecuta est altera dissertatio ad eundem, *Lugduni Batauorum 1708. 8.* In vtrisque multa continentur erudita atque singularia. Antea iam dum de eadem materia egerat in Tomo decimo Animaduersionum. ALMELOVENII *Syllabus* plagiariorum auctior vna cum HENRICI a SYPPENSTEIN *Epistola de plagiariis* adiectus est Eiusdem Amœnitatibus Theologico-Philologicis *Amstelodami 1694. 8.*

Ad §. XXI. p. 418.

Bibliotheca volans.

IO. CINELLI *Bibliothecæ volantis series sexta* prodiit *Romæ 1689. 8.* *septima & octaua series* pro-

prodiit *1693. 8.* Reliquæ poſtea æque ſeparatim prodierunt, & quid de iis actum, indicant Acta Eruditorum menſis Februarii 1706. p. 67. Nimirum quindecim omnino pluteos prelo hactenus paratos habuit, e quibus tamen decimus & decimus quintus incuria typographi intercidere, reliqui omnes lucem adſpexerunt, & quidem decimus quartus inſertus eſt Eruditorum Actis, quæ Venetiis apud Hieronymum Albrizzi ſub tit: *La Galleria di Minerua* proſtant, Tomo III. parte VIII. Vt itaque numerum compleret, nunc decimum vulgauit, mox etiam decimum quintum, & deinde quatuor adhuc alios additurus. Licet poſt mortem auctoris poſt pluteum decimum ſextum vix amplius quid ſperandum. Poſt Cinelli inſtitutum prodiit *Bibliotheque Volante, ou elité des pieces fugitiues par le Sr. I. G. S. D. M. à Amſterdam 1700. 12.* Idem cum priori ſeruat inſtitutum, ita, vt inſerantur litteræ, poëmata & ſimilia ſcripta minora, quæ facile diſſipantur. Adnectuntur in fine noua quædam litteraria. Sed, quantum noui, continuata non ſunt.

Ad §. XXII. p. 423.

Lexica Hiſtorica.

De noua editione *Lexici Moreriani* teſtantur Acta Eruditorum menſe Septembri 1707. p. 406.

p. 406. *Prodiit & nuper Parisiis noua Dictionarii Moreriani editio, quam Angelus (le P. Ange) Ex prouincialis Ordinis Discalceatorum D. Augustini centum quinquaginta articulis auxit, qui & passim opus suppleuit, quanquam nulla eius mentione facta, huic quoque editioni Valterii (Vautier) nomen sit praepositum.* Sic etiam Hamburgensium Noua Litteraria de eadem editione mense Martio 1707. p. 77. ita loquuntur: *Anno 1707. ineunte, denuo Parisiis in lucem prodiit lingua Gallica Ludouici Moreri Lexicon Historicum, curante P. Angelo Rafart, Ex prouinciali Ordinis Augustinianorum Discalceatorum. Licet enim duas editiones posteriores a 1699. & 1704. curasset N. Vaultier, causarum patronus adeoque ius nouae editionis ad ipsum quodammodo spectaret, idque quoque alii monerent, noluerunt tamen, diuenditis priorum exemplis, bibliopolae reditum peregre agentis expectare, ideoque P. Angelo negotium hoc dederunt, qui & olim Vaultierium strenue adiuuerat. Huius etiam modestia factum est, vt Vaultierii nomen in ipsa Operis inscriptione sit retentum, licet is nihil prorsus ad locupletandam hanc editionem* con-

contulerit. Centum & quinquaginta capitibus hæc prioribus auctior esse scribitur, non numeratis aliis quinquaginta, quæ ita emendata, aucta & inuersa, vt aliam plane faciem præferant. Referuntur in iisdem Vita & res gestæ Leopoldi Romanorum Imperatoris: Ludouici M. Franciæ Regis ad annum vsque 1706. Caroli XII. Suecorum Monarchæ: vt & alia de Cursoribus Apostolicis, de Datariis, de Auditoribus Rotæ, de Vicariis Pontificum, de Ordine equestri S. Ludouici, de Ordine Teutonico. Rerum Genealogicarum æstimatores plura hinc inuenient, quæ in antecedentibus frustra quæsiuerint. Et quanquam fuerint & adhuc sint, qui eas minus congrue in Lexico tradi existiment, eorum tamen opiniones iam ante Vaultierius confutauit. Nec forte quispiam negauerit, hæc talia effecisse, vt tot millia exemplorum, breui satis æuo, fuerint diuendita. Prodiit demum *Lexicon Historicum* vernaculo sermone sub titulo: *Allgemeines Historisches Lexicon, Leipzig 1709. f.* in quatuor partes diuisum, cum præfatione IO. FRANCISCI BVDDEI, quod reliquis omnibus vel emendatius est, vel correctius, & non historica solum, sed etiam Genealogica quam plurima, Geographica &

lit-

litteraria continet. Manus in hoc Opere Buddeo obſtetricantes præbuerunt *FERDINANDVS LVDOVICVS de BRESLER*, nobilis Sileſius, *IO. ANDREAS VHLIVS*, Rector equeſtris Scholæ apud Brandenburgenſes, atque alii, qui vel integras litteras vel ſpeciales quosdam articulos concinnarunt. Supplementum nunc promittitur, quod non ſolum emendationes, ſed etiam nouos articulos continere deberet. De magno Opere *CORONELLIANO* hæc proponunt Memoires de Trevoux Aprili 1703. p. 318. *On imprime à Veniſe le plus ample Dictionaire qui ait encore été fait. En voicy le titre, Bibliotheca Vniverſale Sacro-profana del P. Coronelli Min. Conv. O ſia Gran Dizionario Iſtorico, Geografico &c. C' eſt à dire Bibliotheque Vniverſelle ſacrée & profane, ou grand Dictionaire Hiſtorique &c. L' Auteur eſt le R. P. Coronelli, qui eſt à preſent General de l' Ordre de S. François. Cet ouvrage doit avoir quarante tomes, ſans les ſupplemens. Les deux premiers ſont déia publiez, & on travaille a l' impreſſion du troiſieme. Ce Dictionaire comprend tout ce qui concerne l' Hiſtoire & la Geographie ancienne & moderne, l' Hiſtoire naturelle la Poëſie, la Chronologie, les Genealogies, les*

Mathe-

Mathematiques, la Politique, la Botanique, la Medicine, la Chimie, le Droit, la Philosophie, la Theologie & la Bible. Il est composé en Italien, l' on y met l' etymologie & la signification de mots, avec le même mot rendu en Latin, en Hebreu, en Arabe, en Grec, en François, en Espagnol, en Allemand, en Anglois & en Flamand. Ainsi ce dictionaire renferme ce qu' il y a de meilleur dans le Theatrum Vitæ humanæ, dans le Dictionaire de la Crusca, dans Moreri, dans Baudrand, dans Furetiere & dans près de quatre vingt Lexiques & Dictionaires differens. On y a inseré l' explication des mysteres, la vie des Souverains Pontifes, celle des Peres de l' Eglise, des Docteurs Orthodoxes & des Prélats les plus considerables. On y a mis l' Histoire des Heresiarques celle des Empereurs, des Roys, des grands Princes, des Capitaines célebres, & des personnes illustres, par leur sainteté, par leur noblesse, & par leurs belles actions. On y explique brievement tout ce qui regarde les Sciences & les Arts, tant mechaniques, que liberaux. On y trouve aussi le denombrement des villes & des Provinces des

pierres precieuses, des fruits & des arbres & de tous animaux: & de plus les Catalogues des Conciles, des Heresies, des Livres défendu. En fin il y est parle generalement de tout ce qui peut appartenir aux Sciences & aux Arts.

Ad §. XXIII. p. 435.

Epistolæ Litterariæ.

Quantum epistolæ eruditorum ad notitiam litterariam conducant, docet Boineburgius epist. LXVIII. p. m. 276. dum ait: *Iudicia de viris doctis si non in Epistolis reperiuntur frequentia, & bene ordinata, omni destituuntur nitore. In Epistolis ad amicos familiaribus de morte eruditorum, de eorum operibus editis & ineditis, de litigiis, de omni re eruditorum spissus est sermo faciendus, alias eas ne titiuilitio quidem existimem.* Nuper demum prodierunt ISAACI CASAVBONI *epistolæ insertis ad easdem responsionibus, secundum seriem temporis accurate digestæ, curante* THEODORO IANSONIO ab ALMELOVEN *Roterodami 1709. f.* Accedunt huic tertiæ editioni præter trecentas ineditas epistolas, Isaaci Casaubo-

boni Vita; Eiusdem Dedicationes, Præfationes, Prolegomena, Poëmata, Fragmentum de Libertate Ecclesiastica. Item, Merici Casauboni epistolæ, dedicationes, præfationes, prolegomena, & Tractatus quidam rariores. His autem licet multa contineantur historica, & ecclesiastica, intermixta tamen sunt varia litteraria. Haut ita pridem CHRISTOPHORVS HENRICVS RITMEIERVS edidit *Conringiana Epistolica siue animaduersiones variæ eruditionis ex Hermanni Conringii epistolis miscellaneis nondum editis libatas, Helmstadti 1708. 12.* Hæc reiectis verbis & inutilibus excerpta saltim continent litterarum. Accesserunt binæ epistolæ ad Iustum, Gesenium de hæresi & hæreticorum pœnis. Faciunt huc etiam *Acta Litteraria*, de quibus supra iam dictum, quæ potissimum excerpta ex epistolis eruditorum litteraria continent.

Ad Caput Nonum.

§. I. p. 440.

Ad cognitionem librorum prohibitorum faciunt etiam *obseruatio octaua & nona Tomi decimi Obseruationum Halensium.* Hunc secutus est HIERONYMVS AVGVSTINVS GROSCHVFFIVS, qui edidit *nouam librorum Rariorum conlectionem, qui vel integri inseruntur,*

vel accurate recensentur, cuius *fasciculus primus* prodiit *Halæ 1709. 8.* Continentur eadem Præfatio de libris rarioribus, recensiones Casp. Varrerii censuræ in Pseudo-Berosum, Holofernis Kriegsoderi responsionis ad epistolam Isaaci Cazoboni pro Casp. Scioppio, Francisci Sacchini de libris legendis, Casp. Schoppii Commentarii in Priapeia, Catulli castorum carminum ab Raphaele Leonio conlectorum & Casparis Schoppii notarum in Claudii Verderii censuram. Integra inseruntur Ioachimi Camerarii erratum, in quo circiter quadraginta loca veterum & recentiorum auctorum notantur & binæ Nicolai Heinsii epistolæ ad Isaacum Vossium ex Mstis editæ. Insecutus est *fasciculus secundus Halæ 1709. 8.* qua continetur Recensio operum Historicorum Thuaneorum a Io. Petro Titio conscripta, vbi in notis eandem Thuani ad Meursium epistolam habet, quam ex ipsius Communicatione fasciculo septimo Actorum Litterariorum quoque inserui, Eubuli Theosdati Sarckmasii Iudicia do novissimis prudentiæ ciuilis Scriptoribus, Gentis Burrhorum Notitia, Monimentum Fr. Ios. Burrho sacrum, Io. Frischmanno *ἀνονύμως* erectum, Germania milite destituta & litteratis ceu mole laborans, Philalethis Polytopiensis Forcianæ quæstiones, in quibus varia Italorum ingenia explicantur, Erichi Beringeri discursus de veri historici officio, Episto-

læ

læ III. Iacobi Tollii ex manuſcriptis editæ. Inſtitutum ſane commendatione & continuatione eſt dignum, cum multa in his faſciculis contineantur, quæ haut vbiuis obuia. Præfatio præmiſſa eſt erudita. Adiectæ etiam fuerunt ſubinde notæ haut vulgares.

Ad §. V. p. 447.

De Petro Pomponatio.

Contra Pomponatium, qui animas noſtras cum corpore interire contenderat, ſuppreſſo tamen nomine ſcripſiſſe CASPAREM CONTARENVM, teſtatur Iouius in Elogiis n. 100. Nouiter IO. GOTTLIEB OLEARIVS de *Petro Pomponatio* diſſertationem publicauit *Ienæ 1710. 4.* qua eiusdem hiſtoriam & Vitam recenſet.

Ad §. VI. p. 447.

Iulius Cæſar Vanninus.

Egit de Vannino binis diſſertationibus IO. GOTTLIEB OLEARIVS, *Ienæ 1709. 4.* quarum prior de Vita & fatis Vannini, poſteriori autem de Scriptis & Opinionibus edifferit. Plenior vero eſt Tractatus IO. MAVRITII SCHRAMMII *de Vita & Scriptis Iulii Cæſaris Vanini Cüſtrini 1709. 4.*

Ad §. IX. p. 450.

Thomas Campanella.

Ad Thomæ Campanellæ historiam & scripta facit ipsius CAMPANELLÆ *de libris propriis & recta ratione studendi Syntagma*, quod ad Gabrielem Naudæum scripsit, *Parisiis* editum *1642. 8.* post dissertationibus variorum insertum, quæ prodierunt *Amstelodami 1645. 12.* Demum THOMAS CRENIVS illud Syntagmati suo *de Philologia*, *Lugduni Batauorum 1696. 4.* inseruit. De eodem Campanella ipse egi in Actis litterariis fasciculo tertio. ERNESTVS quoque SALOMON CYPRIANVS speciale de eodem publicauit programma, quod postmodum auctius longe apud Belgas fuit recusum. Videri etiam meretur Morhofii Polyhistor Tomo II. lib. II. Ccp. XIV.

Ad §. XIV. p. 454.

Iordanus Brunus & Historia Seuarambum.

De Iordano Bruno plenius agit Morhofius Polyhist. Tom. II. lib. II. Cap. XV. Mollerus ad Morhofii Polyhistorem Tomo primo lib. I. Cap. VIII. n. 23. adnotauit; *Historiæ Seuarambum autorem sibi videri Isaacum Vossium,*

Morbosius amicis sæpe fassus est. Alii Auctorem dicunt Sidenum Capitaneum nauis, qui hunc librum cum omni hæreditate amico reliquit, vt eundem in ordinem redactum ederet. Prodiit Germanice *Solisbaci 1689.*

Ad §. XXII. p. 460.

Dauid Georgi.

Contra Dauidem Georgi prodiit *Dauid Georgen aus Holland des Ertz-Kätzers warhafftige Histori seines Lebens vnd verführischen Leer, von der Zyt an, als er gon Basel ist kummen, doselbst gelebt, vnd was sich nach seinem Absterben mit Im vnd seinen Verwandten allda verlassen hat; Durch eine Ehrwürdige Vniuersität der löbl. Stadt Basel zu ehren eines Fürsichtigen, Ersamen, wysen Raths daselbst beschrieben, Basel 1559. 4.* quibus de Dauide & asseclis multa proponuntur blasphema.

Ad §. XXIII. p. 461.

Scriptores Mystici.

GOTHOFREDI ARNOLDI Historia & descriptio Theologiæ Mysticæ, seu Theoso-

phiæ arcanæ & reconditæ, itemque veterum & nouorum Myſticorum prodiit Francofurti 1702. 8. Continentur eadem Hiſtoria & deſcriptio Theologiæ myſticæ & recenſentur atque diiudicantur ſcriptores per omnia ſecula. Sequitur PETRI POIRETI *ſolida defenſio Theologiæ Myſticæ vna cum epiſtola de Principiis & Characteribus præcipuorum Scriptorum de rebus Myſticis & Spiritualibus, qui poſtremis hiſce ſeculis vixerunt*, ex Gallico latine verſa. Hanc poſtea Poiretus apud Belgas auctiorem publicauit. Huc faciunt etiam ANDREÆ du SAVSSAY *de Myſticis Galliæ Scriptoribus multiplicique in ea Chriſtianorum rituum Origine ſelectæ Diſſertationes Pariſiis 1639. 4.* In his autem de S. Paulo apoſtolo, tanquam Galliæ conſecratore, S. Lino Sequanorum apoſtolo, S. Sauiniano, Celticæ Galliæ apoſtolo, S. Potentiano ſecundo Senonenſium antiſtite, S. Martiale, Aquitaniæ vtriusque apoſtolo, & potiſſimum de S. Dionyſio Areopagita agit, cuius genuinam auctoritatem probare contendit. Interſpergit multa de diuerſis ritibus eccleſiæ Catholicæ, vtpote de officiis & iudiciis eccleſiaſticis, de Pallio Pontificali, de benedictione. Verum de eodem Bailletus Iugemens tom. II. p. I. p. 162. ita iudicat: *Il faut avouer que cet Auteur avoit beaucoup de lecture, mais il avoit encore plus de ſimplicité, avec aſſez peu de inge-*

iugement & de genie mesme. La plus part de ses Ecrits ne sont que des compilations indigestes où il ne paroît ny choix ny discernement. En vn mot; c' est vn Critique de mauvais goust.

Ad §. XXXIII. p. 473.

Io. Faustus.

Singulari dissertatione de *Io. Fausto* egit IO. GEORGIVS NEVMANNVS Wittebergæ 1683. 4. Ipse quoque de eodem egi Bibliotheca antiqua, mense Iunio 1706. p. 232.

Ad Caput Decimum.

§. IX.

Societates eruditæ Romanorum.

Quis Status Societatum Romanorum, patet ex Nouvelles de la Republique des lettres mense Augusto 1708. p. 218. vbi dicitur: *La Republique des Lettres est à présent reduite ici au petit pié. Il n' y a plus d' émulation pour les Savans, qui n' ont plus d' Academies & ne sont plus de Conférences, pour se communiques leurs lamiéres & con-*

courir à l' augmentation des Sciences & des Arts. Autrefois, Mr. Ciampini Prélat de la Chancellerie Romaine avoit érigé une Academie experimentale de Physique & de Mathématique dans son Palais à Rome derrière Sainte Agnes, où l' on faisoit souvent des Assemblées publiques: mais il est mort, au commencement de ce Siécle. Il n' y a plus que quelques Academies d' Eloquence & de l' Arcadie des Inféconds &c. qui se tiennent rarement, & où l' un ne recite que quelques Odes Sonnets & Madrigaux. Mr. lè Cardinal Ottoboni, qui a une Ame Royale, & les sentimens magnanimes, au suprême degré, fait souvent des Academie de Musique, & regale le Public de Concerts, de Machines & Décorations; mais tout cela est peu de chose pour l' avancement des belles Lettres.
Academiæ Arcadum historiam ex Io. Marii de Crescimbenis La Bellezza della Volgar Poësia habent Acta Eruditorum Supplem. Tom. III. sect. X. p. 459.

Ad §. XII. p. 493.

Academia Accensorum Neapolitana.

De Academia Accensorum Neapolitana ex Mongitoris Bibliotheca Sicula referunt Acta Eru-

Eruditorum menſe Decembri 1708. pag. 540. *in ipſo operis fronte notitiam Auctor ſuppeditat de Academia Accenſorum Panormitana, quæ prima inter Siculas Academias litteras politiores excoluit, ſuaque auſpicia cepit A. 1568. Conuentus celebrabantur in D. Dominici Fratrum Prædicatorum Cœnobio, vbi in peruetuſto S. Barbaræ ſacello (ſub cuius tutelam vmbra clarebat) coibant Academicorum cœtus, & eruditis confabulationibus ingenia virtutis famæque gloria accenſa mirum in modum inualeſcebant. Huius ſymbolum luna fuit renata cum epigraphe : Reuertens colligit ignes ; ex Virgil. Georg. inde mutato conſilio aliud delegit, nempe alambicum igni ſuperimpoſitum cuius vi ex oleribus floribusque occluſæ eliciuntur virtutes, ad vtilitatem pariter & voluptatem, adiecto lemmate : Virtutes elicit arte. In ea ſocietate viri illius æui præſtantiſſimi recenſebantur, deficientibus vero paullatim illius conditoribus, frigere cœpit litterarum ardor: ſed non multum poſt Eruditorum ſtudium ſub Reaccenſorum nomine iterum incaluit, vt altero Tomo fuſius Autor oſtendet.*

Ad

Ad §. XVII.

Conuentus Eruditorum Gallorum.

Sic etiam conuentum eruditorum in domo Præſidis Lamognonii fuiſſe, aliorum verbis teſtatur Ancillon Memoires p. 239. *Vous vous ſouvenez ſans doute, que le ſavant Mr. de Lamoignon tenoit chez lui vne eſpece d' Academie, ou tout ce qu' il y avoit de gens qui amoient les belles Lettres dans Paris, ſe trouvoient aſſidûment certains iours de la ſemaine. Meſſieurs Baillet, de Varillas, Despreaux, Boileau le Chamoine de la Ste Chapelle, & quantité d' autres Savans d' vn merite très-diſtingué, primoient dans cette aſſemblée. Vne profonde Erudition y décidoit les queſtions que le hazard avoit amenées.*

Ad §. XVIII.

Hiſtoire de l' Academie Françoiſe.

Hiſtoire de *l' academie Françoiſe* par *Mr. Peliſſon, à Paris 1701. 12.* denuo prodiit.

Ad §. XX.

Academia Gallorum Regia.

Ad Academiam Gallorum regiam ſcientiarum occaſionem dediſſe Theuenotum, narrant

rant Menagiana tom. I. p. 319. *M. Theuenot de l' Academie des ſciences, eſt ſavant dans les langues : il a quantité de Manuſcrits Orientaux, qui ſont trés curieux & trés rares. Il tenoit autrefois chez lui aſſemblée de gens ſavans, où chacun rapportoit les découvertes qu' il avoit fait dans les ſciences. Ce qui donna occaſion de faire l' Academie des ſciens qui s' aſſemble à préſent à la Bibliotheque du Roi.* Prodiit autem *Hiſtoire de l' academie Royale ad annum 1701. Pariſiis 1704. 4.* ad annum 1703, *Pariſiis 1705. 4.* ad annum 1704, *Pariſiis 1706. 4.* ad annum 1705. *Pariſiis 1706. 4.* ad annum 1706. *Pariſiis 1707. 4.* Singuli Tomi etiam Amſtelodami iterata vice, recuduntur. Idem Fontenelle ſcripſit etiam *Hiſtoire du renouvellement de l' Academie Royale des Sciences, à Paris 1708. 12.* Deſcribit eadem hiſtoriam huius academiæ, prout poſt pacem Rysvvicenſem conſiliis Dni de Pontchartrain & induſtria Abbatis Bignoni reſtituta & quaſi renouata, addit leges a Rege confirmatas & ſociorum eiusdem academiis atque ſocietatibus eruditis extra Lutetiam celebratis.

Ad §. XXI. p. 503.

Diuerſæ Gallorum Academiæ.

Operæ pretium erit, ea, quæ ex Fontenelle hiſtoria academiæ Scientiarum de diuerſis

ſis Galliæ Academiis referunt Acta Eruditorum hic adducere. Nimirum *illuſtris eſt Arelati Academia Regia Scientiarum & Linguarum, quæ Regio diplomate firmata A. 1668. viginti primum ſocios habuit, nobili omnes proſapia ortos, quibus tamen decem poſtea nouo Regis mandato acceſſere. Habet & Auguſta Sueſſionum Academiam humaniorum litterarum (de belles lettres) quam pariter Rex A. 1674. priuilegiis muniuit; huic multum deberi, Cl. Autor exiſtimat, quod tam politis hodie moribus ſint Sueſſiones. Denique de Toloſanis Floralibus (Féte des Ieux de Floraux) accuratius referre operæ pretium fuerit. Horum inſtitutionem inde ab A. 1324. repetunt, quo Septemuiri elegantioribus litteris dediti publica Epiſtola poëtas vicinos omnes inuitarunt, vt Calendis Maii illius anni Toloſæ comparentes carmine certarent, ſtatuta ei, qui vinceret, viola aurea. Probauit mox inſtitutum magiſtratus, qui conſtitutis Cancellario ac Secretario, & Cenſum Septemuiris, qui exinde Mainteneurs dicti, relicta, Floralia hæc publico ſumtu quotannis continuari præcepit, addiditque poſtea violæ ſecundi & tertii præmii loco roſam ſylueſtrem (l' eglantine) & calthам (le ſoucy.) Hinc fœmina nobilis Clementia Iſaura circa annum 1540. Flores ludos (les Ieux floraux) prima & tertia Maii die celebrandos inſtituit & legata eam in rem maxima bonorum parte vna cum ædibus magnificis, quæ his ludis perpetuo conſecratæ ſunt, iuſſit quatuor quotannis flores, nimirum violam, roſam ſylveſtrem, calthам & ocellum*

lum (l'oeilles) victoribus dispensari. Denique Rex modernus A. 1694. Floralia hæc Academiæ priuilegiis auxit, cuius Socios ordinarios triginta quinque esse voluit, præmiis etiam paulum immutatis; quippe hodie amaranthus ex auro, tum ex argento viola, rosa syluestris & caltha distribuuntur.

Ad §. XXXII. p. 505.

Collegium Antiquitatum Vpsaliense.

De Collegio Antiquitatum Vpsaliensi *Autor der Beschreibung des Königreichs Schweden* p. I. cap. XXI. p. 522. ita scribit: *In ermeldter Stadt Vpsal ist auch ein Collegium Antiquitatum, welches A. 1668. auf Befehl Königs Caroli XI angeordnet worden, bestehet aus lauter grundgelehrten Leuten, welche nicht nur in Sprachen, sondern auch in Historia Patria vnd Antiquitatibus wohl erfahren sind. Das eigentliche Absehen aber dieses Collegii gehet dahin, die Linguas Septentrionales zu excoliren, vnd die Antiquitates Patrias, als Lapides, nummos, auch viele alte monumenta Scripta zu eruiren, wie dann bereits eine ziemliche Anzahl solcher alten Müntzen und Inscriptionen mit gelehrten Anmerckungen von Olao Verelio, Io. Loccenio, Io. Scheffero, Olao Rudbekio, Elia Brennero, Nicolao Keddero, Io. Peringschiöld, Elia Salin vnd dergleichen mehr, welche fast alles membra dieses trefflichen Collegii gewesen, vnd theils noch sind, hervor gegeben und dadurch bey der gelehrten Welt grosser Nutzen geschaffet worden.*

Ad §. XXV. p. 507.

Collegium Naturæ Curiosorum.

Haut ita pridem MICHAEL BERNHARDVS VALENTINI edidit *Historiam Litterariam S. R. I. Academiæ Naturæ Curiosorum, Giessæ 1708.* 4. qua complectitur Recensionem & Contenta Librorum, a Præsidibus, Adiunctis & Collegis, loco pensi Academici, ad normam & formam in legibus præscriptam editorum.

Caput Vndecimum.

Ad §. I. p. 516.

Typographi celebriores.

Clarissimus Ancillonus Memoires p. 277. iterum me iniuriam Bailleto fecisse putat, quod plures adlegauerim, qui ante Bailletum de præcipuis typographis egerint. Verba ipsius sunt: *Les Iugemens que Baillet a rapportez touchant les principaux Imprimeurs, n'ont point été épagnez par Mr Struvius. Toûiours le coeur vn peu vlceré il employe pour diminuer le merite des Iugemens des Savans de Baillet, vn paragraphe tout entier a faire voir que ce qu' il dit des principaux Imprimeurs n' est point nouveau; qu' il n' a rien dit qui ne se trouve ailleurs.* Verum si hoc ipso, quod alias ante Bailletum de typographis præstantioribus egisse dixeram, ipsi præiudicium attulissem, certe

mul-

multo maius ipse paterer, dum longum catalogum necterem eorum, qui ante me typographiæ origines euoluerunt, cum institutum meum aliud non fuerit, quam omnes adlegare, qui de rebus singulis egerunt. Præter illos autem, qui de origine & progressu typographiæ adlegantur, habemus adhuc MATTHÆVM IVDICEM, qui librum scripsit *de Typographiæ inuentione & de prelorum legitima inspectione, Hafniæ 1656. 8. ANDREAS RIVINVS Hecatombam* edidit *laudum & Gratiarum in ludis secularibus ob inuentum in Germania Chalcographiam, Lipsiæ 1640. 4.* qua præter Carmina quædam in laudem typographiæ, continetur ipsius panegyrica declaratio, habita in solenni decem Baccalaureorum renuntiatione, qua artis typographicæ initia, progressus, nobilitas & vtilitas summa celebratur, atque inuentio potissimum Germanis vindicatur, licet haut abnuat, Belgarum exemplo instigatos fuisse Germanos. Facit huc etiam C. LVDOVICI THIBOVST *Carmen de Typographia*, quod regiæ scientiarum academiæ sociis obtulit, vt in suam societatem artem typorum cooptent. Inseritur Eccardi Excerptis menstruis Aprili mense 1700. p. 142.

Ad §. XXI. p. 560.

Stephani Typographi.

De ROBERTO STEPHANI præter adlegatos habet etiam aliqua Menage Anti-Baillet tom. I. p. 254. De CAROLO STEPHANI plenius egit Menage p. 219. *Im Bericht von neuen Büchern* p. VII. p. 727. dicitur: MICHAELEM MAITAIRE edidisse Historiam Stephanorum insignium Galliæ Typographorum, complectentem vitam ipsorum ac duplicem librorum ab ipsis compositorum, editorumque Catalogum, alterum iuxta Typographorum annorumque seriem, alterum iuxta singularem Facultatum materiam.

Ad §. XXIII. p. 563.

Guilielmus Morellus.

De GVILIELMO MORELLO plenius egit Menage Anti-Baillet Tomo I. p. 247.

Ad §. XXX. p. 569.

Dan. Elseuirius.

Prodiit *Catalogus librorum, qui in bibliopolio DAN. ELSEVIRII venales extant, & quorum auctio habebitur in ædibus defuncti, Amstelodami* 1681. 12.

Ad §. XXXIX.

Correctores Eruditi.

De Correctoribus eruditione claris egit potissimum ANDR. CHEVILLIER ante adlegato

legato tractatu *de l' imprimerie*. Præter adductos huc referri meretur *Gothofredus Iungermannus*, qui in Wæcheliana Correctorem egit, de quo testantur plures eius epistolæ, præcipue ad Scipionem Gentilem scriptæ, quæ inter Gudianas reperiuntur n. XXIX. XXX. XXXI, & Bayle in Dictionario. *Franciscum Iunctinum* in Iuntarum ædibus sæpe librorum correctionibus operam Lugduni posuisse, auctor est Ant. Posseuinus Bibl. selecta p. 245. De *Io. Ludouico Strebæo* narrat Cornelius Tollius de infelicitate Litteratorum p. 429. *Cum igitur ad tuendum eruditionis decus necessaria deessent fortunæ subsidia apud typographos Parisienses, mendis operarum corrigendis inops ac debile senium sustentare compulsus, in rerum tandem omnium penuria defecit.* Quantum ad Errores Typographicos, lectu dignum est CASPARIS LINDENBERGII Scholion *de erroribus Typographicis*; quod reperitur in nouis Litterariis maris Balthici mense Ianuario 1706. p. 12. De eodem conqueritur etiam Groschuffius in præfatione, nouæ librorum rariorum collectioni præmissa.

ORATIO AVSPICALIS

Habita in ſolenni Panegyri

Ienæ d. III. Febr. cIↄ Iↄcc V.

Pro-Rector Academiæ Magnifice,
Pro-Rector Magnifice Deſignate,

Illuſtriſſimi Comites,

Proceres Academiæ Venerandi,
Hoſpites Honoratisſimi

Patroni atque Fautores omni cultu Proſequendi.

Tuque Academiæ noſtræ ornamentum: Florentisſima Studioſorum Corona.

INter tot excultas Europæ nationes, quæ ob ſingulares, quas quælibet habet, prærogatiuas, de principatu facile posſint inter ſe contendere, non minima ſemper, quæ inter eos agitur, de eruditionis fama eſt controverſia. Certe, habent Angli, habent Hiſpani, Galli, Belgæ, Itali, ipſæque, quæ verſus ſeptentrionem habitantes gentes ſuos eruditionis fama conſpicuos, de quibus glorientur. Noſtri Ger-

Germani, quibus cum cœli temperie moderatiora ingenia natura dedit, ſtudiorum incrementis atque eruditionis celebritate alias gentes ſi non ſuperant, minimum adæquant. Dubitabant olim obtrectatores Galli, an apud Germanos ingenium fœcundum, iudicium accuratum ſit quærendum? Siue, vt ipſi exprimebant, an Germanus posſit eſſe *vn bel eſprit.* Criminationes hæ erant Perronii, Perraldi, & nouiter, Dominici Bouhourſii. Immo Gabriel Naudæus, Ludouicus Iacobi atque Adrianus Baillettus odii in Germanos ſigna in ſcriptis ſuis ſatis indubia produnt. Horum tamen criminationibus vir eximius, Ioannes Fridericus Cramerus vindiciis ſuis nominis Germanici ſatis obuiam iuit. Sapiunt quoque ipſi Galli recentiores, qui Germanorum merita conſiderantes, melius nunc ſentire incipiunt. Inter hos, Vrbanus Chevrau rem ita declarat, dari apud Germanos æque ac Gallos homines prudentes atque ineptos. Immo, ſi examinemus ſcripta Gallorum, forſan extantiores errores in iisdem reperiemus, quam a Germanis committuntur. Mittamus antiquos, Turpinum, qui aniles potius fabulas, quam hiſtorias, ſcribit; Gregorium Turonenſem, ſcriptorem nimis credulum atque alios, vel odio in religionem diuerſam, vel fauori gentis, vel etiam adfectibus nimium indulgentes. Ex recentioribus plures eosdemque

 que

que extantiores notare licebit in Priolo, Varillasio, Morerio, Blanco, aliisque optimis alias apud Gallos scriptoribus. Neque tamen hisce Gallorum famæ detractum quidpiam volumus, cum etiam illi suos habeant Thuanos, Valesios, Chesnæos, Gramondos, Pithœos, Aemylios, Gendræos, Puteanos, Cominæos, Matthæos, Mabillonis, Balutzios, Vassorios atque alios, qui de prærogatiua possint certare: potius horum obtrectationibus obuiam imus, non apud Germanos, verum apud ipsos reperiri exquisita ingenia, vt pateat, esse quoque claris illorum viris suos errores. Sit ita, Germani habent suos næuos, habent etiam Galli: vtraque gens sua merita. Gallorum merita ipsorum Scriptoribus relinquimus: nos in præsenti, Germanorum in historiam merita adgrediemur. Vt hisce præmissis, Deum omnis boni auctorem sub auspicium laborum deuota mente imploremus, pia vota pro salute Serenissimorum Saxoniæ Ducum, Dominorum meorum Clementissimorum, atque incrementis huius Academiæ fundamus. Hæc vt beneuole audiatis, omni obseruantia oro rogoque.

Omnium Germaniæ Historicorum vetustissimus est *Eginhardus*, cui debetur, quidquid de historia Caroli M. certi habemus Hunc insecuti fuerunt plures alii, iidemque industrii patriæ Historiæ indagatores: Supersedemus

hic recensere antiquiores Historiæ Germanicæ scriptores, cum illud alio loco a nobis fuerit præstitum: de recentioribus hic nobis sermo erit. Laudant in Historiarum methodo & arte Galli suum Bodinum: Angli suum Dhegoreum Whear. Vnicum hisce opponere liceat *Ioannem Andream Bosium*, virum πολυμαθέστατον, qui in dissertatione sua isagogica de comparanda prudentia atque eloquentia ciuili omnium horum atque aliorum curas multum superat. Neque tamen aberrabimus, si elegantissimum Gerhardi Iohannis Vossii libellum de arte Historica iungamus, cum Vossium non tam Belgæ, apud quos vixit, quam Palatinatus, natale solum sibi vindicet. Texant gentes aliæ annales Historiæ vniuersalis sæpe vacillante fide congestos, Germani, quem aliis opponant, præ ceteris habent, decus illud Argentoratensium, *Ioannem Henricum Bœclerum*, qui in seculi noni atque decimi Historia specimen iustum vniuersalis historiæ accuratissime exhibuit. Dolendum saltim, quod reliqua secula vel plane non edita, vel si edita, posthumo labore ab auctore nondum reuisa. Obiiciunt Galli Annales Chevræanos, æstumatissimos sane, quibus multi errores anteriorum examinantur atque deciduntur, habent tamen adhuc suos næuos perplures. In Bœclero iustum reperiemus ordinem, veritatem probe explanatam, iudicium

accuratum, auctoritatem certam, omnia dignissima. Quid in colligendis Germanicæ Historiæ scriptoribus præstiterint *Simon Schardius, Ioannes Pistorius, Iustus Reuberus, Marquardus Freherus, Henricus Canisius, Erpoldus Lindenbrogius, Christianus Vrstisius, Ioannes Schilterus, Henricus Meibomius, Gothofredus Guilielmus Leibnützius*, Germani omnes, in publicum notum est. Sane, multa egregia antiquitatis Germanicæ monumenta deperdita essent sine horum, opera. Immo manca plane esset, aliarum terrarum historia, quæ ex scriptoribus ab iisdem congestis illustranda. Commendent Hispani Marianam suum, Lusitani Osorium. Galli Thuanum, Belgæ Grotium, Itali Guicciardinum, quos a veritate non solum, sed etiam scribendi prudentia extollunt. Vnicum hisce obiicimus *Samuelem Puffendorffium*, in quo solo latet, quidquid in pluribus quærunt gentes. Siue enim scribendi prudentiam, siue iudicium pragmaticum, siue denique rerum verborumque pondera consideremus, omnia in eodem reperiemus. Fateor, incautum historicum arguunt, qui arcana, domus Brandenburgicæ penitius introspexerunt, quod multa propalauerit alias reticenda. Nemo tamen est, qui veritati eiusdem derogare voluit; neque scriptis suis politicum egit, sed historicum pragmaticum exercuit, cuius etiam est, inquirere in interiora.
Ne-

Neque tamen ſolus merita ſua habet Puffendorffius, ſed multi ſunt alii, qui ſcribendi peritia merita Germanorum in Hiſtoriam adauxerunt. Quæ non debentur eſt *Chriſtophoro Lehmanno*, quo certe nemo melius fontes iuris publici atque Hiſtoriæ Germanicæ indagauit? Quantus vir erat *Hermannus Conringius*, cuius Conſiliis ipſe Gallorum Rex ſæpisſime vſus? Quæ non debemus *Ioanni Philippo Dattio*, qui in volumine nouo rerum Germanicarum, nuper tam inſigni rerum collectione, incrementa & decrementa Imperii proponens, ſe talem præſtitit, vt inter primos ſit commendandus. Grates debemus multas *Ioanni Sleidano* & *Friderico Hortledero*, quorum ille hiſtoriam belli Smalcaldici, hic eiusdem Acta & Hiſtoriam multa fide congesſit atque expoſuit. Habent ſuam laudem *Londorpius* & continuatores, qui in belli tricennalis hiſtoria & vltra ſimilia, præſtiterunt, licet non vbiuis ſatis certo ordine. Maiora in ſingulis præſtita eſſent a *Collegio Imperiali Hiſtorico*, cuius præſidem *Hiobum Ludolphum*, haut ita pridem demortuum, lugemus, ſi parem conſiliis euentum habuerit. Quantum autem hi in communi Germanorum hiſtoria, tantum alii in monaſteriologia, præſtiterunt. Inter hoſce laudamus maxime *Chriſtophorum Brouwerum*, *Caſparem Bruſchium*, *Henricum Meibomium* & *Chriſtianum Franciſcum Paullini*, vt *Pertuchium*, *Eckſtormium* atque alios

 taceam.

taceam. Neque desunt adhuc, qui in vlterius indaganda particulari Historia toti fuerunt occupati. *Gerhardi de Roo* merita in historiam Austriacam facile patent omnibus. Quantum in Saxoniæ Historia præstiterint *Albinus*, *Peckensteinius*, *Chytraus*, *Fabricius*, *Meibomius*, *Schurtzfleischius*, & nouiter demum *Tentzelius*, omnibus in propatulo est. Insignis in Treuirensi atque Fuldensi historiis est *Christophorus Brouwerus*, in Salisburgensi *Wiguleius Hundius*. Egregia monumenta Paderbornensia *Ferdinandi Fürstenbergii*. Præstat in Bauariæ Historia *Ioannes Auentinus*, *Andreas Brunnerus*, *Marcus Velserus & Ioannes Adlzreiterus*. In Palatina *Hubertus Thomas Leodius*, *Marquardus Freherus*, & nouiter demum *Carolus Ludouicus Tolnerus*. Quantum in Brunsuico-Luneburgensi Historia desudauerit *Ioachimus Ioannes Maderus*, ac præcipue Meibomii vtrique, omnibus historiæ studiosis satis constat. Immo de *Gottfriedo Guilielmo Leibnützio*, cuius merita in aprico sunt, qui a multis retro annis in eadem illustranda Historia fuit occupatus, optima quæuis nobis promittimus, cum illustri Viro nihil ad eandem dignius adornandam, siue rerum patriarum notitiam, siue scribendi peritiam, siue alia adminicula spectes, desit. Merentur de Historia Germani, vbi multis præconceptis opinionibus obuiam iuerunt. Recepta apud Gallos opinio est de ficto ipsorum Heroë, Rolando

magno,

magno, quem in iugis Pyrenæi montis prœlio confectum occubuiſſe atque Blauiæ ſepultum dicunt. Hanc autem, præter alios, tumuli, qui adhuc oſtenditur, inſpector, Hubertus Thomas Leodius, falſam eſſe ſatis adſeruit, cumulum inibi quidem reperiri tradens, os vero vix vllum digiti longitudine. Communem Gallorum fabulam de ampulla Rhemenſi cum chrismate ſacro in baptiſmo Clodouæi cœlitus miſſo, præter Chiffletium Burgundum, reſutauit ſatis Becmannus. Quis melius Hunibaldi de Francorum origine fabulas detexit Hermanno, Comite Nuenario. Vt taceamus *Gothofredum Arnoldum*, atque recentiores alios, qui, licet nec ipſi a præconceptis opinionibus ſint immunes, multas tamen fabulas detexerunt. Quodſi conſideremus Hiſtoriæ adminicula, etiam in his ſua merita habent Germani. Habent Galli ſuos Bochartos, Sanſonios, Malletos, Geographos inſignes, ſed etiam alios, qui Altdorfinam academiam pro viro habentes Mr. Altdorf exprimunt. Iuliam academiam cum Iuliacenſi ducatu confundunt. Quanti errores ſunt Ludouici Moreri, qui Wittenbergam, Saxoniæ vrbem, cum Ducatu Würtembergico confundit, Arolæ in Heluetia fluuio, ortum ſuum ad Rhodani & Padi fontes adſignat. Alii ſunt errores Malleti, qui in ſua deſcriptione vniuerſi Ruthenos Comites ad Megapolitanum

tractum

tractum remittit, vt enormes sæpe errores aliorum Galliæ Geographorum taceamus. Quantum vero in notitia orbis antiqui præstiterit, *Christophorus Cellarius*, venerandus olim Præceptor, orbi erudito notum est. Certe, *Harduino, Vaillantio*, optimis Gallorum, longe est præferendus. Quantum in Genealogia antiquiori *Reineccius* præstiterit, notum est omnibus, neque minor laus erit *Rittershusio* atque *Imhoffio*, licet non in omnibus perfecti. Ipsi Galli mirantur optimi viri, *Philippi Iacobi Speneri* labores in Heraldicis. Litteraria Historia suos habet *Conringios, Morhofios, Menckenios, Carpzovios, Schurtzfleischios, Schubartos*, qui Naudæi, Bailleti, aliorumque, qui æstumatissimi apud Gallos, labores longe superant. Quid dicam de Historia antiquaria. Ostendant Galli, quem summo viro, *Ezechieli Spanhemio* opponant, cuius merita ipsi admirantur. Ex vtroque enim Cæsar est, siue rerum gerendarum prudentiam, siue exactissimam antiquitatum notitiam spectes. Quid dicam de *Io. Georgio Grauio*, in vicinia apud Numburgenses nato, nil nisi Lumen erat eruditorum. Ita quocunque oculos vertes, reperies, quæ mereantur Germani. Hæc ipsa academia merita sua habet in historia. Tacemus iam Victorinum Strigelium, Ioannem Rosam, Iustum Lipsium, Sebastianum Schäfferum, Andream Libauium, Laurentium Rhodomannum, Eliam Reusne-

rum,

rum, Ioannem Gryphiandrum, Valentinum Riemerum, Quirinum Cubachium, Henricum Neuenhahnium, Ortholphum Fomannum, Ioannem Michaelem Dilherrum, Ioannem Musæum, Ioannem Christfriedum Sagittarium, Ioannem Ernestum Gerhardum, viros partim alio studiorum genere celebratissimos, sufficit nobis vltimorum antecessorum in historiam merita prædicasse. Quis ignorat magni viri, *Io. Andr. Bosii* indefessum in historiam ecclesiasticam atque litterariam studium? Si non scripta, quæ publica extant, illud testarentur, insignis ipsius thesaurus librarius, quem Bibliotheca nostra possidet, huius testimonia luculenta proferret, cum ex notis, quas margini Codicum adscripsit vir eximius, multa sæpe notitia adquiratur. Incredibilis erat industria b. Viri *Casparis Sagittarii*, qui tam insignem in eruendis antiquitatibus Germanicis, Thuringiacis præsertim, præstitit operam, vt eius merita non nisi summa cum laude extollere debeamus. Et quod magis est, veneratur adhuc eius memoriam Academia, quam hæredem ex asse scripsit, immo etiam futuris Historiarum Professoribus bene prospexit. In recenti adhuc est memoria, quanta in vniversali, præsertim Germaniæ, historia merita fuerint summi Polyhistoris, *Georgii Schubarti.* Hic enim, quem vere Polyhistorem nominamus, pro iudicii, quo pollebat, neruo, tam egre-

egregie hiſtoriam illuſtrabat, vt non ſine fru-
ctu ab eo diſcederent auditores. Id quod
mecum alii, qui eiusdem ſcholas frequenta-
runt, teſtabuntur. Magna ſane hæc ſunt ante-
ceſſorum nomina, quæ nihil mihi reliquerunt,
quam vt infirmitates meas & vires admodum
tenues, penitius introſpiciam. Ne enim Vos,
Auditores Beneuoli, vlterius morer, ad illa
me vertam, quo me præſens oratio duxit Vix
enim præterlapſæ ſunt aliquot hebdomades,
cum auſpiciis Supremi Numinis, Serenisſimi
Saxoniæ Duces, Academiæ huius Nutritores
Munificentisſimi, Domini mei clementisſimi,
me tantorum virorum eſſe iuberent ſucceſſo-
rem. Diuinæ hoc prouidentiæ opus eſt, quod
tanto magis deuota mente adgnoſcere conue-
niet. Primum itaque erit, vt pia ad Deum di-
recta mente, ſupplices preces fundam. Sum-
me Deus, cuius nutu omnia diriguntur, Tibi
vitam, Tibi fata, Tibi hoc ipſum, quod adgre-
dior, munus debeo, Tu me per læta, per aſpe-
ra, per tot etiam contraria in hunc vsque diem
duxiſti, vt diuinæ voluntatis argumenta in me
ſatis adgnoſcerem. Tibi omnia debeo, Tibi
grates habeo deuotisſimas, nihilque magis
voueo, quam vt nominis Tui gloria in me
quoque illuſtretur. Tu me in hac academia
Doctorem eſſe voluiſti, concede precor ſapien-
tiam, non proletariam illam, quæ profanos red-
dit homines atque ambitioſos, ſed veram, at-
que

que genuinam, quæ ad Te ducit, quo omnes vitæ actiones, doctrinæ rationes, muneris demandati officia ad Tui nominis gloriam, huius academiæ & multorum vergant vtilitatem. Post Deum, vertam me ad Munificentissimos Academiæ huius Nutritores, Serenissimos Saxoniæ Duces, Dominos meos Clementissimos. Horum enim Munificentiæ prima debeo studiorum fundamenta, publici ordinis initia. Supplices, quas debeo, offero gratias, atque omnibus modis eo adlaborabo, vt me muneri clementissime demandato magis magisque præstem idoneum. Seruet Deus Serenissimos Saxoniæ Duces, atque inter hos Rectorem Academiæ Magnificentissimum! Protegat illos & perpetua addat incrementa. Vobis autem Magnifici Academiæ Proceres, Patroni deuenerandi, quibus nominibus grates referam, quod me vestra commendatione dignum iudicastis? Indignus licet sim, hæc ipsa tamen Vestra beneuolentia eo maiores mihi stimulos addit, vt eadem inposterum me dignum præstem. Fidem promitto, industriam atque obsequium. Quod ipse non valeo, Deus concedet. Faxit Deus ter Optimus, terque Maximus, vt academia hæc Spiritus Sancti semper sit officina, bonarum artium domicilium. Ita florebit vigebitque æternum. Grates quoque debeo Vobis, Viri Magnifici,

ſici, Prorector Academiæ, & Prorector deſignate, Patroni colendi, quod hanc ipſam panegyrim præſentia veſtra adornare voluiſtis. Singulare etiam hoc beneuolentiæ argumentum, quod omnibus officiis demereri conabor. Veſtram etiam beneuolentiam atque gratiam, Illuſtrisſimi Comites, Domini gratioſisſimi, quam hucusque erga me fuiſtis conteſtati, obſequioſa mente adgnoſco. Hoc inſuper addidiſtis, vt etiam in præſenti doceretis, me veſtra gratia non dedignari, de quo me profiteor obſtrictisſimum, & ad quoduis obſequium paratisſimum. Easdem grates etiam Vobis debeo, Venerandi Patres Academiæ, quorum ſingulorum fauorem ſæpius iamdum expertus: Me totum veſtræ beneuolentiæ inpoſterum committens. Immo, qui me in Veſtrum conſortium recepiſtis, Venerandi Collegæ, eandemque receptionem tam amicis gratulationibus obſignaſtis, quæuis officiorum genera a me expectetis. Hic quoque favor veſter eſt, Honoratisſimi Hoſpites, quod Vos, ſepoſitis aliis, hanc etiam inauguralem beneuole audire non dedignati, de quo me Vobis offero ſemper deuinctisſimum. Ad vos etiam & generis proſapia & doctrinæ præſtantia florentisſimi Commilitones, inter quos perplures video, qui adhuc

mea

mea frequentant ſubſellia, verba facio. Vobis obſtrictus, quod tam frequenter, tam beneuole, tam conſtanter ſermonem meum excipere voluiſtis. Aliud non habeo, quam indefeſſum ſtudium, quod offero, vobis ſemper inſeruiendi. Hoc teſtem voluntatis, pignus amoris accipite. Quod ſupereſt, Deus laboris noſtri initium, idem etiam ſit finis.

D I X I.

INDEX
AVCTORVM IN HOC SVP-PLEM. CONTENTORVM.

A.

Africanus *Leo.* 105
Agraz *Antonius.* 97
Alcyonius *Petrus.* 132
Allatius *Leo.* 138
ab Almelouen *Theodorus Ianſonius.* 140. 146
Ancillonius *Carolus.* 83. 84
Aproſius. *Angelicus.* 137
Ariſius *Franciſcus.* 94
Arndius *Carolus.* 8. 125.
Arnoldus *Gothofredus.* 151
Auracherus *Iohan. Iacob.* 134

B.

Bailletus *Adrianus.* 118
Barberius *Ioſephus.* 133
Baruffaldus *Hieronymus.* 96
Bayer. *Io. Guilielmus.* 134
Becmann. *Io. Chriſtoph.* 36
Bergellanus *Io. Arnoldus.* 18

Bernier. 111
Betza *Theodorus.* 81
Beuerouicius *Iohannes.* 52
à Beughem *Cornelius.* 53
Blondellus *Dauid.* 38
Blum *Io. Christianus.* 53
Bœrnerus *Christianus Fridericus.* 149
Bœttner *Gottfried.* 133
Bonannus *Philippus.* 106
Bostius *Arnoldus.* 107
Brehm *Ioh. Rudolphus.* 105
de Bresler *Ferdinandus Ludouicus.* 144
Bressianus *Iosephus.* 94
Brunfelsus *Otto.* 110
Budæus *Grilielmus.* 81
Buddeus *Io. Franciscus.* 23. 143
Burksdale *Claudius.* 103

C.

Campanella *Thomas.* 150
Canterus *Guilielmus.* 19
Capacius *Iulius Cæsar.* 51. 85
Caramella *Horatius Dominicus.* 114
Carrera *Petrus.* 97
Casaubonus *Isaacus.* 146
Caveus *Guilielmus.* 108
Celius *Caspar.* 116
Cesare *Carlo.* 117
du Chesne *Andreas.* 93. 143
Chevillier *Andreas.* 62
Cinellus *Iohannes.* 95 140

Clarmund *Adolphus.* 82
le Clerc *Daniel.* 111
Colomesius *Paulus.* 131. 138
Constantinus *Robertus.* 19
Contarenus *Caspar.* 149
Coronelli. 144
de Costa *Hilario.* 51
Crasso *Lorenzo.* 115
Crenius *Thomas.* 127. 132. 140. 150.
Cunrad *Io Henricus.* 87
Cyprianus *Ernestus Salomon.* 150

D.

Dahlmann *Petrus.* 137
van Dale *Antonius.* 23
Daumius *Christianus.* 115
Deckherrus *Ioh.* 135
Dietericus *Iohan.* 90
Drusius *Iohan.* 23

E.

Eberhard *Daniel.* 105
Ebertus *Ioh. Caspar.* 51
Esbergius *Ioh.* 52. 88

F.

Faber *Tanaquillus.* 115
Fabricius *Io. Albertus.* 4. 58. 91. 93. 112. 113. 123. 140.
la Farina *Aloysius.* 98
Feustelius *Christianus.* 44. 134
de Ficorini *Franciscus.* 22
Ficerus *Daniel.* 90

Fran-

Francisci *Erasmus.* 53
Fregosus *I. B.* 52
Frisius *Io. Iacobus.* 17
Fronton. *Iohannes.* 52

G.

Gallæus *Philippus.* 82
de Garenze. 131
Gauricus *Pomponius.* 114
Geerkens *Simon Dietericus.* 105
Geislerus *Fridericus.* 136
Gerdes *Henning Ioachim.* 35
Gesnerus *Conradus.* 2. 3. 16
Gigli *Girolamo.* 96
Gnospius *Ioh. Ephraim.* 105
Gœtzius *Georg. Henricus.* 39. 53. 86. 133, 139
Grapius *Zacharias.* 105
Grœningius *Iohannes.* 14. 73
Groschuffius *Hieronymus Augustinus.* 15. 76. 147
Gryphius *Christianus.* 124. 133
Gundling *Nicolaus Hieronymus.* 71
Gyraldus *Lilius Gregorius.* 114

H.

Habichorst *Andreas Daniel.* 92
Hall *Antonius.* 101
Hallervordus *Iohan.* 112
Halicarnassensis *Dionysius.* 126
Hanck *Martinus.* 87
Hausmann *Io. Ernestus.* 53
Henriquez *Chrysostomus.* 107
Herbelotius *Bartholomæus.* 105

Herbinius *Iohannes.* 52
Hollandus *Henricus.* 104
Hondius *Henricus.* 82
Huetius *Petrus Daniel.* 38

I.

Ianus *Daniel Fridericus* 133
Ienichius *Petrus.* 92
Ioch. *Ioh. Georg.* 109
Ittigius *Thomas.* 38
Iudex *Matthæus.* 161
Iunckerus *Christianus.* 32
Iunius *Franciscus.* 116
Iustinianus *Fabianus.* 19

K.

Kalkhofius *I. C.* 91
Kennet *Basilius.* 115
Knesebeck *Christianus Matthæus.* 13
Kœnigius *Georgius Matthias.* 53
Kortholdus *Sebastian.* 36. 39. 115. 125
Krause *Ioh. Henricus.* 76
Krebsius *Io. Fridericus.* 38

L.

Lambecius *Petrus.* 4
Legatus *Laurentius.* 95
Lehmannus *Petrus Ambrosius.* 92
Leigh *M. Michaël.* 105
Lelandus *Iohan.* 101
Lilienthal *Michaël.* 12
Lilius *Hieronymus.* 96

Lindenbergius *Caspar.* 163
Löscherus *Valentinus Ernestus.* 130
Lucius *Petrus.* 106
Ludouici *Godofredus.* 114. 135

M.

Magnus *Ioh. Samuel.* 91
Magnus *Philadelphus.* 98
Maitaire *Michaël.* 162
à Mallincrot *Bernhard.* 112
Mandosius *Prosper.* 138
van Mander *Carolus.* 117
de la Mare *Philibertus.* 93
Maruillius. 131
Matthæus *Ioannes.* 52. 94
Mayerus *Ioachim.* 139
Mayerus *Ioh. Fridericus.* 122. 136
Meibomius *Hermannus Dietericus.* 123
Menckenius *Ioh. Burcardus* 90. 132. & 134
Meurerus *Ioh. Vlricus.* 137. 139
Möllerus *Ioh.* 12
Mollerus *Daniel Guilielmus.* 95
Mongitor *Antonius.* 99
Moreau *Renatus.* 93
Morellus *Guilielmus.* 162

N

Naudæus *Gabriel.* 15
Neander *Michaël.* 38
de Neapoli *Carolus.* 97
Neumannus *Georg. Fridericus.* 133
Neumannus *Ioh. Georgius.* 153

Neumeister *Erdmannus.* 128
Neuus *Io. Christianus.* 123
Nicolsonus *Guilielmus.* 123
Nogarola *Ludouicus.* 112
Nostradamus *Iohannes.* 115

O.

Olearius *Ioh. Gottlieb.* 108. 149
Olearius *Gottfried.* 53. 107

P.

Pamphilus *Iohan.* 106
Pantkius *Adam.* 89
Pars *Adrianus* 100
Paschius *Georg.* 125
Pelissonus. 93. 156.
Pellerinus *Iohannes.* 68
Philips *Eduardus.* 115
Phragmenius *Ionas Iohannes.* 105
du Pin *Ludouicus Ellies.* 108
Pinus *Tholosanus Io.* 51
Pippingius. *Henr.* 86
Pitseus *Iohannes.* 101
Placcius *Vincentius.* 11. 14. 52. 133
Poirettus *Petrus.* 152
Potzerne *Beniamin.* 91
Preusmannus *Adrianus.* 105
Pritanio *Lamindo.* 68

Q.

Quade *Michaël Frider.* 95

R.

Ragusa *Hieronymus.* 98
Raz-

Razzi *Saluanus.* 116
Richardus *Bartholomaeus Christianus* 92
Richey *Michaël.* 133
Reimmannus *Iac. Frider.* 9. 23. 90. 126
Rittmeierus *Christoph. Henricus.* 147
Riuinus *Andreas.* 161
Rœschelius *Io. Baptista.* 134
Rollius *Reinhard. Henric.* 86. 109
de la Roque. 76
Rüdiger *Ioh. Christoph.* 82

S.

Sandius *Christoph.* 112
Sauonarola *Raphael.* 7
du Saussay *Andreas.* 154
Scioppius *Caspar.* 55
Scipio *Marcus Antonius.* 107
Scultetus *Dauid.* 39
Schenckius *Io. Georg.* 112
Schindlerus *Caspar. Theophilus.* 87
Schmidt *Sam. Theodorus.* 134
Schrammius *Io. Mauritius.* 149
Schröderus *Christoph. Iacob.* 53
Schultze *Frider. Ernestus.* 133
Schultzius *Georg. Petrus.* 89
Sendlerus *Georg Ernestus.* 139
Serpilius *Georg.* 90
Simlerus *Iosias.* 17
Simon *Dionysius.* 110
Simon *Richardus.* 132
Siöbertus *Gabriel.* 105

Smith

Schmith *Thomas.* 85
Soprani *Raffaël.* 117
Sperlingius *Otto.* 52
Spizelius *Theophilus.* 38. 109
Starckius *Caspar. Henricus.* 135
Stella *Antonius.* 97
Stengelius *Carolus.* 107
Stephani *Carolus.* 162
Stephanus *Robertus.* 162
à Suppenstein *Henricus.* 140

T.

Thiboust *C. Ludouici.* 161
Thomas *Frider.* 91
Thomasius *Iacob.* 52
Tollius *Cornelius.* 133
Trevisanus *Bernhardus.* 68
Trithemius *Iohannes.* 106. 107
Turretinus *Ioh. Alphonsus.* 54

V.

Valentinus *Michaël Bernhard.* 160
Valerianus *Ioh. Pierius.* 133
Vedriani *Ludouico.* 117
Verderius *Antonius.* 17
Verderius *Claudius.* 54
Vhlius *Io. Andreas.* 144
Viginti millius *Ioannes.* 98
Villanius *Io. Petrus.* 137
Vittorio *Vincenzo.* 117

W.

W

Weberus *Imm.* 92
Wionus *Arnoldus.* 107
Wolfius *Io. Cristoph.* 135
Woltereck *Christoph.* 76
à Wood *Antonius.* 103

Z.

Zeumer *Ioh. Caspar.* 92

FINIS.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO HISTORICO LITTERARIA DE

DOCTIS IMPOSTORIBVS

QVAM RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. WILHELMO HENRICO,

DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ MONTIVM, ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ & reliqua

INDVLTV

INCLVTI PHILOSOPHORVM ORDINIS

PRO LOCO

in eodem rite obtinendo

PRAESES

BVRCARD GOTTHELFF STRUVE,

Phil. & I. V. Doctor.

RESPONDENTE

IOANNE CHRISTOPHORO DORN

Schleusinga Hennebergico

ad d. Iulii MDCCIII.

publice exhibuit.

Editio secunda Auctior & emendatior.

IENAE, LITTERIS MVLLERIANIS.

Summaria.

§. I. Vera Sapientia homines facit virtuosos. §. II. Eruditis vitia propria plagium latrocinia, suppositiones & librorum furtum. §. III. Quas ob causas suppositiones factæ. §. IV. Hegesippus doctus impostor non fuit. §. V. Quis fuerit, & an ab Ambrosio latine factus. §. VI. Alter impostor, qui sub nomine Hunibaldi latet. §. VII. Tertius impostor sub nomine Turpini. §. VIII. An sub libro Gildæ Sapientis de excidio Britanniæ imposturæ lateat. §. IX. Singularis impostura hæret in libro de tribus impostoribus, & quis eius auctor habeatur. §. X. Multi ex amicorum relatione talem librum extare, probare volunt. §. XI. Contenta libri quæ dicantur. §. XII. An Petrus Aretinus pro auctore possit haberi. §. XIII. Quinam librum impressisse dicantur. §. XIV. Multi negarunt librum in rerum natura extitisse. §. XV. Respondetur Tentzelio. §. XVI. Ex Campanellæ Atheismo

Triumphato probatur, librum extitisse, forsan a Bocacio editus § XVII. Confirmant hoc alia §. XVIII. Ortus est liber ex nefario quodam apophtegmate §. XIX. Huius apophtegmatis primum auctorem faciunt Simonem Tornacensem. §. XX. Dein attribuitur Friderico II. §. XXI. Fridericus II ipse se excusat. §. XXII. Excusatur etiam testimonio aliorum. § XXIII. Inculpatio hæc ex impostura clericorum fuit orta. § XXIV. Alii sub hoc titulo de tribus impostoribus de certis quibusdam impostoribus egerunt. §. XXV. Ioannes Annius, Viterbiensis, lapides & inscriptiones nouas pro antiquis venditauit. §. XXVI. Similis est impostura Henrici Caiadi §. XXVII Eandem tentauit Parisius de Grassis. § XXVIII. Eiusdem antiquitatum libri sunt suppositítii. §. XXIX. Quinam scriptores eius imposturas detexerint. §. XXX. Fuere tamen qui Annium excusarent §. XXXI. De imposturis & fato Alphonsi Cicarelli. §. XXXII. Quid sentiendum de supposititiis Francisci Balduini, Francisci Burcardi & Florimundi Ræmundi. §. XXXIII. Caspar Scioppius, dum Casaubono Coronam Regiam supponeret, est doctus Impostor. §. XXXIV. Satyra sotadica impostoris est, non Aloysiæ Sigææ, fœminæ pudicissimæ. § XXXV. Nec Ioanni Meursio iuniori attribuenda. §. XXXVI. Verus

Verus auctor Ioannes Westrene, Ictus Hagiensis. § XXXVII. Sigonius auctor tractatus, qui sub Ciceronis nomine prodiit de consolatione. § XXXVIII. Alii tamen tribuunt Carolo Vianello, Veneto. §. XXXIX. Alii scripta propria amicis suis sub ipsorum nomine edenda concesserunt, vel aliud tantum nomen antiquius adsumunt qui proprie non sunt impostores. §. XL Multa Manuscripta recentiora pro antiquis venditantur. §. XLI Ex suppositione diplomatum multæ lites: quod exemplo Lindauiensis controuersiæ illustratur. § XLII. Scaligeri & Scioppii controuersia, se inuicem pro impostoribus habentes §. XLIII Curtius Inghiramius antiquitatum Hetruscarum fragmenta effinxit. § XLIV. Qualis impostura in nummis. § XLV. Exemplum imposturæ in Hassiaco vnciali. §. XLVI. Petrus Alcyonius an tractatum de toleranda exilii fortuna ex Cicerone de gloria hauserit. §. XLVII. Ioannes Iouianus Pontanus an impostor. §. XLVIII. Angelus Politianus inculpatur, quasi translationem Herodiani non ipse composuerit. XLIX. Georgius Rüxnerus verus impostor, in libro suo torneamentorum. §. L Tertia species eorum, qui Msta ex bibliothecis furati. Exemplum Didaci Mendozæ a quibusdam adducitur. §. LI. Henricus Lindenbrogius ex bibliotheca

theca S. Victoris, Parisiis Msta furatus. §. LII. Eiusdem ex bibliotheca Suecica inculpatur Isaacus Vossius. §. LIII. Leo Allatius an libros ex Heidelbergensi Bibliotheca distraxerit. §. LIV. Matthias Flacius ex bibliothecis monachorum, multos historicos suffuratus.

§. I.

SApientiam homines facere virtuosos, nemo facile denegabit. Hæc autem eruditione adquiritur, quæ iusta esse debet & solida, non superficiaria. Nec desunt etiam exempla eorum, qui solide eruditi excelluerunt, virtutesque sapientiæ proprias excoluerunt. Ita, vt vere sapientes extare nullos certum sit, qui non sunt virtuosi. Cum tamen hodie dicantur eruditi omnes, qui litterarum doctrinis clari, licet veram sapientiam non sectentur; varia quoque vitia animaduertere in iisdem licet atque censere. Notare igitur liceat Claramontium libidinosum & salacissimum, Bullengerum falsarium monetæ, Muretum homicidam, Baudium ancillariolum & luxui deditum, atque alia eruditorum carcinomata. Sapientiam enim vel Deus præbet, vel ratio, vel diabolus: inde oritur sapientia vera, superficiaria vel falsa; homi-

homines christiani, naturales, profani. Vtrumque pessimum, media tamen classis nos iam occupabit.

§. II.

Neque tamen hæc solum & similia vitia in eruditis licet animaduertere, quæ cum aliis habent communia, sed etiam sunt quædam ipsis quasi propria. Fraudes scilicet & imposturæ. Illarum varia sunt genera: Inter potiora numero plagium, latrocinia, suppositiones & librorum furtum. Suppositionum variæ sunt species: quando in veterum monumentis vel voces, vel integræ periochæ mutantur, de quibus Ioannes Clericus egit de arte Critica *p. III sect. II cap. I.* vel si integra scripta supponuntur, quod fit, quando quis suos fœtus aliis vel mortuis vel viuis supponit, siue vt lateat, aliud nomen vel verum vel fictum adsumit: siue quando quis aliorum nominibus abolitis, suum substituit aut alienos fœtus pro suis venditat, vti tales species enumerat Morhofius polyhist. lib. I. cap. IX. De hisce autem alii iam multum egerunt. De plagio quidem erudite Iacobus Thomasius, & qui hunc continuauit, Almelouenius & Ioannes Albertus Faber. Plenius vero, quod de plagiariis promiserat opus Adrianus Bailletus, nondum est editum. De latrociniis pontificiorum egit Löscherus. De reliquis suppositionis speciebus Clericus & Morhofius.

ſius. Quare ſingularem ſaltim doctorum impoſtorum hiſtoriam hic breuibus percenſebimus. De illis autem potiſſimum agemus, qui ſcriptis ſuis illuſtrium nomina præfixerunt, vel vt fidem aliquam ſcriptis facerent, vel vt fallerent ementes, vel vt ſententiam ſuam ſtabilirent. Altera doctorum impoſtorum nobis ſpecies eſt, quando quis integrum alterius ſcriptum in bibliotheca forſan repertum, præfixo nomine, pro ſuo venditat. Tertiam ſpeciem facimus furtum Manuſcriptorum & librorum ex bibliothecis.

§. III.

Varias autem ob cauſſas factæ fuerunt tales ſuppoſitiones. *Priſcis* enim *temporibus* ait Franciſcus Patritius *Tomo I diſcuſſionum Peripateticarum libro III, in more fuit, vt, ſi cui libro auctoritatem accedere cuperent Scriptores, vel Dei alicuius, vt Ægyptii Mercurii, vel hominis inſignis, nomine ornarent: reuerentia ſcilicet quadam, vel etiam, quod vendibiliorem eo nomine ſperarent fore; vel quod fœtui proprio, alieni nominis quam ſui inſignibus, gratiam maiorem conſequi ſperarent ac immortalitatem.* Hinc Io. Wovverus *de Polymathia cap. XVI.* n. 8. huius erroris & impoſturæ tres potiſſimum cauſas videri dicit; primam, plurium auctorum *ὁμωνυμίαν*, ſecundam, ſimilis argumenti tractationem, tertiam denique pretium librorum: addimus quartam, vt ſententiam ſuam

ſta-

ſtabilirent. Hinc factum, ait Ioannes Mollerus de homonymoſcopia *p. 30*, vt Iudæi ſub Abrahami, Salomonis, Esdræ: Philoſophi ethnici, ſub Hermetis, Zoroaſtris, Pythagoræ, Democriti, Platonis, Ariſtotelis, Hippocratis, Theophraſti & aliorum nominibus in publicum laruati prodirent; vt Chriſtiani Sibyllis Oracula de religionis ſuæ myſteriis ἔμμετρα, Gentilibus, apud quos ſumma fatidicarum harum mulierum erat auctoritas, veritatem iſtorum ac ſanctitatem commendatura, adfingerent. Hinc factum, vt hæretici eccleſiæ priſcæ aliique impoſtores in euangeliis, actis, epiſtolis, apocalypſibus & liturgiis variis, Petro, Matthæo, Marco, Ioanni, Iacobo, Philippo, Andreæ, Matthiæ, Thomæ, Iudæ, Thaddæo, Bartholomæo, Stephano, Barnabæ, Nicodemo, Lino, Dionyſio, Areopagitæ ſuppoſitis, opiniones ſuas erroneas atque deliras clam ſpargerent. Subnectit Mollerus aliqua exempla, ſed iſta ad pſeudonymorum potius quam impoſtorum faciunt hiſtoriam, quare lectorem eo remittimus.

§. IV.

Non dicemus iam de pſeudo nouo Teſtamento, de quo Ioannes Andreas Schmidtius, & nuper demum Ioannes Albertus Fabricius, ſpeciatim egerunt: nec de ſuppoſititiis patrum ſcriptis, ab antiqui nonnunquam ad ſtabilienda dogmata ſuppoſitis, de quibus

Caue, Cocus & Riuetus, ſed de aliis & præcipue hiſtoricis, atque recentioribus. Primus nos occupabit, quem pro impoſtore habent communiter, HEGESIPPVS, quod nomen a Ioſippi, hoc ex Ioſephi nomine efformatum eſſe tradunt. Hunc Vosſius de Hiſtoricis Græcis lib. II. c. XIV. ſuppoſititium habet. Vosſium ſequuntur alii, & communis eſt ſententia, Hegeſippum eſſe impoſtorem, qui ſcripta ſua pro ſcriptis Ioſephi, inſignis rerum Iudaicarum ſcriptoris venditauerit. Sed vnde concludant ſe pro Ioſepho venditaſſe, non video. Extat quidem latina verſio ſcripti cuiusdam ſub Hegeſippi nomine, *de bello Iudaico & vrbis Hieroſolymitanæ excidio*, *Coloniæ 1575. 8.* per Cornelium Gualterum aliosque edita. Hoc ſcriptum eſſe dicunt, quod tanquam Ioſephi haberi voluerit. Sed ſi initium prologi inſpiciamus, facile adparebit, ipſi animum non fuiſſe, vt pro Ioſepho haberi vellet, cum ad Ioſephum ipſe remittat. Verba eius hæc ſunt: *Quatuor libros regnorum, quos ſcriptura complexa eſt ſacra, & iam ipſe ſtylo breui perſecutus vsque ad captiuitatem Iudæorum murique excidium & Babylonis triumphos hiſtoriæ in modum compoſui. Maccabæorum quoque res geſtas propheticus ſermo paucis abſoluit: reliquorum vsque ad incendium templi & manubias Titi Cæſaris relator egregius hiſtorico ſtylo Ioſephus, vtinam tam religioni & veritati atten-*

tentus, quam rerum indagationi & sermonum sobrietati. In ipsa historia, Iosephi facta non solum recenset, sed etiam ipsius Iosephi de Iesu crucifixo testimonium citat *lib. II. cap. XII. p. m. 260.* Quod argumentum sole est clarius, nec se pro Iosepho, nec scriptum suum pro illius haberi voluisse. De ipso etiam Iosepho Gorionide instaurandis muris præfecto *lib. II. cap. III.* agit. Qualis ergo impostor? Forsan quod multa hausit ex Iosepho, quod non negandum, sed breuiter complexus est atque in epitomen redegit, quæ latius persecutus fuerat Iosephus, additis hinc inde aliis, Iosepho non memoratis. An ergo mentitus est Hegesippum, quem Hieronymus de Scriptoribus *cap. XII.* vocat *Vicinum Apostolicorum temporum.* Sed neque hic animus fuisse videtur nostri, cum & Francorum, vrbis Constantinopoleos aliarumque rerum posterioris longe ætatis mentionem faciat, ex quibus Gronouius *obseruat. in scriptoribus ecclesi. lib. I. cap. I. p. 5.* concludit, scriptorem esse seculi quarti.

§. V.

Hoc itaque cum certum sit, huius scripti auctorem impostorem non esse, hoc adhuc superest, vt videamus, quis ergo fuerit. Iudæum quendam Gallum fuisse probare nititur Iosephus Scaliger in elencho trihæresium *cap. IV & V.* Hoc sane adserere ausim, nec Iosephi nec Hegesippi nomen habuisse.

Sed

Sed Iosephi vel Iosippi a Iudæis fuisse attributum ex errore, cum ex conuenientia tituli iudicarent, scriptum esse Iosephi. Quare in antiquioribus Codicibus Iosippi potius nomen præscriptum legitur quam Hegesippi, Caue *hist. litter. script. eccles. ad ann. 374.* Sunt qui Ambrosio attribuant huius scripti translationem, inter quos Ludouicus Viues *ad Augustinum de Civ Dei lib. XXI cap. V.* Ita Mabillonus *Itin. Italico p. 41.* in Msto Bibliothecæ Ambrosianæ ita inscriptum testatur: *Ambrosius episcopus e Græco transtulit in latinum.* Hinc etiam Ascensius in editione Hegesippi, quam impressit *Parisiis 1511. f.* in titulo Ambrosium translatorem facit. Barthius quidem *aduersar. l. XXXIV. c. XI.* monachorum impudentiam increpat, quæ hanc translationem Ambrosio adscribant, cum tamen liber non plane sit inutilis, non penitus hoc denegare ausim. An autem hebraice vnquam editum sit hoc scriptum, a plerisque in dubium vocatur.

§. VI.

Alterum facimus qui sub nomine HVNIBALDI latet. Hunc Trithemius, Latzius, Beroaldus & alii seculo VI, Clodouæi temporibus vixisse putant, ex eo, quod in Clodouæi temporibus desinat. Sed Pontanus *origg. Francicarum lib. III. cap. II.* falsum hoc dicit, partim quod abiecto sermone vtatur, cum tamen Sidonius Apollinaris & Boethius satis belle

belle loquantur. Maxime vero, quod Ratherum, qui vixit anno Christi LXXXIX, Roterodami conditorem faciat, cum tamen Hadrianus Iunius in historia Batauiæ *pag. 295.* probet, extremam vrbis antiquitatem vltra trecentorum annorum curriculum, vsque ad sua tempore non currere, eandemque a Rota riuo, hoc nomen accepisse. Vel hoc solum satis indicat, scriptorem vix ante trecentos annos vixisse. Immo Pontanus multos errores historicos eidem monstrauit. Hic autem Hunibaldus, vti habet Trithemius in Compendio, & ex eo Gesnerus, ex carminibus & scriptis flaminum suæ gentis continuauit *Wasthali historiam* per annos 926, vsque ad Clodouæi annum vltimum. Scripsit autem XVIII libros historiarum. In primis sex libris tractat res Troianas, vsque ad mortem Antenoris. Hinc sex aliis libris progreditur vsque ad Faramundum regem. Sequentibus pertingit vsque ad tempora Clodouæi. Vltimos duodecim Hunibaldi libros Trithemius redegit in Compendium, quod inter alia eiusdem opera statim ab initio extat. De hoc Hunibaldo varia sunt iudicia. Vossius de historicis latinis *lib. II. cap. XXII.* vocat *ferrei oris, plumbei cordis scriptorem, qui non modo promat Romanis indicta, sed plane repugnantia, vt fidem ei habere non possimus, nisi Romanis omnibus detrahamus.* Pontanus *origg. Francicarum l. II.*

l. II. c. V. Fabulosum dicit & barbarum. Quidquid tamen sit, in tanta litterarum luce non desunt, qui pro vero scriptore habeant. Trithemius quidem *solidum Francorum historiographum*, eiusdemque opus vocat *insigne opus:* quem sequitur Latzius de migratione gentium, qui pleraque sua ex Trithemio. Vt dicam, quod res est, historiam ipsam fabulosam esse, certum. Auctorem autem aliquem esse ex Franconia, qui gentis suæ laudem tam effronti atque enormi sub titulo prostituere, insano quodam cacoëthe voluerit. Scriptor ergo recentior quidam est, qui se sub antiquo nomine Hunibaldi, Franci abscondere voluit.

§. VII.

Tertium impostorem facimus, qui sub nomine TVRPINI historiam Caroli M. descripsit. Historia hæc, quam inter alios rerum Germanicarum scriptores habet Iustus Reuberus, tot ac tantis fabulis est conspurcata, vt facile pateat, institutum auctori fuisse, fabulas tantum proponere, non veritatem. Mirabilia enim sunt, quæ de Rolando M. eiusdem gladio & Cornu memorat, quæ facile persuadent, quid de fide Scriptoris sentiendum, ita, vt recte iudicet Hottomannus in Franco-gallia c. V. esse *fœtum hominis stolidi atque imperiti, qui non vitam sed fabulas scripserit.* Erat quidem Turpinus Caroli M. coœuus,

primum

primum monachus S. Dionysii, post ab Adriano VI. P. M. archiepiscopus Rhemensis factus, atque vir magnæ apud Francos auctoritatis, qui etiam libris duobus vitam Caroli M. scripsisse dicitur Trithemio. Sed facile patet, hominem quendam malæ sortis abusum fuisse nomine Turpini, vt eo maiorem scripto suo conciliaret auctoritatem. Suppositum autem scriptum esse, adparet ex eo, quod scriptor iste cap. XXXII. obitus Caroli M. faciat mentionem, cum Turpinus ante Carolum M. esset defunctus. Flodoardus enim lib. II. cap. XVIII. auctor est, quod post eius excessum, Carolus M. Rhemensibus archiepiscopum dederit Walfarium.

§. VIII.

In hunc numerum refert etiam Polydorus Vergilius GILDAM de excidio Britanniæ, dum Historiæ Britannicæ libro primo ita loquitur: *extat idem alter libellus, vt tempestiue lectorem nefariæ fraudis admoneamus, qui falsissime inscribitur, Gildæ Commentarium, haut dubie a quopiam pessimo impostore compositum ad corroborandum cuiusdam noui hominis commentum. Sane is nebulo, longe post homines natos impudentissimus, summatim illud ex eiusmodi noui auctoris farina dealbauit, crebro*

facta

facta Bruti mentione, id quod Gildas, nunquam somniauit: &, vt callidius legentes falleret, quaedam ex suo addidit: quo vel duos fuisse Gildas, vel hunc libellum Gildae prioris opusculi compendium crederes. Quorum tamen vtrumque tantum abest, vt a doctis recipiatur, vt etiam vnusquisque mediocriter eruditus, id doli facile deprehendat, ac pro impostura habeat. Sequitur eundem Vossius de Historicis Latinis lib. II c. XXI. Quidquid tamen sit, Gildam defendit eademque Polydori refellit Vsserius Antiqq. ecclesiarum Britannicarum cap. XIV *p.* 557. Adsentitur ipse Vossius de natura Poëtices cap. VI § 9 & ideo sententiam mutasse videatur Caue Historia Script. Eccles. p. 300.

§. IX.

Singularis impostura versatur circa librum de tribus impostoribus magnis. Varia de eodem est sententia. Sunt qui editum dicunt, de auctore controuertentes, partum hunc viris quibusdam eximiis attribuentes, vt eo maior scripto concilietur auctoritas: sunt qui plane editum negent. Inter priores Thomas Broune *sect.* XIX. *de religione medici* attribuit Bernardino Ochino, quem sequitur Scauenius. Moltkenius tamen in notis, Ochinum auctorem pro certo habere

habere non audet. Henricus Ernſtius *obſeruationum variarum lib. II. cap. XXXVI.* varias de eo relationes habet: *Libellus* inquit, *de tribus impoſtoribus dignus, vt imis ceris, quod dicitur, eradatur. Faciunt nonnulli eius auctorem Poſtellum, qui egregium illud opus de Concordantia orbis compoſuit. Certum eſſe aiunt, quod in horrifica inciderit deliria, ita, vt dixerit, ſe liberaſſe ab æterna morte viros, matrem autem eius, fœminas. Thomas Campanella, ſcriptor peſtilentisſimæ chartæ de Monarchia Hiſpanica, Romæ mihi retulit, M. A. Muretum libellum illum ſcripſiſſe. Hæc quomodo ſe habeant, ego certo neſcio, hoc tamen non ignoro, quod diabolus princeps eius auctor ſit.* Claudius Berigardus in proœmio Circuli Piſani *p. 5.* Auerroem pro auctore venditat, ita tamen, vt libris ſuis ſaltim materiam ad hunc noſtrum ſuppeditauerit. Ioannes Deckherus de ſcriptis adeſpotis *p. 119* conſtanter Ochino tribuit, ob famam publicam, ſcripti & ſcriptoris ætatem, auctoritatem a Placcio adductam, denique pesſimam viri æſtimationem. Samuel Mareſius *de Ioanna Papiſſa p. m. 196.* de Boccatio ſuſpicionem mouet. Alii Poggium Florentinum, alii Petrum Pomponatium, Merulam Mahumedanum, Franciſcum Puc-

cium, vel Miltonum Anglum auctorem faciunt. Guilielmus Postellus auctorem libri fecit Arnoldum Villanouanum: vti testantur Naudæana *p. 129.* Nec desunt, qui Stephanum Doletum non auctorem tantum, sed hanc etiam ob caussam Lugduni 1553. exustum dicant. Singularia sunt, quæ ex Iesuitæ cuiusdam libello, quem contra Synodum Galliæ Nationalem anni 1612 edidit & inscripsit, Simei Geneuensis in programmate suo verba refert Mayerus p. 3. *Gualterus Peccaisensis Gubernator accusauit Bansillonium apud synodum, ac si is a Medico quodam Lugdunensi falsis artibus quatuor coronatorum millia extorserit, ei artem & secretum aliquod, quod metallicam exactionem vendendo, item, quod quotidie Alchymiæ studeret, & monetam adulteraret, quæ omnia a Medico quodam nomine Bornaud didicisset, quem ob Arianismum, domi tamen, & scriptum pestilens (cuius titulus omnes percellat & horrore comas erigat) de tribus Impostoribus Mose, Christo, & Mahomete excommunicatum detinuerat.*

§. X.

Neque tamen solum de auctore controuertunt, sed cum alii de libro dubitent, eundem existere, omnino probare conantur.

tur. Ita Morhofius testatur, quod hunc librum legiste & ex eo quædam excerpsisse videatur Claudius Berigardus in Circulo Pisano, *p. III. Circ. III. p. 230.* Mersennus pluribus tractat, librum hunc extare, & Mullerus de Atheismo deuicto *prolegom. C. II. p. 19*, ita loquitur: habetur iste liber in Bibliotheca quadam Principis publica mihi notissima. Ob trectator quidam religionis & ministerii possidebat istum, sed mortuo illo, hæredes librum exurebant. Archiater quidam Principis viri retulit mihi, se librum sæpe numero versasse manibus & perlegisse, quod idem factitarit ille, cui a medicina erat. Mayerus etiam Saluii ad eundem Müllerum epistolam inseruit tractationi suæ de hoc libro, qua patet & Müllerum eius habuisse facultatem, cum ita ad Müllerum scribat, vt de eo iam certus sit. Florimundus Ræmundus de Origine Hæresium libro II cap. XVI hæc testatur: *memini me puerum in Collegio Prelano exemplar vidisse apud Petrum Ramum, hominem excellenti doctrina præditum, nisi in pervestigandis religionis secretis multum operæ ac studii ponens, ea ad Philosophiæ leges expendisset.* Quod si Melchiorem Adami in vita Caluini *p. 41* audimus, libellus hic, vel similis Geneuæ anno 1547 fuit exhibitus: *Siquidem per id tempus quidam famosum*

libellum ſcripſiſſe, & ſacro pulpito adfixiſſe deprehenſus; in quo tum alia multa nefaria in ſacrum miniſterium, tum etiam illud ſcriptum erat; Caluinum eſſe in Rhodanum præcipitandum; cauſſa dicta infinitarum aliarum blasphemiarum præter expectationem conuictus, capitis ſupplicio adfectus eſt. Quin etiam poſt eius interitum inuentus eſt libellus ipſius manu aduerſus Moſen, ipſumque adeo Chriſtum profeſſo ſcriptus, quo impietatis ſcelere dubium non erat, quin alios etiam aliquot infeciſſet. Nihil quidem hic de Mahumede; reliqua vero reſpondent. De Ramo teſtatur Florimundus Ræmundus, quod hunc librum legerit deambulando. Chriſtianus Kortholtus prolegomenis, quæ præmiſit libro ſuo de tribus impoſtoribus magnis, monet, non adeo pridem ſibi virum doctum adfirmaſſe, ſe in Potentiſſimi cuiusdam Germaniæ Principis bibliotheca aulica librum iſtum conſpexiſſe. Similiter amicum alium, cuius fides ipſi eſſet perſpecta, retuliſſe, ſe librum illum Geneuæ 1666 apud bibliopolam quendam vidiſſe & inſpexiſſe. Adſentitur hiſce Io. Frid. Mayerus, qui ſingulari de hoc libro edito programmate, variis rationibus probare contendit, librum omnino eſſe editum. Sed, ſi omnium teſtimo-

teſtimonia conſideremus, tota res redit ad aliorum relationem. Ipſe de amico teſtari poſſum, qui adfirmauit, ſe posſidere talem librum lingua Italica ſcriptum, quem tamen multis petitis ad videndum adipiſci non potui.

§. XI.

Ne tamen de libri certitudine dubitetur, contenta quoque eiusdem deſignantur, Tentzelius ex litteris communis noſtri amici delineat, quibus integrum librum octo conſtare plagulis teſtatur. Primo capite agitur de communibus hominum præiudiciis; ſecundo in originem inquiritur, qui factum, quod homines Deum, quem minime videant, credant, quod in ſola imaginatione putat conſiſtere, quare etiam de Bibliis male iudicat. Tertio capite religionem ex ſola ambitione ortam probare contendit, impie de Moſe & Chriſto loquitur, poſtmodum etiam Mahumetem addens. Demum de inferno, diabolo aliisque rebus agit, Verum audiamus, quid Becmannus delineet, cuius verba ex Mayeri programmate *p. 13.* mutuo ſumemus: *Quidquid alii de hoc libro ſentiant, nobis initium famæ de eo figmentum potius, quam veri quippiam eſſe videbatur; ſecutis tamen temporibus librum talem vere ſcribi cœpiſſe, non diffitendum ducimus, ſed non vnum*

varium. Vnde & factum opinamur, vt varii eius auctores vulgo circumferantur. Alii, inter quos Digby libro quodam Anglice scripto, Bern, Ochinum auctorem faciunt. Alii Miltonum Anglum; omnes ætate & ingenio dispares, vnde tanto certius est, quod de eo modo diximus. Ipse Voëtius sæpe fassus fuit, se nec dum audiuisse, qui penes se illum fuisse testatus fuerit. Mersenum quoque eundem non vidisse, indicat, quod fide amici Aretinum accuset, non conscientia propria. Si quis tamen summam eius cognoscere velit, sciat, non alia eum continere, quam quæ ex Tacito, Iustino aliisque scriptoribus profanis congeri possunt. Quod ipse auctor in vniuersum genus humanum iniurius est, quod, cum opinionem aliquam abiicere debet, meliori ante instruendum est. Auctor vero Scripturæ auctoritatem dum dubiam reddit, alios auctores, quorum auctoritas æque dubia est, ei opponit; quæ summa vel ignorantia vel malitia est. Cœtera eius ita comparata sunt, vt miracula omnia extenuet, præpostero ordine, sed Atheis plane familiari, qui vt inuertendus sit, ex Theologia discendum. Ille, de quo loquimur, in

An-

Anglia iam ſub prælo fuit, ſed citius opinione auctoris innotuit, quo factum, vt exemplaria omnia combuſta fuerint. Contenta itaque delineat Becmannus, nihilominus ſuppoſititium librum habet, eundemque non vnum, ſed varium, qui factum, vt diuerſis adſcribatur auctoribus.

§. XII.

Sunt permulti, qui Petro Aretino adſcribant, idque ex rationibus, vti putant, non infirmis. Merſennus ex horum eſt numero, qui ex ſingulari cuiusdam amici, qui librum legerat, iudicio. ſtylum Aretini facile deprehendi teſtatur Commentario in Geneſin *p. 130* vid. Rhodii auctores ſuppoſititii *p. m.* 37 Spitzelius de Atheiſmo *p. 18 & 15.* Adſentitur Tentzelius Bibliotheca Curioſa anni 1704 *p. 491,* rationem addens, ſummam Aretini impietatem, commercium cum Turcis, Perſis atque Indis. Coniecturæ ſunt non adeo firmæ. De ſtylo iudicare non poſſumus, cum librum non viderimus, neque tamen certum inde argumentum concludi poſſe putamus. Vitæ impietatem cum Poggio aliisque communem habet: commercium cum Turcis, cum Campanella, vt nihil adeo nos moueat de Aretino.

§. XIII.

Immo deſignant alii typographum, per

quem nefarius iste liber editus: Mullerus Atheismo deuicto proleg. c. II v. 19 eundem anno 1614 per Nachtigallium quendam dicit fuisse impressum. Communis est opinio, Christianum Wæchelium, celebrem istum typographum librum hunc anno 1530 impressisse, ideoque iusta pœna diuina ad summam redactum fuisse paupertatem. Testatur illud Raynaudus in Hoplotheca Sect II *p.* 259. 260, dum ait: *opus de tribus magnis impostoribus, Mose, Christo, Mahumete, exitiale fuisse Wæchelio, insigni alias Typographo; sed eius libri pestifero attactu funditus euerso, referunt, qui legerunt, fide digni testes. Mihi incestare oculos tam infandæ scriptionis lectione, ad ingens scelus videtur pertinere.* Huic tamen asserto Bælius se opponit, non illum librum fuisse dicens, sed alium, qui infantes sine baptismo morientes condemnet. Nec sufficit Raynaudi auctoritas, cum Garassius in summa sua Theologica Wæchelium dicti libri de limbo infantum incuset.

§. XIV.

Nec desunt tamen, qui editum plane librum esse, negent. Dubitauit de eo olim Gabriel Naudæus, cum dixerit: *ie n' ay iamais vu le Livre de tribus Impostoribus, & ie crois qu'il n' a iamais eté imprimé & tiens pour mensonge tout ce qu' on en a dit.* Dubitauit etiam Grotius Appendice ad Commentarium de Antichristo

p. 133.

p. 133. In histoire des Ouvrages des Sçauans Februarii 1694. *p.* 278 extant excerpta ex dissertatione de la Monnoye, quibus probatur, hunc librum nunquam extitisse. Id quod etiam Richardus Simon in Epistolis suis selectis probat. Fama quidem fuit, hunc librum Roterodami extare in bibliotheca Baldeana, sed testatur Sebastianus Kortholtus, in præfatione ad patris librum de tribus impostoribus magnis ex litteris Petri Bælii: *falsissimum est, extare in bibliotheca Baldeana hic Roterodami librum de tribus impostoribus, videnturque mihi omnes suspecti esse debere vel nomine fidei, vel nomine diligentiæ, quicunque iactant se tale opus manibus triuisse.* Cui testimonio eo magis est credendum, quod satis notum sit, Bælium sedulum atque accuratissimum rei litterariæ esse indagatorem, & cui, cum ipse Roterodami viueret, optima fuit occasio de hoc libro certius inquirendi. Dubitat & ipse Bælius, qui librum ait esse non nisi chimæram, Dictionario p. 325. Ratio dubitationis eo videtur redigi, quod nefarium olim fuerit apophthegma, quod a seculo XII inualuit.

§ XV.

Hæc sunt, quæ in vtramque partem adducuntur rationes. Fateor, mihi, cum primum ederetur hæc dissertatio, fuisse persuasum, librum nec conscriptum, nec editum esse, sed, si quæ extent, quæ talem titulum

præ ſe ferant, eſſe ſuppoſititia, ab otioſis ingeniis confiĉta: totam rem redire ad nefarium quoddam apophthegma. Contradixit in Bibliotheca ſua Curioſa Tentzelius, iisdem innixus rationibus, quæ in diſſertatione fuerunt adducta, aliqua ſaltim de Aretino addens, cui eundem librum nefarium adſcribit. Fateor, Tentzelii rationibus me nondum fuiſſe commotum, cum ne vnicum quidem ſcriptorem adduxerit, qui non ex aliorum potius, quam ſua relatione loquatur. Quæ ex communis noſtri amici litteris contenta libri deſignat, aſſerto priori non obſtant, cum ſub hoc titulo libros ſuppoſititios ab otioſis ingeniis confictos extare non negauerim. Omnia iam ante nota fuerunt, cum iſtius notitiæ prima initia mihi Tentzelius deberet. Interim, hoc ipſi debeo, quod prioris diſſertationis vna cum introductione recenſionem in ſe ſuſcipere voluerit, mihique hoc ipſo occaſionem dederit, aliqua plenius indagandi.

§. XVI.

Vt autem dicam, qui mihi nunc videatur, librum non ſolum ſcriptum, ſed editum etiam eſſe, putem. Dum enim de Campanellæ Atheiſmo Triumphato agerem, forte fortuna incidi in eiusdem locum, qui in præfatione manuſcripta ad Scioppium continetur, quam Actis Litterariis faſciculo ſecundo inſerui,

inferui, dum ait *p.73. deinde accusarunt me, quod composuerim librum de tribus impostoribus, qui tamen inuenitur typis excusus annos triginta ante ortum meum ex vtero matris.* Tempus designat, & quod typis editus sit. Quantum ad tempus, natiuitas Campanellæ incidit in annum 1568. editus itaque liber erit anno 1538. Incidunt hæc, fateor, cum ætate Petri Aretini, neque tamen cum anno 1530, quo Wæchelius hunc librum dicitur edidisse. Ipse tamen Campanella Germanis potius attribuisse videtur, quam Italis, dum ait *p. 66 igitur cum non adpareant signa vera inter nos nisi raro, & ita quidem, quod somnia videantur & mendacia, similes videmur Turcis & Hebræis, proptereaque in Germania excuserunt librum de tribus Impostoribus, plenusque est mundus politicis Machiauellisticis & Atheistis.* Excusum autem apud Germanos librum fuisse dicit, non æque eosdem fuisse auctores. Audiamus de eo eundem Atheismo triumphato cap. II, *quod si,* ait, *dicat Christianus, mendacia esse: dicent & ipsi de Christianis idem, cum Iudæis. Nam & Gentiles Moysi miracula negarunt, & tribuerunt ea casui, vt legimus apud Corn. Tacitum & Iustinum, Historicos, & alibi: vel astutiæ & naturali magiæ, vt Plinius docet, & Auicenna. Hinc Boccacius in fabellis impiis probare contendit, non posse discerni, inter legem Christi & Moysis, & Mahometis, quia eadem signa habent, vti tres annuli consimilli-*

ſimillimi. Item Maſutius Salernitanus non minus impias contexuit fabellas: quarum primus auctor Lucianus Sophiſta. Ioannem itaque Boccacium facit auctorem, cui etiam tribuit Mareſius de Ioanna Papiſſa *p. 196.* Hic autem licet ſeculi XIV fuerit Scriptor, facile tamen fieri potuit, vt manuſcriptus adſeruaretur liber, apud Germanos demum excuſus. Conueniunt fere, quæ diſſerit Florimundus Ræmundus de origine hæreſium lib. II c. XVI, vbi dicit: *Iacobus Curio in Chronologia ſua teſtatur, in Palatinatu anno 1556 miram eiusmodi hominum fuiſſe frequentiam, qui Lucianiſtæ dicti ſint, eo quod omnes religiones irrideant, ſacrosque & inprimis magni illius Legislatoris Moſis libros pro nugis & fabulis habeant. Ex horum officina prodiit nefandus iſte libellus, in Germania, quamuis alibi excuſus, inualeſcente paſſim hæreſi, non infrequens, horribili titulo, de tribus Impoſtoribus, inſcriptus, quo tres præcipuæ religiones, quæ vnum & verum Deum, qui creavit Cœlum & terram, quamuis diuerſa ratione adgnoſcunt, Chriſtiana nimirum, Iudaica & Mahumetana, irridentur. Sed ex ipſis inferni faucibus libellum hunc eructatum, non argumentum ſolum, ſed vel ſolus titulus oſtendit. In ſumma, libellus eſt ſeculo iſto dignus.* Quod ſi Campanellam cum Ræmundo conferimus, hunc librum in Germania vel excuſum, vel primum ſaltim adparuiſſe patebit.

§. XVII.

§. XVII.

Sufficit nobis, ante Campanellæ ætatem editum fuiſſe librum, cum ipſi non ſolum obiiceretur, ſed etiam de re, tanquam certa ſe defendat. Confirmant hoc etiam alia. Legamus Spitzelium Scrutinio Atheiſmi *p. 18*, qui facile videri ait, *Campanellam librum legiſſe, cum & Aubertus Miræus Bibliotheca Eccleſiaſtica p. m. 226 Campanellam Atheiſmum Triumphatum ſeu Reductionem ad Religionem per ſcientiarum veritates contra Anti-Chriſtianiſmum Achitopheliſticum ſiue contra librum de tribus impoſtoribus ſcripſiſſe & 25 annos Neapoli in Caſtello de Ouo captiuum impendiſſe confirmet.* Ita Patinus in Mſto loquitur, *eſtant vn iour chez Campanella, ie pris par hazard vn livre, qui eſtoit ſur la table: c' eſtoit ſon Atheiſmus Triumphatus in 4. ed. Paris 1636 a l' ouverture du quel p. 184 ie vis ces mots: hanc ſententiam mordicus tuetur Machiavellus, & liber de tribus Impoſtoribus impiisſimus fouet. Le pris de là occaſion de luy demander des nouvelles de ce livre. Il me dit, qu'il l' avoit veu à Rome entre les mains d' vn Florentin, nommé Franc. Puccius.* Verba debemus Mayero, progr. p. 10. Vidit itaque Campanella, legit, immo refutauit. Licet autem ab impio quodam Italo & Boccacio forſan hic liber primitus conſcriptus, atque editus, hoc tamen minime obſtat, quo minus cum Becmanno dicamus, multos dari adhuc ſuppoſititios, qui, dum

dum liber iſte anxie quæreretur, ab otioſis ingeniis ob lucri cupidinem fuerunt conficti. Quo forſan ſpectat liber apud Anglos editus, aſt ſtatim ſuppreſſus, & qui a Tentzelio aliisque adlegantur in Principum Bibliothecis.

§. XVIII.

Quidquid tamen ſit, haut facile negandum erit, huic libro nefarium quoddam apophthegma dediſſe occaſionem. Inualuit enim a ſeculo XII de tribus impoſtoribus magnis fabula. Ex hoc, maxime cum eius inculparetur Fridericus II, fama fuit, quaſi editus eſſet eiusmodi liber, ab iis propagata, qui non ita de origine apophthegmatis certi eſſent. Inde factum, vt liber iſte multum inquireretur, quod forſan aduerterunt homines fraudis & lucri cupidi, qui tale quid conſcriberent, ſupponentes quaſi antiquitus elaboratum. Simile ergo accidit, quod de clauiculis Salomonis, quas ſolertisſime inveſtigant, qui curioſa amant. Memini, vidiſſe me apud Fautorem Halenſem tale Manuſcriptum, ſub hoc titulo, lingua Gallica conſcriptum, in quo tamen fraus facile adparet, cum in eo mentio fiat Carteſianorum: quod quidem mutare quidam conatus fuit, pro *Carteſiens* ſupponendo *Pyrrhoniens*, infelici tamen cum ſucceſſu. Immo ipſi Pyrrhonii, lingua Gallica, & eiusmodi, ſcriptum

ſtatim

ſtatim reddunt ſuſpectum, ab impoſtore quodam ſubornatum.

§. XIX.

Libro igitur huic occaſionem dediſſe, nefarium apophthegma negandum forſan non eſt. Autorem illius apophthegmatis Iacobus Thomaſius obſeru. VII. Halenſis Tomi I. primum facit Simonem Tornacenſem, quem Belgam quidam faciunt, ſed potius ille eſt, quem Angli ſibi vendicant, atque Simonem Thurnaium adpellant. Hic patria erat Cornubienſis, presbyter Anglus, qui relicta patria, Lutetiam Pariſiorum conceſſit, vbi multis annis Theologorum ſcholæ præfuit, cumque dialecticus acutiſſimus & in artibus liberalibus peritus eſſet, in ſumma apud pleroſque fuit admiratione. Hic, ſenex factus, omni ſcientia priuatus dicitur, eo quod in Moſen & Chriſtum plurimas euomuiſſet blaſphemias. Centuriatores enim Magdeburgenſes *Centuria XII f. 1443.* ex Matthæi Pariſienſis libro VII referunt, ipſum iactaſſe, ſe totam ſcire Chriſti legem, & improbando poſſe eam annihilare, repente ita rudem effectum, vt nec orationem pronuntiare, nec alphabetum legere poſſet. Polydorus Vergilius libro XV in fine de eodem tradit: *cum plus æquo ſua gloriaretur doctrina, repente litteras ita oblitus eſt, vt rudiſſimus penitus ſit effectus.* Id quod etiam teſtatur Ioannes

Ba-

Baleus *cent. III. cap. XLVII.* de ſcriptoribus Anglis, Thomas Contripatanus *libro II. de apibus cap. XLVIII pag. 440.* Sed, licet de hoc Thurnaio dicatur, quod blasphemias euomuerit in Chriſtum, ex eo tamen non ſequitur, quod illum eſſe dixerit impoſtorem. Aliud quid tradit Matthæus Pariſienſis, ſcriptor accuratus, ipſum iactaſſe, ſe Chriſti legem improbando poſſe annihilare: Blasphemia hæc eſt acerrima, ſed non ideo auctor ſententiæ de tribus impoſtoribus. Multa euomuit contra legem Moſis & Chriſti, quæ licet eo forſan duci poſſent, non tamen ipſa apophthegmatis ſunt verba, de quibus agimus, cum nihil de Mahomete Saraceno ab eo effatum dicatur, qui tamen tertium locum in apophthegmate occupat. Scilicet, acutisſimus erat philoſophus Thurnaius, in omni diſciplina verſatus, idem forſan expertus fatum ac alii, vt nimio philoſophiæ ſtudio in naturæ ſcopulos incideret, & animus a veritate Chriſtiana abalienaretur. Teſtatur illud Ioannes Trithemius de Scriptoribus Eccleſiaſticis p. 293, dum ita de eodem: *vir in diuinis ſcripturis eruditus, & in ſeculari Philoſophia ſubtiliter doctus, Dialecticus acutisſimus, & omnium liberalium artium peritisſimus, factus Theologicæ ſcholæ magiſter, multis annis in gymnaſio Pariſienſi docuit, vbi plurimos auditores erudiuit. Sed dum Ariſtotelem nimium ſequitur, erraſſe in quibusdam inuenitur.*

§. XX.

§. XX.

Poſt hunc, idem apophthegma tribuitur Friderico II. Imperatori, de quo Lipſius in monitis & exemplis politicis part. I. cap. IV. *p. m. 57. ſunt, qui non ſolum vita impietatem præferunt, ſed impudentes lingua exprimunt: vt ille Fridericus Secundus, Imperator, cui ſæpe in ore, tres fuiſſe inſignes impoſtores, qui genus humanum ſeduxerunt.* Sed iniuriam facit optimo Principi. Originem hoc habet ab inculpatione pontificis. Teſtem de hoc habemus Chronicon Auguſtanum, quod in Tomo I. Freheri continetur ad annum 1245. Ibi enim adlegantur rationes, cur Imperatorem excommunicauerit pontifex, vbi inter alia: *Præterea iniquitatem in excelſo locutus eſt, ponens in cœlum os ſuum. Dixit enim, audiente Landgrauio Henrico, tres ſeduxerunt totum mundum, Moſes Hebræus, Ieſus Chriſtianus, & Mahomet Saracenus: quamobrem, ſi principes inſtitutionibus meis adſentirent, ego multo meliorem modum viuendi & credendi ipſis nationibus ordinarem.* Idem tradit Compilatio Chronologica, quæ extat in Piſtorii Tomo I. ad annum 1249. Hiſtoria de Landgrauiis Thuringiæ cap. L dicit, quod *in Comitiis in Franckfort Spiritu Diabolico ipſum inſtigante, blaſphemauerit in Deum & ſanctam eccleſiam.* Et fama per orbem ita ſorduit, vt iam peior Herode & Iuda vel Nerone cenſeretur, inquit Matthæus Pariſienſis in hiſtoria ſua,

pag. 736. Ter enim a tribus Pontificibus excommunicatus dicitur Fridericus II. ab Honorio III, a Gregorio IX. 1227. & ab Innocentio IV, in concilio Lugdunensi 1245. cuius vltimæ caussa inter alias hoc effatum dicitur.

§. XXI.

Contra hanc Pontificis & adseclarum inculpationem autem ipse se defendit Fridericus Imperator. Extat enim apud Petrum de Vineis *lib. I. c. XXXI.* epistola vniuersis prælatis scripta, vt compescant papam a suis illicitis moribus. Verba Imperatoris in hac epistola ea sunt: *nostræ maiestatis iubar intendit ducere in eclipsin, dum veritate in fabulam commutata, plenæ mendaciis ad diuersas mundi partes, papales mittuntur epistolæ, de complexione, non de ratione, accusantes nostræ fidei puritatem. Scripsit enim solo nomine papa, nos bestiam adscendentem de mari, plenam nominibus blasphemiæ, pardique varietatibus circumscriptum.* Et paulo post: *inseruit enim falsus Christus vicarius fabulis suis, nos Christianæ fidei religionem recte non colere, ac dixisse, tribus seductoribus mundum esse deceptum: quod absit de nostris labiis processisse, cum manifeste confiteamur, vnicum Dei filium coæternum & coæqualem Patri ac sancto spiritui, Dominum nostrum Iesum Christum, ab initio & ante secula genitum: prrocessu temporum missum in terris, in subsidium generationis humanæ, non de potentia ordinata, sed de potentia ordinante: qui est*

de

de glorioſa virgine matre natus, paſſus poſtmodum, & mortuus ſecundum carnem, & alteram naturam, quam adſumſit in vtero matris: virtute Deitatis, a morte poſt triduum ſurrexiſſe. Mahometi vero corpus in aëre pendere didicimus, obſeſſum dæmonibus, animam inferni cruciatibus deditam, cuius opera tenebroſa fuerunt, & contra legem Excelſi. Moſen vero, amicum Dei & familiarem, vera docente pagina, fuiſſe tenemus: in monte Sinai cum ipſo tenentem colloquia, cui Dominus rubum accendit: per quem ſigna & mirabilia fecit in Ægypto & Hebraico populo, lex tradita declarat ipſum poſtmodum vocatum ad gloriam cum electis. Vbi monendum, quod in Mſto Codice membranaceo, quem ſeruat bibliotheca, pro *tribus ſeductoribus* legatur *tribus barcatoribus.* Adpraet etiam orthodoxa huius Friderici fides ex epiſtolis, quas Freherus Tomo I. rerum Germanicarum inſeruit ep. III. vbi dicitur: *tandem verus ille mediator Dei & hominum Ieſus Chriſtus, qui ſuam velut vnicam ſponſam proprio charactere ſui pretioſi ſanguinis inſigniuit & redemit, conſolationis gratiam, quam adſcendens in cœlum fidelibus ſuis repromiſit, euidentibus & manifeſtis declarat indiciis.* Quid magis pie ab Imperatore dici potuiſſet?

§. XXII.

Sed, ſi forſan hæc teſtimonia, quia ab ipſo Imperatore profecta, non ſatis certa videri poſſint, eo quod facile fuerit imperatori diſ-

ſimulare; aliorum quoque adferemus teſtimonia, quæ de fide Friderici II. catholica præferunt. Teſtatur Mutius *Chron. German lib. XX. p. 412.* Fridericum II, cum nuntiatum eſſet, ſe a Papa excommunicatum, *incommota facie & animo, multa apud ſuos dixiſſe de ſua innocentia, aduerſariorum iniquitate & dolis, precatumque eſſe clariore voce; Deum omnium diſpoſitorem, vt adſit iuſtiorem cauſam habentibus.* Paulus Langius, monachus Boſauienſis in Chronico Citicenſi *pag. 797.* ita loquitur: *Anno Domini MCCXII. Fridericus II. Sueuus, filius Henrici Imp. contra Ottonem depoſitum, in regem Romanorum electus eſt. Is inprimis bonus fuit & modeſtus, ergaque Dei eccleſias & religioſorum cœnobia deuotus & magnificus: quibus & multa dedit priuilegia & immunitates: Succeſſu vero temporis contra Eccleſiam Romanam erexit cornua, bona eius occupando: hinc & pontifices plures per ordinem, Honorium III. Gregorium IX. Cœleſtinum IV & Innocentuim IV. perſecutus eſt, & cardinales plerumque cepit & cuſtodiæ mandauit.* De Friderici excommunicatione a Gregorio IX. facta dicit Vrſpergenſis *ad annum 1227. pag. 324. Gregorius IX. tanquam ſuperbus primo anno Pontificatus ſui cœpit excommunicare Fridericum Imperatorem, pro cauſſis friuolis & falſis, & poſtpoſito omni ordine iudiciario.* Egregium de innocentia Friderici habemus Gallorum teſtimonium, quod videmus apud Matthæum

Pari-

Parisiensem Historia sua *p. 500.* Cum enim abdicato Friderico, Robertum Gallorum R. fratrem Papa constitueret Imperatorem, honorem illum delatum hoc modo recusarunt: *quo spiritu vel ausu temerario Papa tantum Principem, quo non est maior, immo nec par inter Christianos, non conuictum vel confessum de obiectis sibi criminibus exhæredauit, & ab apice Imperiali præcipitavit? Qui si meritis suis exigentibus deponendus esset, non nisi per generale Concilium cassandus iudicaretur. De transgressionibus suis non est hostibus suis fides adhibenda, quorum Papa dignoscitur esse capitalis. Nobis adhuc insons, immo bonus fuit vicinus, nec quid sinistri vidimus de eo infidelitate seculari, vel fide Catholica. Scimus autem, quod Domino nostro Iesu Christo fideliter militauit, marinis & bellicis se periculis confidenter opponens. Tantum religionis in papa non inuenimus. Immo, qui eum debuit promouisse, & DEO militantem protexisse, eum conatus est absentem confundere & nequiter supplantare. Nolumus nosmet ipsos in tanta pericula præcipitare, vt ipsum Fridericum tam potentem impugnemus, quem tot regna contra nos iuuabunt, & caussa iusta præstabit adminiculum. Quid ad Romanos de prodiga sanguinis nostri effusione, dummodo suæ iræ satisfaceremus? Si eum per nos & alios deuicerit, omnes Principes mundi conculcabit, sumens cornua iactantiæ & superbiam, quoniam ipsum Fridericum*

magnum Imperatorem contriuerit. Sin autem de fide Catholica diſſentiat & ipſum, immo etiam ipſum Papam, ſi male de Deo ſenſerit, vel quemlibet alium mortalium vsque ad internecionem perſequemur. Teſtimonium ſatis clarum ab exteris profectum. Excuſat etiam Auentinus libro VII. Ann. *p. m. 413.* Pandulphus Collenutius hunc ſequtur, qui hoc ſibi fere ſumſit, vt Imperatorem noſtrum defenderet. Id quod egit in Hiſtoria Neapolitana *libro IV.* Dicit enim *pag. 144,* quod Innocentius pontifex fulmen in Fridericum eiaculatus fuerit, nullo modo auditis admiſſisque pœnitentia, aliisque rebus: & clarius *pag. 158. ego ſane multas Friderici epiſtolas quæ, extant, vidi atque legi, cum ad Pontifices & Cardinales, tum alios Chriſtiani orbis principes, priuatasque etiam perſonas exaratas: ſed nihil in eis deprehendi contra fidei noſtræ regulam, nihil hæreticum, nihil denique quod aliquam eccleſiæ oppreſſionem aut contumaciam redoleat: ſunt quidem in iis multæ querelæ, lamentationes, admonitiones de auaritia & ambitione ſacerdotum, de pontificis pertinacia, qui ſuas excuſationes & imperii defenſionem audire nolit, deque inſidiis, quæ ſibi ſtruerentur.* Non quidem ab omni plane culpa alienum fuiſſe Imperatorem, innuere videntùr tum verba anteriora, quod pontifex nullam admiſerit pœnitentiam, & quæ dicit Collenutius *pag. 153.* Guilielmus Podius quoque in Chronicis ſuis ſcribit,

bit, *Fridericum morti proximum suorum errorum tantopere pœnituisse, vt vetuerit sibi post obitum exequias cum ea pompa celebrari, quæ Imperatoribus in vsu esse consueuit.* Vbi ergo pœnitentia, ibi fuit peccatum. Sed Fridericus adgnoscebat se peccatorem, non tamen illius peccati reum, cuius inculpabatur, sed aliorum, a quibus nemo est immunis. De isto autem nefario dogmate pœnitentiam non egisse, satis patet, cum ipse illud, vti diximus, diluat. Immo ipse pontifex Innocentius IV, in formula proscriptionis, quæ habetur VI. Decretalium lib. II. tit. XIV. c. II, & plenius præmissa est Petri de Vineis epistolis, illud pro certo adserere non audet, sed tantum dicit: *de hæresi quoque, non dubiis & leuibus, sed difficilibus & euidentibus argumentis suspectus habetur.*

§. XXIII.

Explosa igitur huius rei veritate, restat vt dicamus, vnde nam hæc inculpatio suborta fuerit. Collenutius *historia Neapol. lib. IV. pag. 158.* ex Pii II. historia Australi dicit, *nihil videlicet excellenter malum in ecclesia catholica patrari, cuius prima origo a sacerdotibus non dependeat, ni forte occulto quodam Dei consilio fiat.* Hoc igitur malum, hæc inculpatio æque a sacerdotibus venit. Veram causam adlegat Collenutius *lib. IV. pag. 156,* quod de pontificiis nimis vera prædicarit, multaque in eo-

rum moribus, totaque illa apostolica vita desiderarit, aut quod Imperii iura acrius defenderit, aut denique, quod nimis in Italia potens, contra quam voluissent, fuerit. Siue, vti ipse Imperator apud Petrum de Vineis *lib. I. cap. XXXI.* ait: *reuera Imperialis felicitas papali semper impugnatur inuidia.* Quærebant ergo pontifices, vnde exosum facerent Statibus Imperii, quo ipsi illum imperio deponentes, alium eligerent sedis Romanæ clientem. Qualis tum erat Henricus Landgrauius Thuringiæ, quem, cum clericis, & hi ipsi fauerent, Regem dixerunt Clericorum, Albertus Stadensis *ad annum 1246.* Hic erat Henricus, de quo Chronicon Augustanum ait, quod audiuerit Fridericum II. nefarium hoc apophthegma proferentem. Verum, ex dictis facile patet, quod Friderici inimicus fuerit, cliens sedis papalis, vt ergo, quid de eius testimonio sentiendum, inde pateat. Tota igitur res redit ad imposturas clericorum.

§. XXIV.

Hoc autem exemplum secuti alii, qui sub eodem titulo de tribus impostoribus certos quosdam impostores alios descripserunt. Extat enim scriptum *de tribus* huius seculi famosis *impostoribus* & Turcarum seductoribus, P. Ottomanno, Mahomed Bei, siue Ioanne Michael Cigala & Sabatai Seui, quod anno 1666.

1666. in Anglia prodiit, & non multo post in Germania publici iuris factum. Sic etiam prodiit VINCENTII PANVRGI *epistola de tribus impostoribus* ad Cl. Virum Ioannem Baptistam Morinum D. M. atque regium Matheseos Professorem, *Parisiis 1654.* Quem ipsius Morini partum esse testatur Menagius *Anti Bailleto tomo I. p. 267. 268,* in quo triumuiros istos, Gassendum, Neureum & Bernierum pro impostoribus habet. Secutus hos fuit CHRISTIANVS KORTHOLTVS, qui in libro suo *de tribus impostoribus magnis,* denuo cura filii Sebastiani edito *Kiloni 1701. 4.* de eduardo Herberto, Thoma Hobbesio & Benedicto Spinosa agit, eosque errorum conuincit.

§. XXV.

Alius Impostor erat Ioannes Annius Viterbiensis, scriptor seculi XV. Hic non solum scriptis, sed etiam monumentis antiquitatis eruditos defraudare solitus fuit. Lepida est, quam de hoc narrat historiam Antonius Augustinus dialogo X. Antiquitatum Romanarum. *Mihi Latinus Latinius Viterbiensis*, inquit, *vir doctus*, *bonaeque fidei*, *de Ioanne Annio*, *Viterbiensi monacho*, *narrare iucunde solebat*, *lapidi insculpendas curasse litteras; quem vineae infodi iusserat non procul a Viterbio. Cumque*

fodienda esset vinea, ad lapidem vsq; vt fodiendo peruenirent iussit; narrans in libris se reperisse, templum ibi orbis terrarum antiquissimum latere. Terra iam effossa, primus qui lapidem inuenit, vinitor accurrit: paullatim detegi sarcophagum imperat. Hic stupens lapidis antiquitatem & litteras a se confictas admiratus, ad Vrbis Senatores lætus confugit, & ciuitatis honori fore persuadet, in amplissimo publice spectari loco, Viterbii enim vrbis originem contineri, quæ bis mille annis Romana esset vrbe, a Romulo condita, longe antiquior, vtpote ab Iside & Osiride condita. Fabulas hic suas, quibus abundabat, venditauit, factumque, vt ille iusserat. Bellum sane figmentum, docto impostore dignum.

§. XXVI.

Similem Annianæ imposturam, ex Ortelii Theatro mundi adlegat Tilemannus discursu Philologico *p. 60*, atque haut ita pridem Bælius Dictionario *p. 1378*. Annus erat 1505, cum die 9 Augusti, prope Sintram Lusitaniæ reperirentur tres lapides, sequentia verba continentes:

Sibylla vaticinium occiduis decretum,
voluentur saxa litteris, & ordine rectis,

cum

cum videas Occidens Orientis opes.
Ganges, Indus, Tagus, erit mirabile visu,
Merces commutabit suas, vterque sibi.
Soli æterno, ac Lunæ decretum.

Hoc oraculum Sybillinum dicebatur. Sed *fraudem detexit Caspar Varrerius*, inquit Nicolaus Antonius Bibliotheca Hispanica Tomo I pag. 431. *Scilicet, quo tempore Emanuel Lusitaniæ Rex, per Vascum Gamam, nauigationes in Indiam Orientalem feliciter tentasset. Vlyssipone vixit* HENRICVS CAIADVS, *Poëta celebris, Angeli Politiani discipulus: hic tria marmora litteris antiquis, hoc vaticinium continentibus, incidi, & clam circa oppidum Syntra, leuiter terra tegi curauit. Postquam vero, tractu temporis, aliquam antiquitatis speciem contraxissent, amicos quosdam, in villa sua, circa quam hæc marmora occulta erant, conuiuio excepit, quibus strenue epulantibus nunciat villicus, fossores marmora, ignotis litteris inscripta, inuenisse, prope dubio thesaurum eo loco defossum esse. Aduolant omnes, inueniunt lapides, mirantur vaticinium non sane foliis inscriptum: Rex, huius fraudis conscius,*

scius, stuporem tamen simulat, versus aulicis describendos tradit, ipsa vero marmora, tanquam sanctiora κειμήλια in gazophylacio religiose seruat. Hanc igitur imposturam ab Annio didicit Caiadus.

§. XXVII.

Eandem imposturam tentauit PARISIVS de GRASSIS. Hic mulæ epitaphium, quasi a Publio Crasso Romano confictum, marmori incidit, idemque sub terram recondidit. Præterlapso aliquo tempore, isto loco arbores plantari voluit, & cum fodiendo detegeretur marmor, resque noua ipsi nunciaretur, mirari cœpit figmentum suum. Licet autem multi essent, qui eandem rem considerarent ridiculam, viris tamen eruditis nonnullis fucum fecit, opinantibus id esse antiquum, ita, vt Thomas Porcaccius illud, tanquam genuinum insereret libro funeralium. Mabillonus Museo Italico *libro I. p. 176.* Bælius Dictionario *p. 1378.*

§. XXVIII.

Sed reuertimus ad Annium. Hic, præter alia reliquit etiam XVII. antiquitatum libros, in quibus continentur Fabius Pictor de aureo seculo, Myrsilius Lesbius de Tyrrhenis, Catonis Origines, Sempronius de Italia, Archilochus de Temporibus, Metastenes (pro Megasthene) Philo, Berosus,

Ma-

Manetho, qui primum prodierunt Parisiis 1512. post, sub titulo *Historiæ antiquæ ex bibliopolio Commeliniano* 1599. 8. Tantum adplausum hæ antiquitates inuenerunt, vt in omni fere historia fidem mererentur apud plerosque. Hispanicarum plerumque rerum Scriptores, Berosi & Annii fide quam sæpissime fuerunt innisi. Verum, vbi a nugis sapere cœperunt eruditi, hæcce Anni esse figmenta probe adgnouerunt. Placet de hoc adscribere testimonium Ludouici Viuis de tradendis disciplinis *lib. V. p.* 507. *libellus*, inquit, *circumfertur Berosi Babylonii titulo, sed commentum est, quod indoctis & otiosis hominibus mire adlubescit: cuiusmodi sunt Xenophontis æquiuocatum, Archilochi, Catonis, Sempronii & Fabii Pictoris fragmenta, quæ eodem sunt libro ab Annio Viterbiensi conferruminata, commentisque reddita magis ridicula: non quin insint in illis quædam vera (nam alioqui frontem non haberet narratio (sed ipsum historiæ corpus commentitium est: nec illius, cuius titulum mentitur. Manethon Ægyptius & Metasthenes Persa ex Eusebio sunt desumti.*

§. XXIX.

Et cum de ingenio fraudulento Annii alias quoque constaret, fabulas & futilitatem

eiusdem

eiusdem varii adgnouerunt. Andreas Schottus in bibliotheca ſua Hiſpanica *p. 354. & ſeqq.* operoſus eſt in detegenda hac Anni impoſtura. Quam in rem non ſolum Ioannis Goropii Becani iudicium de Beroſo fictisque ab Annio hiſtoricis, quod continetur *libro IV. Origg. Antwerp. p. 340* adducit, ſed etiam integram de hiſce cenſuram Caſparis Barrerii, quam ex Luſitanico in latinum ſermonem tranſtulit. Sane, inuictis argumentis Barrerius fraudes & impoſturam Annii docet, quæ vel ex rebus, quæ inibi adducuntur, & ſcriptoribus, qui iſtis recentiores ſunt, vel ex adlegatis, quæ ſcriptores antiqui ex Beroſo aliisque faciunt, atque in editis Annii non continentur, & non conueniunt, immo potius ſunt contraria, vel ex ſtylo & ſimilibus ſunt deſumta, quæ hic in longum recenſere ſuperſedemus. Teſtatur quoque Popelinierius *in hiſtoria hiſtoriarum libro IV. p. 209*, a ſe diſſertationem peculiarem conſcriptam aduerſus Annii ſuppoſitiones, vti teſtatur Voëtius diſput. ſelect. tomo I *p. 674*. Prolixus quoque in refutandis his Anni ſcriptis fuit Fridericus Tilemannus in diſcurſu philologico de Hiſtoricorum delectu *p. 76. & ſeqq.* Et plures, qui Annium pro friuolo auctore habeant, adducit Gerardus Ioannes Voſſius *de hiſtoricis latinis lib. III. cap. VIII. p. 609. 610.*

§. XXX.

§. XXX.

Licet autem ſint plerique, qui fidei Annii derogarent, fuerunt tamen quoque, qui modeſtius de hoc ſcripto, eiusque auctore censendum eſſe iudicarent, & cum omnia pro veris habere non auderent, aliquid tamen veri ineſſe adſerere non dubitarunt. In horum ordine ſunt Dauid Chytræus de lectione hiſtoriarum & Münſterus lib. V. Cosmographiæ cap. VIII, qui hominem quendam temerarium & otioſum genuinis atque veris Beroſi laboribus aliquid lolii immiſcuiſſe iudicat, Annium vero a falſi ſuſpicione liberat. Immo, ſurrexit quidam, eiusdem Prædicatorum cum Annio ordinis, Thomas Mazza, qui apologiam pro illo ſcripſit, de quo opere ita iudicat Gregorio Lei in Italia regnante p. IV. lib. III. p. 329. *difficile adgreſſus eſt opus, quod apologiam ſcripſit pro Annio Viterbienſi, ſui ordinis fratre, magni nominis viro, vt eius fidem & plerisque autoribus in dubium vocatam adſereret; & ab obiectis calumniis vindicaret. In quo certo mirum eſt; quantum ſtudii & operæ poſuerit, quam ſe ingenioſum & eruditum oſtendat, vt prope miraculo legentibus videatur, potuiſſe in re tam ſpinoſa floride, tam obſcura nitide, tam ſterili facunde, tam ieiu-*

na

na erudite se gerere: Quod ego opus cum legissem, magnopere sum admiratus. Et paullo post: *legeram antea hunc apologeticum vernacula lingua scriptum, qui mihi vehementer placuerat, tum propter nouitatem operis, tum propter styli granditatem, tum propter dictionis elegantiam, tum præcipue propter copiam eruditionis, eumque iudicaui omnibus numeris absolutum.* Testatur Morhofius *polyhistore lib. I. c. VI. p. 50.* sibi nondum contigisse videre hunc librum, quanquam summo studio quæsitum. Contra hunc Mazzam, eiusdemque defensorem Franciscum a S. Augustino Macedum Castigationes scripsit Franciscus Sparauierius, 1676. 4. Quidquid sit, defendant Annium, qui velint, a falsi suspicione alienus non erit. Maxime, cum ex epistola Pirckhaimeri ad Fridericum Sapientem, qui in manipulo primo epistolarum singularium Heckelii reperitur, pateat, ipsum Annium aliquando fassum fuisse, se recondita ista & vetusta non proprio ingenio, sed per Dæmonum ac imaginum cerearum responsa eruisse.

§. XXXI.

Annio subiungimus statim ALPHONSVM CICARELLVM, ab Allatio eidem æquiparatum. Extat enim de hoc Cicarello specialis Allatii censura, ipsius animaduersio-

sio-

ſionibus in Inghiramium iuncta, quæ depromta eſt ex opere eiusdem non edito de libris apocryphis. Huius fraudes vt detegamus, ipſius Allatii verbis vtamur: *Hic pecunias congerens*, inquit, *familiarum ſtemmata digerere adgreſſus eſt, quæ, vt ſpectabiliora faceret, ad antiquiſſimam originem referebat: & cum ex hiſtoria non ſuppeteret ſeries, ex capite ipſe ſuo Maiorum nomina fingere, inter quos & ſummos Pontifices per vim trahere, & Cardinales, qui nunquam fuerunt, pro libitu creare; vrbium & terrarum dominos, copiarum doctores ſtatuere, dictisque ſuis fidem comparans, Imperatorum ac pontificum diplomata ac priuilegia componere, quibus familiarum nomini, & quos ipſe ſomniarat, heroibus robur addebat: ac tandem, ne hiſtoricorum teſtimonia deeſſent, auctoribus, qui iam erant, multa de ſuo addere, multa decurtare; hiſtorias etiam hæc eadem pertractantes ex integro componere, illisque ne ſine nomine vileſcerent, nomen adpingere; quibus ſua dicta eiusmodi confirmaret.* Maxime impoſtura patet ex Ioannis Selini libro de origine antiqua Italiæ, & de eius incolis ante diluuium. Teſtatur enim Al-

latius de illo Manuſcripto, nomen Ioannis Selini titulis tractatuum præfixum, alia, quam in titulis omnibus, caracterum formula, alioque rubenti colore exaratum fuiſſe. Immo in fine voluminis eraſo poſſeſſoris nomine, Ioannis Selini ſubſtitutum. Neque tamen ſola hæc inculpatio erat, ſed potius ipſe Cicarellus, cum poſtea ob falſi crimen captiuus fieret, in libello ſupplice, ad iudicem italice dato, omnia hæc confitetur quidem, aſt excuſare conatur. Confitetur enim, ſe multa hauſiſſe ex libris apocryphis, ſed licere in fauorem eccleſiæ elicere veritatem non ſolum ex veris & Canonicis libris, ſed etiam ex apocryphis. Confitetur, ſe nonnulla Imperatorum demortuorum priuilegia compoſuiſſe: id vero molitum ſe ad decorem familiarum. Confitetur, ſe libros aliquot antiquos ſine nomine habuiſſe, non tamen ſibi vindicaſſe, vt alii ſoleant, ſed aliorum nomina inſcripſiſſe. Confitetur, ſe multa ingenii ſui monumenta ſub aliorum auctorum nomine edidiſſe; id vero falſitatem non arguere putans. Confitetur, ſe nonnullas genealogias ad modum tranſumptorum confeciſſe, eruiſſe tamen eas ex auctorum adprobatorum libris. Confitetur, ſe in nonnullis libris aliqua addidiſſe: ſed hæc fuiſſe vera. Confitetur denique, ſe multas multarum familiarum nobilium, & non-

nul-

nullarum Italiæ vrbium hiſtorias conſcripſiſ-ſe, multumque coniecturis indulſiſſe: verum hoc ad exemplum aliorum hiſtoricorum. Sed, cum hæc non ſufficerent, atque ad maiora facinora manum mentemque adplicaret Cicarellus, & varia inſtrumenta, quibus familiarum bona ſuſtinentur, confingeret, tandem, cum iſta examinarentur, fideicommiſſi cuiusdam conficti falſitate deprehenſus, in cuſtodiam ſub Gregorio XIII adducitur. Et cum crimen non negaſſet, falſitatis reus ad ſupplicium ducitur, eumque carnifex, prius exciſa manu, ad palum adligatum laqueo præfocat & exanimato ignem ſupponit. Licet capite truncatum fuiſſe Iacobus Grimaldus opuſculo de S. S. Veronicæ ſudario & lancea, velint. Sane, ſi pro grauitate delicti, poenas impoſturæ ſuæ luerent ſimiles, minime dubitandum, tam frequens illud impoſterum non fore.

§. XXXII.

Nihil iam dicam de FRANCISCO BALDVINO, qui adſerere auſus fuit, ſe octodecim Romuli leges habere ex columna quadam aurea, Romæ in Capitolio erecta. Nihil de libro, qui ſub FRANCISCI BVRCARDI nomine prodiit de autonomia, quo nomine meritiſſimi viri, Cancellarii Colonienſis abuſi fuiſſe dicuntur Ieſuitæ Colonienſes ad propaganda dogmata ſua contra Prote-

ſtantes. Neque multis iam agendum erit, de FLORIMVNDI RAIMVNDI libro de de ortu & progreſſu Hæreſium, quod Ludouico Richeomo, e Societate Ieſu Scriptori vulgo tribuunt, licet alii, inter eosdemque Belius demonſtrauerint, Richeomum & Ieſuitas plurimum ſuppeditaſſe Raimondo, qui nihilominus verus libri fuerit auctor.

§. XXXIII.

Iſaaci Caſauboni nomine abutebatur CASPAR SCIOPPIVS. Hic enim ſub eiusdem nomine edebat *Coronam regiam, id eſt, Panegyrici cuiusdam vere aurei, quem Iacobo I, Magnæ Britanniæ Regi, fidei defenſori delinearat, fragmenta ab Euphormione inter ſchedas τῦ μακαρίτυ inuenta, collecta, & in lucem edita, Londini 1615. 12.* Recudi poſtmodum fecit Chriſtianus Thomaſius Hiſtoria Sapientiæ & Stultitiæ Tomo primo p. 125. Truculentiſſimum eſt ſcriptum, quo horrenda flagitia obiiciuntur atque diræ euomuntur in Iacobum, Eduardum, Eliſabetham, & quidem ſub ſpecie Panegyrici poſthumi, a Caſaubono ſcripti, cuius quaſi eſſent fragmenta, inter ſchedas eius reperta. Licet autem Puteanum alii pro auctore habeant, verius tamen ſine dubio attribuitur Scioppio.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Succedat ſpurciſſimus auctor, qui ſub nomine ALOYSIÆ SIGÆÆ ſe abſcondere voluit. De quo libro ita iudicat Morhoſius: *Inter obſcœnos noſtri temporis familiam ducit ſatyra Sotadica Aloyſiæ Sigææ adſcripta. Peſſimus & flammis dignus liber, niſi quod elegantia latinæ linguæ ſordes ſuas ornet. Moneo hic, nequam fuiſſe hominem, qui Aloyſiæ Sigææ & Meurſio illum librum adſcripſit: omnia illa conficta eſſe puto. Liber ille, me iudice, plane nouus eſt, & ab impuro homine ſcriptus, qui vt a ſe amoliretur crimen, fœminæ innocentiſſimæ & caſtiſſimæ illud impoſuit, & Meurſium hominem doctum in criminis ſocietatem perduxit.* Bini ergo ſcripti huius vulgo habentur auctores: Aloyſia Sigæa, ſub cuius nomine prodiit, & Ioannes Meurſius. Aloyſia Sigæa, ſiue potius Louiſa Sigæa, nobilis apud Hiſpanos fuit fœmina, illuſtri genere nata, dicta ob eruditionrm Toletana Minerua. Andreas Schottus *Bibl. Hiſpanica Tomo II. p. 342.* & Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hiſpaniæ, ſingula eiusdem Loyſæ ſcripta recenſent, ſed nihil de hac ſatyra. Immo potius clarum eſt, de Louyſa, fœmina pudiciſſima, nihil huic ſatyræ ſimile expectari debuiſſe.

iste. Singulare est testimonium, quod eidem tribuit Alfonsus Garsias Matamorus *Tomo II. Hispaniæ illustratæ p. 822, quid Sigeam Toletanam? quam propter litteras latinas, Græcas & Hebraicas serenissima Lusitaniæ regina intra aulam suam incredibili admiratione excepit, & in illustrium fœminarum classem, quibus ipsa priuatim & honestissime vteretur, statim referri voluit.* Ita ob morum probitatem recepta in familiarem consuetudinem reginæ. Plenius pudicitiæ testimonium præbet epitaphium a Francisco Cueua, marito positum.

D. O. M.

LOYSAE SIGAEAE FOEMINAE
INCOMPARABILI
CVIVS PVDICITIA CVM ERVDITIONE LINGVARVM QVAE IN EA AD MIRACVLVM VSQVE FVIT EX AEQVO CERTABAT
FRANC. CVEVAS MOERENTISS.
CONIVGI B. M. P.
VALE BEATA ANIMVLA CONIVGI
DVM VIVES PERPETVAE LACRYMAE

Testimonium elogiumque auro carius ita, vt cum omnes de probitate Aloysiæ testentur,

tur, nostrum non erit, eandem impudicitiæ inculpare.

§. XXXV.

Sed nec de Meursio fando auditum est, conuertisse illum ex Hispanica lingua tale aliquod scriptum in latinam. Sed ipse sermonis textus habitusque totus ostendit, in Latio potius, quam in Hispania natum esse, hunc fœtum, inquit Morhofius *polyhistor. lib. I. cap. VIII.* Extat quidem Aloysiæ Sigææ editio latina, in cuius titulo legitur: *hispanice, latinitate donauit Ioannes Meursius, V. C.* sed neque hoc ad scriptum Meursio attribuendum, sufficiet. Morhofii coniectura fuit, Isaacum Vossium verissimum auctorem esse, *id quod narrauit amico cuidam meo, ante annum Kiloni versanti,* inquit Iunckerus *de fœminis eruditis p. 126.*

§. XXXVI.

Verum, patuit postea, quis scripti auctor, & vnde Ioanni Meursio, iuniori attributum. Primum quidem auctorem litteris tantum initialibus detexit Thomasius *Monatlichen Gedancken anno 1688. p. 586.* Plenius vero illud egit Tentzelius ex Hadriani Beuerlandi schedis *in Monatlichen Vnterredungen, mense Februario 1693. p. 166.* auctorem notans Ioannem Westrene, Ictum Hagiensem, qui etiam non sine impostura in titulo, hunc fœ-

tum esse Aloysiæ Sigææ; a Meursio iuniore latinitate donatum professus est.

§ XXXVII.

Celebre quidem nomen est CAROLI SIGONII, neque tamen ab imposturæ vitio erit liberandum. Prodiit nempe sub nomine Ciceronis, eiusdem *consolatio de obitu filiæ*, primum apud Italos 1583, post recusa Lutetiæ & alibi. Sed constans fere ab initio statim fuit adsertum, non esse Ciceronis, sed alius cuiusdam, qui Ciceronis stylum effingere voluit: id quidem ideo, quod Cicero ipse testatur, sed in hanc consolationem exitus grauissimos nobilissimorum Romanorum retulisse Ita enim ad Atticum scribit, *lib. XII. ep. XXI. velim me facias certiorem proximis litteris, Cn. Cæpio, Seruiliæ Claudii pater, viuone patre suo naufragio perierit an mortuo. Item Rutilia viuone C. Cotta, filio suo, mortua sit, an mortuo, pertinet ad eum librum, quem de luctu minuendo scripsimus.* Plura habet B. Sagittarius *in historia Vitæ & mortis Tulliæ §. LXI. & sqq.* De his autem & similibus exemplis in edito libro de consolatione nihil extat. Primus, teste Auberto Miræo *in vita Lipsii p. 12.* personam detraxit & stylum disiunctum, otiosum, lentum & phrasin Sigonianam adgnouit ac detexit Iustus Lipsius, Iano Guilielmo, Anto-

nio

nio Riccobono & aliis suffragantibus. Plenius rem narrat Ioannes Imperialis, *Museo Historico p. 59*, vbi inter alia de Sigonio ita loquitur: *moratus autem Bononiæ plures annos, humanitatis inibi vices expleuit, sed multo citius, quam vel vitæ modus, vel ætatis ferrent incommoda, clandestini cuiusdam angoris impetu exanimatus. Hunc eo notabilem euentum referunt, quod cum a Tullio passim sui cuiusdam opusculi de Consolatione fiat mentio, quod adhuc hominum oculis non illuxit, incidit in mentem Sigonio ambiguo forte nimis ausu, extremas ingenii vires experiri, ac libellum suamet opera confictum sub Ciceronis titulo emittere; in eo siquidem adfectata Tullianæ dictionis excellentia, facile futurum putauerat, vt a Doctorum vulgo inter genuinos Tullii fœtus reciperetur; inde vero patefacto errore, lepidam omnes auctoris industriam, præaltosque nisus admirarentur. Cæterum statim ac eiusmodi liber prodiit in lucem, ad varios allisit scopulos, variosque sortitus est criticos, qui ipsum personatum adgnoscerent; inprimis autem Antonius Riccobonus, vir inter eximios non ignobilis, accu-*

satoris munia subiuit, ac diserte ostendit, opus illud omnino spurium, nec vllo pacto Ciceroni adscribendum; fucosum nempe styli genus, & adscititiam rerum vim, onerosamque vbertatem redarguens. Hinc factum, vt Sigonius eas in cassum ac futile initas a se vigilias animaduertens & aduersarii studio ereptam sibi augurata gloriolæ spem, quin etiam duriorem hac de re sensum hominum mentibus obrepsisse, morbosum animi contraxerit æstum, quo deinceps aliis vel increpantibus vel etiam miserantibus est surreptus. Hinc etiam Ghilini in Theatro litteratorum Italico *p. 256.* palam Sigonio hoc scriptum attribuit.

§. XXXVIII.

Scauenius ad Rhodium de auctoribus suppositititiis pag. 17. hanc consolationem Caroli Vianelli esse scribit, Veneti, Collegii Decem virum ab epistolis, quod etiam expressis verbis adfirmat Henricus Ernstius *obseru. var. p. II. cap. XXXVI.* vbi ait: *Consolatio M. T. Ciceronis, de qua viri docti multum inter se digladiantur, est Caroli Vianelli, Veneti.* Sed cum tot circumstantiis Sigonio adscribatur a Ghilino Imperiali, aliisque, potius horum fidem sequimur. Maxime, cum

cum Latinius tomo II Lucubrationum p. 188, ipſum Sigonium ante mortem hoc confeſſum fuiſſe, teſtetur.

§. XXXIX.

Fuerunt quoque alii, qui ſcripta propria amicis ſuis ſub ipſorum nomine edenda conceſſerunt, quo illorum famæ conſulerent. Exemplum habemus in FERRANTIS IMPERATI, Neapolitani, *hiſtoria naturali*, cuius libri verus auctor eſt Nicolaus Antonius Stelliola, qui acceptis 100 ſcutatis, Imperato conceſſit, vt nomen ſuum præfigeret, vid. Nicolaus Guibertus de Murrhinis cap. I in fine, Placcius de ſcriptoribus pſeudonymis p. 213. Ita notas in Martianum Capellam a Scaligero Grotio ſubornatas dicunt. De IOANNIS SARII ZAMOSCII libris duobus *de Senatu* Romano narrat Thuanus libro LVII. p 1147. occaſione electionis Henrici Valeſii in Regem Poloniæ: *in eandem rem edita an habita ſit incertum oratio luculenta a Ioanne Sario Zamoſcio, cuius nomen libris duobus de Senatu præſcriptum legitur, quos cum Caroli Sigonii eſſe ab amicis accepiſſem, confeſſione a viro modeſtisſimo vix tandem extorta, cum Bononiæ eſſem, rem ita habere poſtea intellexi.* Sic IACOBO PHILIPPO THOMASINO pleraque ſcripta a Io. Rhodio conceſſa, vt in-

de

de episcopatum adipisceretur, dicuntur. De hoc Caspar Hoffmannus in epistola VII ad Reinesium ita scribit: Io. Philippi Thomasini scripta vidistine? Sunt Ioannis Rhodii. Hinc adeo pueri bibliopolarum Venetorum digito monstrantes. Hic est ille, dicunt, qui libros edit sub nomine Thomasini. Vt taceam alios, qui sub nominibus antiquitus claris tantum latere voluerunt. Ita Caspar Scioppius, sub nomine Alphonsi Vargas, episcopo alias Vargensis, sec. XIV. Iesuitarum stratagemata & sophismata detexit. Ioannes Christophorus Becmannus sub nomine Ortuini Gratii, historiam sacram dissidii inter Lutheranos atque reformatos exposuit, & plures alii, quorum exempla varia recenset Bailletus *part. III. cap. III.* & Ioannes Mollerus homonymoscopia pag. 33, sed isti proprie tales impostores non sunt, quos hic describimus, sed pseudonymi tantum, qui metuentes nomini suo, alia adsumserunt.

§. XL.

Alii fuerunt impostores, qui non quidem libros, Manuscripta tamen recentiora pro antiquis venditare ausi fuerunt. Talem fraudem videmus notatam a Maruille, Melanges d' histoire & de litterature

Tome

Tome I. pag. 43. vbi ait: *on a enuoyé pour cela non ſeulement dans toute l'Europe, mais auſſi dans l'Orient, pour decouurir des Livres trés anciens & des Manuſcripts rares: ce qui a donné lieu a bien de fourberies & des bevûës. Il y a quelques années que des ignorans ou de fourbes envoyérent ici du bout du monde, de Manuſcrits Arabes trés-bien conditionés, & d'vn parfaitement beau caractere. Ils furent recûs avec reſpect par ceux, qui n'y entendoient rien; mais les connoiſſeurs ayant ietté les yeux deſſus, on ſût bientôt, que ces Manuſcripts q'on auoit pris pour des Livres trés curieux, n'etoient, que de Regiſtes & des livres de comte mis au net par des Marchands Arabes: riſum teneatis amici.* Tales tamen impoſturæ facilius noſcuntur ex criteriis manuſcriptorum, de quibus alibi ſpeciatim egimus.

§. XLI.

Ex diplomatibus, quæ quandoque ſupponuntur, multas oriri lites atque controuerſias, vel vnica cauſſa Lindauienſis, quæ adhuc ſub iudice controuertitur, teſtatur. Controuerſiæ fundamentum latet in diplomate fundationis cœnobii Virginum, quod a Ludouico quodam profectum ex ſubſcriptione patet. Hoc autem, modo Ludouico Imperatori,

tori, Lotharii filio, modo Ludouico Pio adscribunt pontificii propugnatores. Hi enim per sub & obreptionem induxerunt Fridericum III Imp. vt priuilegium illud, fictitium licet, confirmaret. Belli tricennalis tempore controuersia ista ad aulam Imperatoris fuit delata, ibique disceptata, petente cœnobio omne vrbis territorium. Res commissa fuit episcopo Constantiensi & Comiti Montfortio. Lindauienses deductionem suam edebant, cuius auctor Daniel Heiderus, syndicus vrbis. Respondet eidem Henricus Wagnereckius, diplomatis auctorem faciens Ludouicum Germanicum, sed crambe erat bis cocta, cum iam omnia euersa essent in deductione. Rogatus sententiam Hermannus Conringius, censuram diplomatis, quod Ludouico Imperatori cœnobium Lindauiense acceptum fert, 1672 edidit, in quo fictitium esse monstrauit. Sed, post mortem Conringii iusta defensio diplomatis Ludouiciani prodiit, *Constantiæ 1691. 4*, in qua Ludouicus Pius pro auctore venditatur. Contra hanc editæ *Historicæ vindiciæ pro Hermanni Conringii censura, Lindauiæ 1700. f.* in quibus plenius demonstratur, diploma a cœnobio adductum esse fictitium. Auctorem autem illæ habent Guilielmum Ernestum Tentzelium, adminiculante Thoma Welzio, Reipubl. Lindauiensis Syndico, viro eruditissimo. Videmus

ergo

ergo ex hoc exemplo, cui facile multa alia adnecti possent, si nostrum pateretur institutum, quantum litium ex vnico diplomate suppositio oriri possit.

§. XLII.

Quid nunc dicam de Iosepho Scaligero? Ediderat iste epistolam ad Ianum Doussam, de vetustate & splendore gentis Scaligeræ, in qua non solum patris sui, Iulii Cæsaris vitam describit, sed etiam Scaligerorum gentem antiquissimam facit ex Comitum de la Scala, Principum Veronensium familia ortam, idque variis diplomatibus comprobauit. Quod cum Caspar Scioppius, Scaligeri æmulus, ferre non posset, eundem imposturæ inculpabat, edens Scaligerum Hypobolimæum, in quo præter crimen falsi, & corruptarum litterarum regiarum, quingentorum eum errorum redarguere conatur. Sed, neque hoc honori fuit & Scioppio. Quippe prodibant postea contra eundem satyræ duæ, quarum vna inscribitur *Hercules tuam fidem*, altera *virgula diuina*, quibus accessit vita & natales Casparis Scioppii, in quibus multa deteguntur probrosa, matrem impuram consuetudinem habuisse cum nobili a Münster, patrem fuisse vespillonem, Scioppium non nisi doctum scurram. Accessit etiam confutatio fabulæ Burdonum, qua Scaligerorum gens ab iniuriis Scioppii vindicatur. Imposturæ

itaque

itaque vitium potius cecidit in Sciopppium, quod genus mentitus, quam in Scaligerum.

§. XLIII.

Non ſolum diploma, ſed integra ſcripta alii ſupponere conati ſunt. Prodibant ſcilicet *Hetruſcarum antiquitatum fragmenta, Florentiæ 1647. 4.* Harum Voſſius de hiſtoricis latinis *lib I. c. IX.* auctorem facit THOMAM FOEDRVM, qui vixit anno MCCCCXC, aliis GVILIELMVM POSTELLVM auctorem creditum fuiſſe, addens. Sed acertimum nactus eſt auctor cenſorem LEONEM ALLATIVM, qui *in eadem animaduerſiones* dedit *Pariſiis 1640. 4.* & *Romæ 1642. 12*, vbi etiam de auctore disquirit, ſed §. CXIV. p. 247. Poſtellum auctorem non eſſe adſerit, quem quidem hominem nequiſſimum adpellat, ob malas etiam artes & violatæ fidei reum, ſecundo iudicio condemnatum relegatumque, non tamen ita inſaniſſe, neque vnquam adeo ſtupide infortunateque in hiſtoria deliraſſe, vt adeo impudenter eſtrictaque fronte mendacia tam inſulſa ſpargeret, quin potius prudentia, quam a bonorum auctorum lectione hauſerit, cohibuiſſet temeritatem, ac licentiam omdia blatterandi compreſſiſſet. Nequ etiam Thomam Fœdrum ex gente Inghiramia auctorem eſſe dicit, cum antiquitates easdem Thoma longe recentiores iudicet,

CVR-

CVRTIVM ergo INGHIRAMIVM facit auctorem, Florentinum, qui hasce antiquitates, a se effictas haberi voluerit, quasi Scornelli prope Volaterras repertæ, sint reliquiæ a Syl'ano tempore, antiqui iuris pontificii, a Prospero collecti. Sed Allatius Inghiramii fraudes satis luculenter detexit, probans, hæc antiquitatum fragmenta nec orthographia, nec stylo antiquitatem sapere, ritusque & vrbes in iis memoratas longe esse nouiores. Respondet quidem Inghiramius, sub nomine *Spenti Academici Sepulti*, in epistola Italica, quam tamen Allatius sub nomine *Bennonis Durckhundurcki Slaui* alio tractatu *Coloniæ 1642. 12* edito, ridet. HENRICVS ERNSTIVS dein in *Inghiramium obseruationes* publicauit *Amstelodami 1693. 12*, harum vero auctorem PAGANINVM GAVDENTIVM facit Ioannes Rhodius *de scriptoribus supposititiis p. 29.*

§. XLIV.

Alia suppositionis species latet in nummis. Rem nummariam maxime difficilem reddit impostura eorum, qui nummos supposititios pro genuinis venditant. Qui fit, vt tot supposititiis nummis repleti sint libri Rouilii, Golzii aliorumque, quos dignoscere nonnunquam, non nisi peritissimis antiquariis licet. Conqueritur de eo Baronius *III. Annalium Anno Constantini M. XIX. §. 12. prodie-*

 runt,

runt, inquit, *hoc nostro seculo, dixerim ne impostores, qui obductum crassa rubigine cum nummum aeneum nanciscantur, formas & litteras solerti effingunt industria, turpis lucri gratia, non sine magno rei antiquariae praeiudicio.* Hoc falsum Italis proprium esse dicit Ludouicus Sauotus *part. IV. cap. III*, qui hunc modum late describit. Si Scaligerianis p. 97 est credendum, nummariae rei impostor erat Abrahamus Gorlaeus, cum de eo dicat: *Gorleus fond des medailles; il m' en a quelque fois montré, mais j' ay decouvert qu' elles n' etoient pas anciennes, il ne m' en a montré depuis que de vraies. C' est vn bon homme.* Recentissimum imposturae genus describit Andreas Morellius (cuius praematurum obitum merito luget respublica litteraria) *specimine rei nummariae antiquae p. 77*, dum nummi excauantur, & in concauitatem ferruminatur, tanto artificio, vt vix fraus adpareat. Plures huius imposturae species describit Rinckius de veteris numismatis potentia & qualitate *cap. XVI.* Narrauit aliquando Morellius ante laudatus, Carolum Patinum, celebrem alias antiquarium, per Cherchemontium quendam, Gallum, effingi curasse denarium gentis Horatiae, inter nummos Consulares rarissimum, hunc etiam Lamognano Praesidi vendidit triginta aureis. Post mortem Cherchemontii, huic denario Patinus addi fecit caput, atque talem Duci

Par-

Parmensi vendidit quinquaginta aureis, licet de hoc postea, re comperta, iratum sentiret Ducem. Hæc autem suppositio postea ansam dedit credendi, quasi reperiantur nummi gentis Horatiæ, in quibus caput minusculum, cum tamen vnicus saltim in gente Horatia sit typus, præferens Romæ caput galeatum.

§. XLV.

Bellum & risu dignum talis imposturæ exemplum refert Rinckius in suo de Veteris Numismatis potestate libello cap. XXI. p. 194, dum de famoso illo vnciali Hassiaco, qui cum inscriptione BESS. LAND. V. LVD. V. LORN. ALS. EN. FALSCH. AID. GESCHWORN circumfertur, sequentem narrat historiam. *Hic vncialis nummus pro genuino habitus fuit, ita, vt ipse testis sim, comparatum fuisse pro 130 thaleris; nam cusus est & mirum in modum æmulatur superioris seculi fabricam, & Principis, quem refert, similitudinem. Sed arcanam huius fraudis historiam communicabo, vt sibi caueant incauti amatores. Homo qui aliorum simplicitate lucrum captabat, audiens quod in voto omnium sit iste Hassiacus Vncialis, subdole illum cudi curabat & amico exemplar misit, expetens eius iudicium de thesauro invento, quem fortuito reperisse prætendebat. Ille cum ei suboleret facinus, negabat genuinum esse vncialem, quia genuino interpositæ essent litteræ: S. E.*

 D.S.P.

D. S. P. quibus hic carebat; quod signum tamen tantum desiderabat, vt falsarium fraudis arguere posset; nam fictitia sunt littera, vt ipse vncialis. Paulo post impostor denuo comparebat, suamque in inueniendo felicitatem deprædicabat, producens simul nummum omnibus numeris imposturæ completum: Sed alter per testimonium fraudem demonstrabat, & eas tali modo explicabat. Stell ein dein schelmisches Prägen.

§. XLVI.

Altera species imposturæ est eorum, qui Manuscripta quædam, quæ in bibliothecis repererunt, vnica supprimentes, eadem postea vel integra, vel potiora ex iisdem sub proprio nomine edunt. Huius rei exemplum præbere potest PETRVS ALCYONIVS. Hic enim inculpabatur, quasi Ciceronis librum de gloria expilasset, vt testatur Paulus Manutius *ad libr. XV. Ciceronis ad Atticum epist. XXVII.* ad verba de gloria: *libros duos significat, quos de gloria scripsit, qui vsque ad patrum nostrorum ætatem peruenerunt, nam Bernardus Iustinianus in indice librorum suorum nominat Ciceronem de Gloria. IS liber postea, cum vniuersam bibliothecam Bernardus monachorum monasterio legasset, magna conquisitus cura, neutiquam est inuentus: Nemini dubium fuit, quin Petrus Alcyonius, cui monachi medico suo eius tractandæ bibliothecæ potestatem fecerant, homo improbus furto auerterit, & sane in eius opusculo de exsilio,* ad-

adspersa nonnulla deprehenduntur, quæ non olere Alcyonium auctorem, sed aliquanto præstantiorem artificem videantur. Defenditur tamen ab aliis. Iacobus Fontanus quidem initio libri III. de bello Rhodio eum vocat *iuuenem ingenio, eloquentia & multiplici rerum scientia præstantissimum.* Plenius vero ad eius excusationem facit Paulus Iouius in elogiis virorum doctorum *CXXII. p. 265*, vbi diu eum in chalcographorum officinis, corrigendis erroribus menstrua mercede operam nauasse dicit, & multa obseruatione ad præcellentem scribendi facultatem peruenisse. Hominem autem sordidis moribus, impudens gulæ mancipium, adpellat. *Sed*, pergit, *luculento opere de toleranda exilii Fortuna, ita eruditionis ac eloquentiæ famam sustentauit, vt ex libro de gloria Ciceronis, quem nefaria malignitate aboleuerat; multorum iudicia confictum crederetur. In eo enim, tanquam vario centone, præclara excellentis purpuræ fila, languentibus cæteris coloribus intertexta notabantur. Verum non multo post confirmatæ suspicionis inuidiam duabus splendidissimis orationibus peregregie mitigauit, cum in clade vrbis vehementissime inuectus in Cæsarem, populi Romani iniurias & Barbarorum immanitatem summa perfecti oratoris eloquentia deplorasset.* Vt dicam, quid mihi videatur, adeptus fuerat Alcyonius Manuscriptum Ciceronis, nec tamen totum quantum est, ita inprimi fecit, sed il-

lud expilauit, potiora ex illo transcribendo, cum alias ab eloquentia summa perfecti oratoris commendaretur. Quare plagiarius potius est, quam merus impostor.

§. XLVII.

Eandem culpam incurrisse putant Ioannem Iouianum Pontanum. Hic vel communi elogio præcipuus inter oratores sui temporis habitus. Verum mordaci stylo & subagresti supercilio plurimorum odium & inuidiam concitauit. Hinc nata forsan calumnia, quæ ipso adhuc viuente in vulgus sparsa erat, illum volumina quædam Ciceronis in vetusta Monasterii Cassinatis bibliotheca reperta, paullum mutata, nomine suo euulgasse, vti tradit Henricus Whartonus *in appendice ad Caue hist. litterariam p. 115.*

§ XLVIII.

Idem fatum expertus fuit ANGELVS POLITIANVS, cuius eruditio maior, quam religio. Hic Herodianum latine loquentem induxit, tanta elegantia, vt merito eum inter claros interpretes referat Huetius *pag.* 267 & Dhegoreus Whear in methodo legendæ historiæ *pag.* 71 dubitet, vter maiorem laudem mereatur, Herodianus an Politianus, cum tanta felicitate Herodiani scripta sit interpretatus, vt non transtulisse, sed ipse composuisse videri possit. Docet vero Paulus Iouius inter elogia virorum doctorum *n. XXIIX.*

pag.

pag. 88, quod æmuli eam translationem, vti ipſe a Leone pontifice acceperit, Gregorii Tiphernatis fuiſſe dixerint, quod paſſim inducto fuco & falſorum næuorum coloribus interlito alieni ſtyli habitum mentiretur.

§. XLIX.

Omni merito inter doctos impoſtores referri meretur GEORGIVS RüXNERVS: Hic enim dedit librum torneamentorum, ſed quanta fide, ſtatim patebit. Nactus eſt ille Codicem antiquum Magdeburgi, Saxonica lingua conſcriptum, in quo continebatur hiſtoria torneamentorum. Hunc, cum linguæ Saxonicæ parum eſſet gnarus Rüxnerus, in aula Ioannis, Palatini ad Rhenum, Simmeræ Io. Kirchbergerus ſermone vulgari expoſuit. Sed ecce Rüxneri impoſturam? Codicem iſtum antiquum ſtatim concremauit. Sic enim ait, *in præf. f. X, vnd als mir ſolches buch von Ime ward, begert ich an Ine, das niemand weiter zu vergönnen, das er mich vnter augen gewert, vnd warff es in meinem anſehen in ein feuer, darum ich weis ſolch Ritterſpiel von niemand andern denn mir, in dis hochteutſch gezung verwandelt, vnd an tag gebracht iſt.* Codice illo ſe vſum eſſe ipſe profitetur, ſi ergo non varia adſuere in animo habuit, cur codicem concremauit? Cur non ſeruauit potius, vt ipſius codicis antiquitate magis probaret, quæ ſcripſit? Impoſtura hæc erat Rüxneri, vt hominibus imponeret. No-

tum enim est de Rüxnero, quod sæpe genealogias finxerit, alia longe recentiores ad tempora anteriora retulerit, & quæ sunt similia, quæ latius exponere meditabatur Caspar Sagittarius in Rüxnero exenterato. Ast, ex archiuo Palatino Magdeburgensi desumtus erat Codex iste antiquus, ex quo sua descripsit Rüxnerus. Ita enim Comes a Nothafft apud Speidelium in Speculo, voce Thurnier. *Ferner ist zu wissen, das gleichwohl das Thurnierbuch Georgii Rüxneri zwar von vnterschiedenen fürnehmen* Scribent*en vem matricula ex archiuo Palatino Magdeburgensi desumta impugniret wird. Wie impertinent vnd vnerheblich aber dasselbe beschehe, vnd insonderheit von was schlechter consideratien vnd bestand Stumpfii, Spangenbergii, Goldasti, auch anderer, insonderheit Herrn Wigulæi Hund einwürffe darwieder in der Vorrede seines Beyerischen Stamm-Buches vnd sonsten zu achten, solle in kurtzem von guten Orten aus weitläuffig deduciret vnd demonstrirt werden.* Verum, si ex archiuo Archiepiscopali depromtus fuisset codex, exemplar illius vt restitueretur, necessarium erat, ante autem vidimus, concrematum fuisse a Rüxnero, ex quo facile patet, priuatum tantum fuisse Ioannis Kirchbergeri, vti latius demonstratum etiam fuit in dissertatione, quam sub præsidio Georgii Schubarti olim de ludis equestribus defendit. *cap. II. §. XVIII.*

§. L.

§. L.

Tertia demum ſpecies eſt eorum, qui Manuſcripta librosue ex bibliothecis fuerunt ſuffurati. Taceo iam exempla recentiora, quæ cum nunc ſint odioſa, poſteritas forſan recenſebit: pauca tantum adducam, quæ non ita cognita. Primum exemplum exhibet Schoockius in oratione quarta de libris & bibliothecis, ex quo hauſit Morhofius polyhiſtore *lib. I cap. IV. pag. 33.* de Didaco enim Mendoza, Caroli V apud Venetos oratore ita dicit: vt *ornare poſſet bibliothecam, quam animo moliebatur, legatos a Beſſarione theſauros expilauit, & quidem tam ſubtiliter, vt iurare auſim, nunquam furem aliquem doctius furtum perpetraſſe. Ad ſuos iam redierat gratus hoſpes, antequam aut præſentiſceret respublica, aut quis ex bibliothecæ procuratoribus. Nam armaria, ex quibus Mſtos membranaceos codices abſtulerat, aliis vulgaribus & eiusdem propemolis libris repleuit, ne aut deprehenderetur furtum, quam ſpecioſa eius eiurandi foret ratio.* Teſtatur Morhofius, ſe hæc apud alios non legiſſe. Dubitat etiam, an non erratum ſit in nomine, cum alii Iacobum Hurtadum de Mendoza adpellent, qui in Beſſarionis Mſtis deſcribendis operam ſumtusque impenderit. Ita enim Claudius Clemens in hiſtoria bibliothecæ Scoriacenſis: *Græcis exemplaribus partim conquirendis in media Græcia, partim e Beſſarionis Cardinalis Nicæni bibliotheca de-*

scribendis operam sumtusque impendit. Nauem, praeterea Graecis, calamo exaratis libris onustam, a Turcarum Imperatore obtinuit. Moriens legauit, Regi suam bibliothecam, refertam plurimis & vetustis illis Codicibus Graecis, Latinis, Arabicis tam impressis, quam Manuscriptis. Franciſcus tamen Schottus p. II. Itinerarii Italici cap. V. p. 510. Didacum Hurtadum Mendozam adpellat, Cæſaris olim apud Venetos legatum, qui naue quadam libris Mſtis plena, bibliothecam Scorialenſem auxerit.

§. LI.

Alterum exemplum habemus ex Pauli Colomeſii cimeliis litterariis *p. 121*, vbi ita loquitur: *M Vossius m'a dit, qu'il avoit appris de M de Puy ainé, qu' Henry Lindenbrog estant a Paris & allant souvent à la Bibliotheque de S. Victor, sous pretexte, d' y etudier, y deroboit touiours quelques Manuscrits, & que quelcun s' etant apperçû de ses larcins, on alla le prendre vn matin en bonnet de nuit & en pantoufles & qu' on le mena ainsi en prison, d' où il sortit quelques iours apres par le credit de M. du Puy.*

§. LII.

Immo ipſe Iſaacus Voſſius ab hac culpa non immunis fuiſſe dicitur. Perhibent enim de eodem Sueci, quaſi ex bibliotheca regia, multa Manuſcripta ſurripuerit. Quare etiam in eius bibliotheca, quam ad publicæ ſuæ augmentum emerunt Lugdunenſes apud Batauos,

tauos, multa adhuc extare dicuntur regiis insignibus ornata, quæ tamen celantur.

§. LIII.

Leoni Allatio, qui mittebatur in Germaniam, ad bibliothecam Heidelbergensem, Romam ducendam, imputabatur, quasi distraxisset libros meliores. Quare etiam Morhofius *polyhist. lib. I. cap. IV.* ait, negare quosdam, quidquam librorum Heidelbergensium ad bibliothecam publicam peruenisse, sed per Cardinalium priuatas bibliothecas fuisse diuisam, ac ostendi quidem istas clausas, in quibus libri reconditi dicantur, eas tamen esse vacuas, licet contrarium testentur Burnetus, Mabillonus, Montfauconus, ipse quoque Allatius, omnes testes oculati. Hoc igitur Allatii factum dicebatur. Accusator præcipuus erat Scioppius, commune flagellum, qui etiam in causa erat, vt in custodiam duceretur Allatius, & plures essent, qui eundem suspendi mallent. Sed caussa dicta, egregie se defendit, ita, vt etiam post mortem Holstenii bibliothecæ Vaticanæ præficeretur. vid. Naudæana *p. 2.*

§. LIV.

Eadem ratione notatur Matthias Flacius, Illyricus, qui teste Melchiore Adamo, in vita *pag. 475.* dissimulata persona & habitu, in Germania monasteriorum bibliothecas perlustrauit, quos commode potuit, historicos clam

clam abſtulit, atque iſto adminiculo librum, qui Catalogus teſtium veritatis inſcribitur, confecit. Quos autem commode ſecum ferre non potuit hiſtoricos, exſcidit, pagellas quasdam ſibi proficuas ad ſe recipiens, ita, vt cultellus Flacianus fere in prouerbium abierit. Excuſare quodammodo conatur hoc factum Morhoſius polyhiſt. *lib. I. cap. IV*, quod minus reprehendi videantur, qui publico bono interdum compilarunt bibliothecas ab inuidis celatas & ad vſum denegatas. Verum, ſi de pœna agatur, mitius puniri tales non dubitarem, atque tamen furtum eſſe adſero. Simile mihi facere videntur ii, qui furantur, vt dent pauperibus. Hæc ſunt, quæ de impoſtoribus doctis in præſenti agenda, optantes, vt omnes ac ſinguli eruditi omni profanæ ſapientiæ abdicato pruritu, ſolummodo veram illam quærant, quæ in timore Domini atque imitatione Chriſti conſiſtit, ita enim omnes ceſſabunt impoſturæ.

F I N I S.

Const: mater: 12 ggl.

Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Struve, Burkhard Gotthelf, / Dorn, Johann Christoph, / Struve, Burkhard Gotthelf,

Bvrcardi Gotthelfii Struvii Introdvctio In Notitiam Rei Litterariae Et Vsvm Bibliothecarvm

Ienae 1710

Bamberg, Staatsbibliothek -- H.l.o.36-b
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11687439-6
VD18 11053135-003